Johannes Besly

June 21. 1837.

Johannes Columbus.

[illegible] a [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] 1678.

[illegible] 3 [illegible]
"[illegible]"

EMVNDI FIGRELII

De

STATUIS ILLUSTRIUM ROMANORUM.

LIBER SINGULARIS.



HOLMIÆ,

Ex Officinâ JOHANNIS JANSSONII;
Regii Typographi.
ANNO MDCLVI.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO

PRINCIPI

AC DOMINO

DOMINO

CAROLO GUSTAVO

D. G.

SVECORVM, GOTHORVM. ET. VANDALORVM. REGI. MAGNO. PRINCIPI. FINLANDIÆ. DVCI. ESTHONIÆ. CARELIÆ. BREMÆ. VERDÆ. STETINI. POMERANIÆ. CASSVBIÆ. ET. VENDIÆ. PRINCIPI. RVGIÆ. DOMINO. INGRIÆ. ET. VVISMARIÆ. COMITI. PALATINO. AD. RHENVM. IN. BAVARIA. IVLIÆ. CLIVIÆ. ET. MONTIVM. DVCI. &c. PIO. FELICI. AVGVSTO. REGI. ET. DOMINO. SVO. CLEMENTISSIMO.



SERENISSIME
ET
POTENTISSIME
REX.
DOMINE
CLEMENTISSIME.



UAMVIS non hæc ſit conditio mea, non doctrinæ fiducia, nec meritum aliud ullum, cujus conſcientiâ fretus, Mtem. Tuam alloqui licere mihi putem, hoc præſertim tempore, quo per tot, tàm proſperos, tamquè admirabiles rerum ſucceſſus diviſas cogitationes Tuas, propitiamquè mentem ſuæ ſaluti ac ſecuritati commodari poſcunt tot gentes, urbes, populi, in quorum juſtiſſimam vindictam ſonare exercituum Tuorum ſigna, ultorquè enſis Tuus micare jamdudum cœpit; Attamen utcunquè excuſationem omnem, ſive tenuitas hæc mea, ſive intempeſtivum obſequium abſumeret, ne Mtem. T. adire, præſentemquè hunc libellum ſub Clementiæ Tuæ Tutela deponere auderem, Non ſolum audendi mihi animum dare, ſed ad commendationem etiam prodeſſe vel ipſum argumentum poſſe ſperabam; Quod tale eſt, ut id nec præſentium fortuna temporum, nec geſtorum Tuorum indoles facile poſſit aſpernari. Quippe de Statuis Illuſtrium Romanorum agit. Nam quemadmodum illi præcipuum famæ ac immortalitatis inter homines pignus eſſe cenſebant, oris ac formæ fidem

ſtatuis, & geſtorum memoriam magnificâ titulorum commendatione in longiſſimi ævi poſſeſſionem transmitti: Ita hæc antiqui moris recordatio grata eſſe Mti. T. vel hoc nomine poteſt, quod per eam conſtet, quid jam non Horatio ſuo Romani, aut Camillo, aut Scipioni, alienis auſpiciis, ac pro unius fermè urbis ſalute res gerentibus; Sed quantum Tibi, Regi Glorioſiſſimo, Regi Invictiſſimo, & qui ſoli Divinæ Majeſtati obnoxium ſceptrum geris, faſceſquè ſubmittis; Quantum, inquam, T. Mti. pro Ampliſſimi Regni ſecuritate fortiſſimè ac feliciſſimè pugnanti cives Tui, Romanorum quondam victores debeant Gothi. Advocarem hic in glorioſæ comparationis fidem longam facinorum tuorum ſeriem, niſi intelligerem ſummos Reges adiri non niſi brevi ſermone oportere: Exponerem, quibus conſiliis, quo cœleſtis animi vigore, quo Heroici ſpiritus impulſu incredibilẽ fortunam Tuam partim ſecutus, partim antegreſſus fueris, niſi ſimul ipſa rerum, quas confeciſti, dignitas & magnitudo obſtaret; Quæ tanta eſt, ut ſolis ſublimibus animis patens ac pervia, æſtimandam ſeſe, & totâ ſui mole noſcendam vulgaribus ſenſibus minimè præbeat. Quin ſummæ cautionis eſſe duxi, ne ſperare quidem magis verbis res Tuas æquari, quàm geſtarum à Mte. Tua rerum terminum inveniri poſſe, quem nuper in ſe vix figi credidit pacis cupidus Danubius & Rhenus, ſed & mox prolatis ultra victoriis trans ripas ſuas longè protendi feliciſſimâ celeritate Viſtula ſubactus ſenſit. Simplicius ergo cum obſequiis noſtris calculum ponimus, quæ ſi tàm præſtare, quàm intelligere datum eſſet, non ſanè pateremur, ut quocum in officiorum gratæquè

men-

mentis certamen descendimus, vetus inde quicquam referret Quiris, quo nos à se vinci magnoperè gauderet. Verum enimvero, ut maximè statuis, columnis ac titulis, per provincias, regiones, urbes, per templa, fora, curias, Mtem. T. colere certum constitutumquè esset, Quodnam, quæso, aurum tàm purum, quod tàm preciosum æs, quod tàm nitidum ebur est, quod appensum applicatumvè immortalibus meritis Tuis non longè cedat? Aut quæ tanta erit statua, quæ columna, quis titulus, qui gloriam hanc, quam in omnes jam orbis terrarum plagas, admirandâ planè felicitate, ad invidiam seculorum usquè, novus adhuc Rex, vetus Imperator, victor perpetuus, intulisti, dignè satis loquetur? Sed nequè forsitan hæc talia requiris, Rex Magnificentissime; Et certè nescio, an non fortunas suas omnes infra hunc censum esse æquo animo & libenter patiantur cives Tui, cum non tàm, quid præstare ipsi valeant, quàm quantum Mti. T. debetur, cogitant. Quin hoc igitur potius, quod ubiquè agitur, admittis, ut quia levioribus præmiis immortalis Tua virtus pensari nequaquam potest, universa Mti. Tuæ terra, quod Augusto olim dictum est, templum sit, pro delubris omnes urbes, omnes homines pro statuis, quorum in animis semper cum gloria insidebis. Non aliud sanè fuerit pulchrius aut dignius Tanto Rege æternitatis monumentum. Hoc quippe non lubricâ pereuntis metalli fide, sed perpetuò victuræ famæ charactere signatum, consensus seculorum gentiumquè sustentabit, & posteritati per continuas filiorum Nepotumquè successiones nulla temporum præscriptione, nullo casuum interjectu turbatum justis & suis titulis

tradet memorandum. Ex hac curia, ex hoc ſuggeſtu apparebis melius. Inde ſplendidius radios Tuū emittet caput,& efficacius dextra Tua fulmen protendet. Nos inſuper, quos ſingulari favore, ſub juſtitia ſimul ac manſuetudine imperii tui Numen cœleſte poſuit, ſubmiſsâ prece apud Majeſtatem divinam contendimus, ut lauros, palmas, triumphos, victorias, tropæa & decora, quæ externo jam orbe legis, figiſquè, diuturnâ, ſolidâ, & conſtanti beet felicitate. Vt interim tamen nobis liceat maturum Mtis. T. in patriam reditum optare, quô *Populo Tuo gratior eat dies, Et Soles melius niteant*, niſi divinæ,& illi proximæ Tuæ Mti. aliter viſum fuerit. Nam,ut hoc ſit,& fatis cœleſtibus contraria vota miſcere, & intempeſtivis deſideriis immenſæ gloriæ Tuæ,quæ publicas etiam ſpes & commoda trahit, intercedere ingens ducimus nefas. Vive Rex Glorioſiſſime,Pater Patriæ, Pater Caſtrorum; Vive, ſecuritatis noſtræ, libertatis,& quod palmariū eſt, religionis vindex Fortiſſime; Vive,& ſi publicis votis privatas ſpes ſociare temeritas non ſit, hoc quicquid eſt libelli, ad pedes Tuos humilima veneratione devolvi, & ſub auguſtiſſimo Mtis. T. nomine ac patrocinio à malorum injuriis ſecurum eſſe clementiſſimè patere.

R. Mti. Tuæ

Vbſaliæ 1. Maii.
MDCLVI.

Subjectiſſimus & Devotiſſimus

EMUNDUS FIGRELIUS.

AD LECTOREM.

FAVOREM Tuum, Lector, quò desidero vehementius, eò ægrius sustineo ambitiosâ prece eblandiri, cum quæ profero, si bona sunt, satis ad sui commendationem ipsa faciant; Si mala, venia ipsis non debeatur, utcunquè excusare ipse volueris. Tum si æquus ipse es, non poteris non tolerare ea, quæ ut prorsus nihil bonæ frugis habere videantur, solis invidis imputari potest. Sin iniquus, lævam tuam sinistramquè mentem, non ulla industria, non studium, non preces deniquè ullæ mitigabunt, nisi hactenus fortè, ut à Te impetrari sinas, ne legas prorsus. Nam non tanti hæc mea esse crediderim, ut opus esse putem longo apparatu, & nimis sollicitâ malè solertis animi curâ aut legendi voluptatem in quoquam excitare, aut asperiora judicia deprecari, cum quoquè præterea non ignorem, quod in iis, quæ ad literas pertinent, sæpè tàm sunt peccata quę benè, quàm quæ secus fiunt. Nequè ex adverso constitutum est mihi, doctorum hominum, quos nemo impensius me colit ac veneratur, censuram subterfugere; Nemo enim gratior mihi, aut venerabilior esse potest, quàm ille, quisquis est, per quem proficere queam. Quin ultrò admitto & advoco, qui hallucinationibus meis irascatur, &

allinat atrum
Transverso calamo signum;

Sed simul moderationem requiro, & bonam mentem. Aliter enim fuerit, non magis me quisquam induxerit, ut desperem, quàm cogere quemquam possum ego, ne obtrectet. Adeoquè nec temerè sibi confidentem, nec gratis providum esse arbitror, qui honesta conando, animum ad sustinenda famæ pericula ita obfirmat, ut si secus, quàm par est, eveniat, causæ nil habeat, cur frustra sese bene sperasse idoleat. Nam, ut sunt seculi mores, non raro in sola fortuna situm est, quantum expectare debeant, qui editis scriptis sese dant in manus hominum. Ex una enim lance favorem & aversationem illa distribuit, non magis veritati, quàm genio suo obsecuta. Eâdem sæpè mercede extollit, deprimit; laudat, conviciatur: Vt nemo ejus ludibriis minus opportunus videatur, quàm qui animum & res suas ita componit, ut quoties infausto gutture vocem illa strangulat, protinus laqueum ipsi mandet. Absquè hoc fuerit, sæviet illa atrocius. Ne tamen de

periculo nimis securus, omne inde præsidium petam, unde damnum sibi sapiens quisquè & bonus timet; Tum ne videar meditatis verbis, quod mali Rhetores solent, causæ suspectæ & parum integræ lenocinari velle, hoc mihi necessariò excusandum esse video, quod non undiquaquè par, in difficili, & aliis prope neglecto argumento operam posuerim. Hoc enim commentandi genus ingenium requirit acre, subtile, fœcundum, & per omnes reconditæ eruditionis flexus ac latebras continuo tramite ductum; Adeò ut qui maximè hic valuerint, ipsi literatæ militiæ Duces ac Heroës, sæpe non erubescant fateri fugitivam antiquitatis scientiam, jam tum, cum sese apprehendendam sistere ipsis maximè videretur, è manibus dilapsam, in obscura sua retro cessisse, ne quisquam de eâ triumpharet. Verum ut ingenium aut doctrinam à nobis impetrare non possumus, nisi quantum diligentia hic nostra præstat; Deo enim omnia, cœlo multa, fortunæ non pauca debemus: Ita quibus cuncta hæc non adsunt subsidia, si tamen non penitus ignave agant, sed tributos mortali vitæ dies, quisque pro modo & captu suo, vel lineam ducendo exigant, à voluntatis suæ promptitudine hoc lucrifacere ipsos par est, ne fecisse malè videantur. An verò cum ludimus, & per otium ac luxum magnam vitæ bonorumque partem consumimus, nec ideò vulgò spernimur, exiguum laborem, tenuisque chartæ ac atramenti precium bono publico impendere, crimen sit, ob quod vapulare sub tristi ac severo judice debeat, qui fecit: Quanquam neque hic de meo quicquam insumptum, præter scriptionis & colligendi laborem, præstante cœtera Typographo. Neque minus vacare culpâ apud bonos omnes arbitror honestum illud desiderium, quo privatim ferebar ad cognoscendam propius rationem eorum, quæ olim non sine admiratione, in residuis Romanæ vetustatis monumentis magnifica & augusta spectabam, cum Dominæ quondam urbis solum calcarem. Nisi quod, quæ fuit illic brevis & pauculorum mensium mora, non permisit in tanta spectabilium rerum varietate cogitationem mentemque in singulorum consideratione pressius tum defigere, cum universa lustrare, quâ fieri potuit, animus avebat. Et habet hoc præterea adolescentia, ut non satis semper erga bona sua provida, interioribus & abditis rerum insuper habitis, externa sectetur, nec verum suæ peregrinationis fructum prius sentiat, quàm amisit. Cum itaque

que in patriam redux occasiones discendi novas docendi munere honoratus acciperem, eorum, quæ pridem videram, obversari subinde animo memoria cœpit, refricante eam indies bonorum authorum non plane segni lectione. Vbi cum multa occurrerent, in hoc præsertim argumento, non satis expedita, attentius ea observare, & colligere cœpi, donec hoc quicquid est Syngrammatis, sub ipso conatu nasceretur. In quo digerendo eum ordinem secutus sum, quem ipsa rei natura postulare videbatur, nec superstitiosum eum nimis, nec planè nullum, ut facilè deprehendent, quibus legere vacat. Quanquam nequè nimium reluctabor iis, qui nullum hic velint justi operis ordinem agnoscere. Novi in extruendis ædificiis, non prorsus esse supervacaneam eorum operam, qui rudem materiem convehunt, dummodo id non perinde habeant, simulnè & unum in acervum congerant omnia, an seorsim & suo quæque loco cœmentum, ligna, saxa seponant. Aliàs quippe Architecto quî bene prospectum erit, ut admovere operi manum sine offensa queat? Quod si ego hoc, utcunquè rudi, sed tamen non plane incomposito materiæ congestu expeditiorem reddam viam iis, qui plenius ingenio pectus habent, & melius ab arte & doctrina instructi concinnius quippiam moliri, quæ ipsis divulsa nimis videantur, jungere; quæ perperam mixta, segregare; quæ sede alieniore locata, in suam seriem cogere; quæ laxa, contrahere; quæ compressa, extendere; & quocunque denique modo, quæ opus fuerit, judicio suo juvare aliquando volent, Num putem omne mihi oleum, omnemque operam periisse? cum insuper nequè sperandum sit, quantumcunquè curam intenderis, ut omnia fideliter, & prorsus sine rimâ cohæreant, ubi ex tàm diverso dissitarum ætatum, ingeniorumque penu cogenda sit materies omnis, & in textum aptanda; Nam, ut Varronis illud hic usurpem, Non mediocres tenebræ in sylva, ubi hæc captanda; nequè eò, quò pervenire volumus, semitæ tritæ: neque non in tramitibus quædam objecta, quæ euntem retinere possint. Hoc tamen conatus sum, ne plane esset sine calce arena. Quamobrem & dictionis genus adhibui, quo tractari hæc talia amant, simplex & inaffectatum. Imò pauciora de meo admetiri volui, veneratione antiquorum, quorum clara te-

ſtimonia ſupervacaneis interpretationibus onerare nec fas eſſe in hoc ſcriptionis genere exiſtimavi, nec ab ambitionis culpâ alienum. Præterea nec verboſum me eſſe pugnando cum multis, quæ quorundam non infrequens lubido eſſe ſolet, neceſſe fuit; partim quod pauci aut nulli propemodum eſſent, à quibus diſſentirem: adeo omnem ab hoc argumento curam aliorſum docti averterant: partim quod eorum, qui bono publico commodare operam ſuam unquam conati ſunt, memoriam ulla ratione lædere, aut intempeſtivo judicio labores perſtringere, alienum ab officio boni viri ſemper exiſtimavi, Qui ſuas potius fruſtrationes,& quantum apud ſe humani patitur, ingenuè reputat, quàm id agit, ut quenquam ob ingenii memoriæve leviculam labem damnet, aut veluti pipulo differat. Fuerit enim hoc ſimul atrox in hominum genus injuria, cui univerſo ab errorum morbis cautio nulla eſt. Multa deniquè alii hic deſiderabunt. Sed fieri quî poteſt, ut omnia unus queat ſimul, & primo conatu ſubtiliter explorare? Alius alio invenire poteſt plura, nemo omnia. Etenim præter immenſam judicii vim, quæ hic requiritur, imo præter alia ſubſidia, quæ nobis inter has curas verſantibus, partim locorum, in quibus felicius proficere ad hanc cognitionem poſſemus, longinquitas, partim rerum ipſarum caligo, tàm ex ejus, quem hic deſcribimus, moris deſuetudine, quàm idoneorum teſtium defectu nata, ſubducit, ferreâ quâdam patientiâ munitum eſſe oportet, qui omnia curioſè indagare cupiat, & velut ἐξακανθίζειν. Vulgaria quædam hic tradi nonnemo fortaſſe deprehendet; Fateor: Vt non dubitem hîc eos, qui alienæ induſtriæ obtrectare, quàm indulgere libertati malunt, multa reperturos, ob quæ non opus eſſe, ut Pythia tripodem inſcendat, immitius fortaſſis jactabunt; Sed non multum illos moramur. Nobis ſufficit juxta cum candidis omnibus non ignorare, quod argumenti, in quo haud omninò levi & perſunctoriâ operâ verſari conſtituimus, non aliter ratio conſte, quàm ſi hæc talia etiam non negligantur. Et profecto ſi ab omni alio præſidio adverſus hæc & alia ſiniſtrè judicantium tela deſtituti eſſemus, ſub hoc clypeo nos defendi à bonis omnibus lætamur, quod exemplo noſtro ſtudioſam juventutem ad amorem antiquitatis excitari poſſe contendant; Cujus ſtudi-

um

um nemo nisi rudis insectatur, nemo nisi benignâ usus Minervâ dignè æstimat, ut vim totam ejus rei explicasse videatur, qui vidit nihil utile esse in literis, si antiquitatis cognitio inutilis judicanda foret. Inscriptionibus vetustis quod crebrius utimur, aliorum penuria testium facit; nisi injuria sit, his minus, quàm Scriptoribus plurimis authoritatis tribuere, quos illæ possunt & tempore longè antevertere, & fide post se relinquere. Nec aliud subsidium fuit, cui tutius inniti nos posse, omni aliâ ope sæpe destitutos sperabamus. Quin & hic erigere dubitantem poterant exempla cum recentia, quæ nemo non quotidiè oculis usurpat, tum vetera eorum, qui historias totas ex solis ferme titulis & Inscriptionibus, quæ in antiquissimis templis extiterunt, contexuisse leguntur; Quod de Euhemero, rerum à Iove, cœterisquè Diis gestarum scriptore proditum Lactantius reliquit. Nec satis esse duxi interpretationem meam promere, quin verba ipsa plenius plerumquè admetirer, ne, sicubi ipsa me quandoquè falleret obscuritas, eruditioribus aliis simul subductum foret, in quod ingenii sui lucem immitterent. Vnum restat, de quo adhuc compellandus es, Lector Candide, ut quod in hanc editionem pluscula errata irrepserint, benignè excuses. Etenim præter ordinariam Typothetarum incuriam, nonnihil fortunæ meæ succensendum video, quæ non permisit, ut ipse Editioni præessem, aliquo inde loci intervallo disjunctus. Nullum enim folium examinare mihi integrum erat, nisi postquam totum exstet, quo factum est, ut omnis à me sera medicina esset. Nec forte sperandum est in iis, quæ prima procuduntur, ut omni ex parte emendata prodeant, quantamcunque diligentiam adhibueris. Quæ itaque extantiora deprehendi, & quæ vel omissa, vel superflua, vel corrupta sensum turbare possent, ad calcem libelli rejeci, ut inde ea emendare sit promptum. Levioribus autem, ut in quibus distinctiunculæ, accentus vel literæ mutatione, præpostera migratione, redundantia aut omissione, utinam non frequenter nimis, peccatum fuerit, pro Tua humanitate veniam, ut spero, largieris. Vale & fave.

AD

Eruditissimum & Optimum Virum,

E. FIGRELIUM, Histor. in Regia Acad. Ubsal. Professorem eximium, amicorum meorum facile principem,

CARMEN.

Illustres animæ: quas Dîs contermina virtus
Extulit, & celso titulis æquavit Olympo:
Dum vos æterni metas pertexitis ævi,
Nec vos fata manent sævis obnoxia Parcis,
Sive per Elysium vobis reptare Salictum,
Seu Phlegetontiacas alnis tranare paludes,
Seu superas habitare domos contingit, & astra;
Cernite cœlato vestros in marmore vultus,
Atquè Corinthiaco facies spirare metallo.
Sive hos Roma dedit, sive has posuere Pelasgi,
Cernite! Nam vestræ fuit hic non ultimus olim
Virtuti decretus honor; Dum Martia victo
Hoste triumfali Capitolia scandere curru,
Et pulcram Clariâ frontem velare coronâ,
Seu licuit gestare togas, & pacis Olivam
Felici tractare manu.
Magnus honor! sed qui labenti concidit ævo,
Et qui fatorum vario corrumpitur ausu.
Nam simulacra vorant subiti telluris hiatus,
Et rutilum mordax rodit rubigo metallum;
Sæpe etiam positas exurit flamma columnas,
Sæpe etiam statuas consumit sera vetustas.
Ast tamen hic reparatur honos, dum pene minantem
Exitium, mediisquè hærentem faucibus Orci

Excipit

Excipit auspiciis, ac fausto vindicat ausu
A fatis, priscumquè illi dum reddit honorem
EMUNDUS *Phœbi antistes; Magnæquè sacerdos*
Pallados: & fidus veræ virtutis amator.
Quem Musæ puerum blandis aluere Papillis,
Cujus & Aonio tinxerunt ora liquore.
Illustres animæ: tantum debetis honorem
EMUNDO, *quantum vobis vel fama superstes,*
Vel simulacra valent vestro tribuisse decori.
Vos igitur tales statuas, talesquè columnas,
Conservatori nunc famæ ponite vestræ;
Non quas livor edax, nec quas popularier ignis,
Nec quas exeso poterit rubigo metallo
Perdere, nec motus terræ, nec sera vetustas.
Sed quæ sint fati exsortes, elementaquè vincant,
Cunctaquè despiciant fessas in secula Parcas.

Scripsi

A. LILLIEHÖÖK.

L. B. in Naerpis.

INDEX

INDEX
Authorum, qui hoc in Opusculo laudantur.

Florus

Florus.
Franciscus Luisinus.
Fulgentius.
Fulvius Vrsinus.
GAgvinus.
Georgius Cedrenus.
Georgius Fabricius.
Glossæ Isidori.
Godeschalchus Stevvechius.
Goffridus Abbas Vindocinensis.
Gregorius Nazianzenus.
Guido Pancirolus.
Guilielmus Xylander.
HArpocration.
Hermannus Hugo.
Herodianus.
Hesychius.
Hieremias Propheta.
Hieronymus.
Hieronymus Magius.
Homerus.
Horatius.
Horus Apollo.
Hubertus Goltzius.
IAcobus Cujacius.
Iacobus Thuanus.
Iamblichus.
Ianus Gruterus.
Ianus Iacobus Boissardus.
Inscriptiones antiquæ.
Ioachimus Camerarius.
Ioannes Freinshemius.
Ioannes Heinrich à Pflaumern.
Ioannes Kirkmannus.
Ioannes Leonclavius.
Ioannes Menochius.
Ioannes Meursius.
Ioannes Sarisberiensis.
Ioannes Schefferus.
Iosephus Scaliger.
Iovianus Pontanus.
Irenæus.
Isaacus Casaubonus.
Isidorus.
Isocrates.
Iulius Cæsar.
Iulius Capitolinus.
Iulius Firmicus.
Iulius Hyginus.
Iulius Obsequens.
Iulius Pollux.
Iustinus.
Iustinus Martyr.
Iustus Lipsius.
Iuvenalis.
LActantius.
Latinus Pacatus.
Libanius.
Livius.
Lucanus.
Lucianus.
Lucillius.
Lucretius.
Ludovicus Carrio.
Luitprandus Ticinensis.
Lycophron.
MAcrobius.
Manilius.
Marcellus Iurisconf.
Marcellus Donatus.
Marcianus Iurisconf.
Marius Victor.
Marlianus.
Martialis.
Martinus Del rio.
Marsilius Ficinus.
Maximus Tyrius.
Mercurialis.
Minutius Felix.
Modestinus Iurisconf.
NIcetas Choniates.
Notitia Imperii.
ONuphrius Panvinius.
Ovidius Naso.
PAlæphatus.
Paulus Æmilius.
Paulus Diaconus.
Paulus Iovius.
Paulus Iurisconf.
Paulus Manutius.
Paulus Merula.
Paulus Silentiarius.
Pausanius.
Pedo Albinovanus.
Persius.

Petronius

Petronius Arbiter.
Petrus Crinitus.
Petrus Ilius.
Phædrus.
Phasianinus Palæphati interpres.
Philippus Beroaldus.
Philo Iudæus.
Philostorgius.
Philostratus.
Phlegon Trallianus:
Phornutus.
Photius.
Pierius Valerianus.
Pindarus.
Plato.
Plautus.
Plinius Historicus.
Plinius Nepos.
Plutarchus.
Polybius.
Polydorus Virgilius.
Pomponius Gauricius.
Pomponius Iurisconſ.
Pomponius Mela.
Porphyrio Horatii interpres.
Priſcianus.
Procopius.
Propertius.
Prudentius.
Pſellus
Ptolomæus.
Publius Victor.
Q Vintilianus,
R Aphael Volaterranus.
Ruffinus.
S Alluſtius Hiſtoricus.
Salluſtius Philoſophus.
Salluſtius de Bartas.
Salmaſius.
Scævola Iurisconſ.
Scholiaſtes Homeri.
Scholiaſtes Iuvenalis.
Seneca Pater.
Seneca Philoſophus.
Seneca Tragicus.
Servius.
Severus Sulpitius.
Sextus Aurelius Victor.
Sidonius Apollinaris.
Sigismundus Gelenius.
Silius Italicus.
Simon Majolus.
Solinus.
Sozomenus.
Spartianus.
Statius Papinius.
Strabo.
Suëtonius.
Suidas.
Symmachus.
Syneſius.
T Ertullianus.
Themiſtius.
Theocritus.
Theodoretus.
Theodorus Hœpingius:
Thomas Demſterus.
Tibullus.
Trebellius Pollio.
Turnebus.
Tzetzes.
V Alerius Flaccus.
Valerius Maximus.
Varro.
Vegetius.
Vellejus Paterculus.
Venantius Fortunatus.
Venulejus Saturninus Iurisconſ.
Virgilius.
Vitruvius.
Vlpianus Iurisconſ.
VVolfgangus Lazius.
X Enophon.
Xiphilinus.
Z Eno Veronenſis.
Zonaras.
Zoſimus.

EMUNDI

EMVNDI FIGRELII
DE STATUIS
ILLVSTRIVM
ROMANORUM
LIBER
SINGULARIS,
CAP. I.

Ingressus ad rem. Statua Etymon. Quid à simulacro, imagine, signo, differat. Græcorum circa hanc rem observatio. Fingendi artes apud Veteres quot, & quæ earundem differentia. Manutius & Salmasius conciliati, de Lectione vocis Scalpere, *apud Quintilianum.*



E Illustrium Romanorum Statuis, ritibusque circa easdem observatis, multa quidem sparsim apud bonos Authores, cognitu jucunda simul & utilia leguntur; Cœterum qui illud argumentum, ut cætera antiquitatis Romanæ, peculiari aliqua lucubratione dignatus sit, hactenus, quantacunque perquisiverim diligentia, reperi neminem. Cum itaque viderem, ferè prætermissam, aut nimis obiter tractatam ab Antiquitatum Romanarum indagatoribus esse rem, quæ haud exiguam lucem priscis simul ac recentibus scriptoribus posset affundere, cogitavi nec à munere meo alienum, nec esse curæ dispendium, pauca, quæ eo pertinentia ex veterum scriptis collegi, uno hoc veluti fasce complecti, atque publico dare. Non quod abstrusa nimis hæc sit & obscura scientia, sed quia latè sparsa, & per omnia ferè veteris ac propioris ævi monumenta diffusa, politioris literaturæ amatoribus, ad magis ardua properantibus, in investigando molestiam, nisi sub unum oculi ictum exposita, facessat. Vestigium itaque tantum ponam, cum totam viam decurrere non sit, nisi eorum, qui in salebricosum hoc indagandæ antiquitatis stadium, vires æquas & parem industriam afferre possunt. Ac ut ordine agam, nonnulla de statuis in genere præmittam, quò in cœteris fiat expeditior suscepti argumenti tractatio.

Statua igitur, ut ab origine vocis ordiar, dicitur à ſtatuendo. Aſcenſius ad illud Virgil. XI. Æneid. *Effigiem ſtatuêre id eſt, erexere*, inquit, *Vndè ſtatuæ dictæ quæ ſtatuuntur & ſtant*. Et ex eo frequens verbi *ſtatuere* in hoc negotio uſurpatio. Cic. I. Verrin. *Syracuſani ſtatuam poſtea ſtatuerunt*. Libanus Servus apud Plautum Aſinar. III. 3. *Siquidem mihi ſtatuam & aram ſtatuis*. Aut à ſtando. Hoc enim verbo crebrò utuntur boni Authores, cum de ſtatuis loquuntur. Horat. Satyr. 3. II.

——*Æneus ut ſtes*.

Valer. Flac. Argonaut. V.

Parvo de marmore juxta
Stat ſoror. & alii infiniti. Ex qua perpetua ſtatione natum adagium ἀκινητότερος ἀνδριάντος, *immobilior ſtatua*. quo uſus Eunapius in vita Maximi, & Lucianus Imaginibus. Item ſimiles aliæ locutiones hinc profectæ, cujuſmodi illa Apuleji in Apol. *Fixus in lapide ſteti gelidus, nihil ſecus quā una de ceteris theatri ſtatuis*. Et dictum illud celebre Phrynes, nobilis ſcorti Athenis, quæ cum Xenocratis Academici benè poti caſtitatem in lectum admiſſa corrumpere, ſed fruſtra, tentaſſet, & ab ea, propoſiti jam irritâ, pactum victoriæ precium juvenes, quibuſcum pignus poſuit, flagitarent; *De homine ſe cum iis, non de ſtatua pignus poſuiſſe reſpondit*, ut Valer. Max. IV. 3. extern. 3. proditum reliquit; Et confirmat. Diog. Laërt. lib. IV. in hujuſce Philoſophi vita Nec longe aliter intelligi debet Epigramma Auſonii XLIV. quo Ruſum ineptum Rhetorem in ſtatuâ ejus luſit hoc modo.

Rhetoris hæc Rufi ſtatua eſt, nil verius ipſâ,
Ipſa adeò linguam non habet, & cerebrum.
Et riget, & ſurda eſt, & non videt. Omnia Rufi.
Vnum diſſimile eſt; Mollior ille fuit.

Statuæ verò dicebantur aliàs apud veteres promiſcuè *Simulacra, imagines, ſigna*. Triplicem certè iſtam appellationem, uni rei accommodat Cic. uno in loco. Orat. pro domo ſua, ubi de Tanagrææ meretricis ſtatua, quam libertatis nomine P. Clodius, poſtquam Ciceronis exulis domum evertiſſet, & religione obligaſſet, in eâdem collocavit. Simulacrum appellat cum dicit: *Tanagræa quædam meretrix fuiſſe dicitur, ejus non longè à Tanagris ſimulacrum è marmore in ſepulcro poſitum fuit*. Tum ſignum, his verbis. *Signum de buſto meretricis, Ornamentum Sepulcri ablatum iſti*

dedit. Et deinceps Imaginem. *Hanc, inquit, Deam quisquam violare audeat, imaginem meretricis, Ornamentum sepulcri?* Sic & apud alios complures, isthæc nomina & significationes eorundem sæpissimè confunduntur. Subest nihilo minus discrimen haud exiguum. Quod ut clarius pateat, ejus in universum præcipuas notas pono tres. Ita ut existimem aut à conditione eorum, quorum similitudo refertur, aut à materie, aut denique à forma, modòque operis, judicium fieri debere, quâ unum quodque appellatione propriè sit nuncupandum. Video primo hanc differentiam observari, ut simulacra sint Deorum; Nam Latini præcipuè utuntur *simulacri* voce, ubi εἴδωλα dicunt Græci, non obscuro argumento, magis propriè eo, quàm alio quovis nomine appellari eas statuas, quibus cultus aliquis & religio impenditur. Nec alio respectu statuas à simulacris secrevit Suetonius Iul. Cæs. Cap. LXXVI, ubi nimios ejus honores recensens, de eo dicit, quod decerni sibi passus fuerit, *Statuam inter Reges, simulacra juxta Deos.* Aliàs dicuntur simulacra & hominum, & brutorum & aliarum rerum inanimatarum, quarum referunt similitudinem; Simulacrum enim à Similitudine deducitur, *Simulacra* inquit Isidor. Origin. VIII. II. *Nuncupantur vel pro eo quod sunt similia, vel pro eo quod simulata atque conficta, unde & falsa sunt.* Statuæ verò sunt Deorum & hominum tantum. Signa Deorum, hominum, & brutorum. Ideoque Cic. Verr. IV. differentiæ causa Signorum quædam profana appellat. Circa hanc rem tamen expeditior aliquanto est Græcorum observatio. Et quanquam illorum antiquissimi Ἀγαλμάτων h. e. *Ornamentorum* communi voce simulacra & statuas vocarint, quemadmodum & Homerus omnia templorum ornamenta appellat; sequens vero ætas pro statuis cujusvis generis est interpretata; Attamen qui ex iis accuratius vim indolemque dictionum expendunt, statuas quæ Diis fiunt, εἴδωλα vocant, quæ Heroibus, ξόανα sculpta seu scalpta simulacra; quæ regibus, ἀνδριάντας, propriè statuas virorum; quæ sapientibus δείκελα, simulacra; quæ bene meritis viris, βρέτεα· παρὰ τὸ βροτῷ ἐοικέναι. vid. Brodæum Annot. in Epigr. Græc. lib. IV. Licet non obstante hoc grammaticorum acumine, ut ξόανα non semper effigiem habebant, sed quasi symbola quædam erant, per quæ Dii, aut Heroes colebantur, cujusmodi fuit dedolatus stipes, qui pro Iunone apud

Thespios colebatur, & Tabella, quam pro sua Iunone Samii venerebantur, item hasta pro Marte, & stipes pro Termino à Romanis cultus; Ita neque βρέτας de sola hominis effigie dici poterat, quanquam Etymon hoc suadeat; sed de omni eo, quod esset βροτοειδὲς, & humanâ formâ coleretur; ita ut Deorum simulacra quoque βρέτεα appellarentur. Erant enim Dii plerique βροτοειδεῖς, postquam ξόανα in usu esse desierunt, ut notat Heinsius in notis ad Silii lib. VIII. Si materiem spectamus, plerumque usus obtinuit, ut statuæ & signa, non dicantur nisi quæ ex solida materie constant; puta ex metallis, marmore, ebore. Sic aurearum, argentearum, æ rearum & marmorearum statuarum, creberrima fit mentio apud authores passim. Ex ebore simulacrum statuam appellat Sueton. Tit. Cap. II. Signa vero ærea & marmorea nominat Varro de R.R. III. 2. Eburnea Plinius XXXIV. 8. & XXXVI. 16. Et Cic. Verrin. II. *Nego*, inquit, *Signum ullum; æneum, marmoreum, eburneum fuisse, quin quæsierit, inspexerit, quod placitum sit abstulerit* Simulacra non tantum illa dicebantur, quæ ex solida, sed & quæ ex quacunque alia molli, levi fragilique materie fiebant. Sic Argæos ex Scirpo factos Ovidius V. Fast. Simulacra non signa aut statuas vocat, ubi ait,

Tunc quoque priscorum virgo simulacra virorum
Mittere roboreo, scirpea, ponte solet.

Et Varro de L. L. *Argæi fiunt ex scirpeis virgultis, simulacra sunt hominum.* Rem ipsam, si lubet, pete ex Dionys. Halicarn. lib. I. Plutarch. in Problem. Macrob. I. Satur. &c. De Fictilibus Plinius XXXV. 12. *Durant etiam nunc plerisque in locis talia simulacra.*

Imagines verò, quanquam non rarò dicuntur, quæ ex metallo & marmore sunt. Vt apud Cicer in Orat. legimus *Demosthenis imaginem ex ære vidi.* & ap Tacit. Agricol. *Non quia intercedendum putem imaginibus, quæ marmore aut ære finguntur, sed &c.* itemque in Inscript. Veteri Romæ, in qua IMAGINES ARGENTEAS leges. Tamen propriè imago est, quæ vel è cerâ exprimitur, vel coloribus & picturâ repræsentatur. Observat hoc discrimen Beroaldus comment. in Apul. Milef. II. dicitque statuam propriè lapideam esse, sive æneam, & ex quacunque materie solidiore, imaginem verò ceream vel pictam. Et hoc sen-

su

ſu cereas imagines opponit ſignis Plinius XXXV. 2. cum dicit. *Apud Majores noſtros in atriis hæc erant, quæ ſpectarentur, non ſigna externorum artificum, ærea aut marmorea; Expreſſi cerâ vultus ſingulis diſponebantur armariis, ut eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera.* Sic & ibidem imagines pictas, opponit argenteis æneiſve ſtatuis. *Adeo,* inquit, *materiam malunt conſpici omnes, quam ſe noſci.* Quod operoſius probarem, niſi jamdudum provocatum eſſet, imagines potiſſimum pro cereis aut pictis accipi. Quæ verò alia imaginū genera, quibus in rebus exprimi ſolerent, infrà breviter à me notatum eſt. Tertiam diſcriminis notam poſui modum formamque operis. Atque ita Statuas interpretor, quæ undique integræ & ſolidæ cernuntur, & à materie, ex qua factæ ſunt, disjunctæ, quaquaverſus ſpectentur, naturæ opus æmulantur.

Signa verò interdum dicuntur, quæ aliqua ſui parte, in eadem hærent materia, è qua educta ſunt, tantumque ſui corporis oſtendunt, quantum uno aſpectu cerni poteſt. Vide Ald. Manut. in De quæſit. per Epiſt. III. 5. Cujuſmodi ferè illa, de quibus Ovid. IV. de Ponto;

Signa quoque in ſella noſſem formata curuli,
Et totum Numidæ ſculptile dentis opus.

Et Virg. V. Æneid.

——— *Hoc munus habebis*
Craterâ impreſſum ſignis.

Item Statius III. Sylv. in Hercule Surrentino
——— *Signis creſcit torus aſper eburnis.*

Ad cujus rei meliorem intellectum, ſciendum eſt diverſas fuiſſe veterum fingendi artes. Plin. XXXV. 12. ex Varrone, Tres Species Plaſticæ, ut antiquiſſimæ matri ſubordinat, Statuariam, Scalpturam, & Cœlaturam. Vbi tamen notandum eſt Statuariam & Cœlaturam, non aliter à Scalptura differre quam partes à toto. Nam ſcalptura duas reliquas complectitur. Scalpendo enim & ſtatuæ fiunt & cœlata opera. Vt notat idem Doctiſſ. Aldus Manut. in de quæſit. per Epiſt. III. 9. Scalpturæ & cœlaturæ differentiam à materie, petit Quintilianus II. 21. *Et cœlatura,* inquit, *quæ auro, argento, ære, ferro, opera efficit. Nam ſcalptura lignum, ebur, marmor, vitrum, gemmas, præter ea quæ ſupra dixi, etiam complectitur.* Vbi rurſus ille cœlaturā ſcalpturæ partem facit, oſtendique vult cœlaturam omnem ſcalpturam eſſe, non contra.

Siquidem horum verborum Cautione, *Præter ea quæ ſupra dixi*, innuit, non in ſola illa materie occupari ſcalpturam, ſed ſibi etiam aurum, argentum, & reliquam cælaturæ materiem vindicare, non contra. Nec obſtant Poetarum in re adeo intricata locutiones. Virgil. cælari lignum dixit Ecclog. III.

pocula ponam
Fagina, cœlatum divini opus Alcimedontis.

Statius Marmor Sylvar. IV.

Laboriferi vivant quæ marmora cælo,
Praxitelis.

Etenim ipſis condonandum eſt, ſi interdum paulo à genuino verborum ſignificatu deflectant. Placet hic audire noſtri Manutii judicium, qui cum à materie ſola commode non poſſit, à forma ſubſidium emergendi quærit ex his tenebris. Opinor, ait, loco citato. Cœlata opera dici à veteribus, quæ vel in materia plana, vel in tumida, vel in convexa ita fiunt, ut in ipſa materia, quæcunque ſit hæreant, & aliqua parte promineant. Scalpta verò, quæ vel integra undique & ſolida cernuntur, ex quacunque materia ſcalpendo facta, quo in genere ſunt ſtatuæ; vel in cavo depreſſa, neque ſolidam exprimunt effigiem, neque integram ab omni latere oſtendunt, ut ſigilla. Nam ſi ſcalptura in ſtatuis tantum verſaretur, non dixiſſet Plinius Plaſticen matrem eſſe ſtatuariæ, ſcalpturæq; & cælaturæ. Porro & hoc in tranſcurſu notandum eſt diverſam eſſe lectionem doctorum, in hoc modo allato Quintiliani loco: Nam ubi Manutius *Scalptura*, ibi Salmaſius *Sculptura* legit. Quemadmodum in illo Ciceronis loco Acad. Qu. 4. pro *ſcalptus è ſaxo*, vetus codex legit, *ſculptus*. Nolo hoc in loco criſin inſtituere. Sed quia hinc occaſio aliqua emanat melioris intellectus eorum, quæ ad præſens negotium ſpectant, illam varietatem ut lucro ſit nobis, breviſſimè contemplabimur. Sculptura & Scalptura origine & ſignificatione idem ſunt, ſed loquendi conſuetudine planè diverſa res. Quod ſculpitur, figuras relinquit extantes & ectypas. Vndè Sculptilia pro Idolis & ſimulacris in ſacris literis prohibita: Scalptura vero figuras deprimit, & ſulcos lacunaſve cavatas in materie relinquit, quod tamen proprie ad gemmas pertinet, ſed contra hunc ſenſum vocabulorum hodiernus uſus invaluit, qui ſculptum dici vult, quicquid cavatur. Adeoque hanc ſignificationum vocum-

que

que confusionem & varietatem inde provenisse suspicari licet, quod contra veterum codicum testimonia, quibus *sculpendi* vox sæpius legitur, Grammatici nonnulli, & Diomedes inprimis contendat *Sculpere* latinum non esse, & *scalpere* pro eo legendum. Sed quicquid in his minutiis agant Critici, illud certum est statuas non incommodè *Sculpi* easdemque *scalpi* solere dici, si ad idoneam materiam probè attendas.

CAPUT II.

Diversa statuarum genera. Deorum, Hominum, Brutorum, Rerumque inanimatarum: Imò verò earum, quæ non existunt. Cur simulacra Deorum antiquitas Formâ humanâ finxerit. Ægyptiorum Dii ferinâ specie. Causa ejus rei.

UT plenius hæc intelligantur, præcipua statuarum genera distinctius aliquanto hic dabo. Quod ut fiat, sciendum est ante omnia & universim, in statuis duo consideranda esse. Vnum quod *significatur*, alterum quod *significat*. Si primum attendimus, multa & varia statuarum genera in veterum monumentis occurrent. Nam aliæ erant *Deorum*, quod ex sacris literis & profanis scriptoribus manifestum est adeo, ut cum hoc non agimus, testimonia adducere ineptum plane & supervacaneum videatur. Aliæ *hominum*, de quibus deinceps abundè patebit ex hoc labore nostro, quem illi rei unicè sacravimus. Aliæ quoque erant *brutorum*, *Quadrupedum*, *Avium*, *Piscium*, *Insectorum*, vid. Plinium lib. XXXIV. & XXXVI. Pausaniam passim. Antholog. Græc. lib. IV. & alios, cum Latinos tùm Græcos, Historicos & Poëtas. Aliæ denique *rerum inanimatarum*, cum *corporearum*, tum *corpus non habentium*. Corporeas dico, cujusmodi sunt Elementa, de quibus vid. Prudent. Lib. I. in Symmach. & Lactant. divin. Instit. II. 6. *Terra*. Pausan. in Attic. *Mare*, Florileg. Græc. IV. II. *Flumina*. ut *Eurotæ* ap. Plin. XXXIV. 8. *Nili*. ap. Pausan. In Arcad. Chrysæ ap. Cic. verr. IV. *Phasidis*, *Enipei*, & *Inachi* ap. Valer. Flacc. Argonaut. V. Tum *Regiones*, ut *Græcia* vid. Plin. d. l. & *Hispania* vid. Goltz. in numm. August. Cap. X. num. 5. *Nationes item*, & *Gentes* & *Vrbes*. Sic apud Plin. XXXVI. 5. memoratur.

Coponii opus XII. nationes, quæ ſunt circa Pontum. & de Simulacris gentium meminit, Suet. Ner. c. XLVI. Tradit quoq́, Servius porticum ab Auguſto factam, in qua omnium gentium ſimulacra collocaverat; quæ porticus deinde eam ob cauſam appellata fuit, *Ad nationes*. Meminit etiam talium Dio. Caſ. l. LVI. ubi de exequiis Auguſti, quibus ornandis adhibebantur; Et deinceps in Funere Pertinacis lib. LXXIV. Ejus generis fuit illa Rhodiorum civitatis ſtatua, quam Artemiſia fieri curavit, ut narrat Vitruv. Archit. II. 8. Et illæ urbium terræ motu ſubrutarum, atque à Tiberio reparatarum, quas ideo illi una cum Coloſſo erexere in Romano foro Aſiani, teſte Phlegonte Trallian. Mirabil. c. XIII. In hoc autem cenſu prima eſt urbs Urbium Roma, cujus plures olim ſtatuæ collocabantur; Unam in domo Cæſiorum vidiſſe ſeſe in Roma ſua c. II. teſtatur. G. Fabricius, cum inſcriptione, ROMAE VICTRICIS. Præterea, ut dixi fuere & *rerum incorporearum*, ut *virtutum aliarumq; expetendarum rerū*. Sic Auguſtus, *Concordiæ*, *Paci* & *Saluti Publicæ* ſtatuas poſuit. ut Dio. Caſſ. tradit l. LIV. ſimulacri *Felicitatis* mentio fit ap. Suet. Tiber. cap. V. Coloſſum *virtutis* Euphranoris opus recitat Plin. XXXVI. 8. *Et aliarum rerum ſine numero, Temporum, Occaſionis, Riſus, Mortis, Somni*, vel quidquid monſtrorum finxerunt Plaſtæ & Poëtæ. Quibus non malè convenit illud Artemidori Oneirocr. I. 53. *Plaſticen exercere, & buxum tornare, & ſculpere, & ſtatuas facere, bonum eſt mœchis & Rhetoribus, & falſariis, & omnibus fraudulentis hominibus, propterea quod hæ artes, ea, quæ non ſunt, velut vera & exiſtentia oſtentent*. Atque hoc modo ſtatuarum plura eſſe genera videmus. Si vero alterum illud in ſtatuis conſiderare velimus, nimirum *id quod ſignificat*, hoc eſt, ſtatuas ipſas & earum externam ſpeciem formamque; quæ primum in oculos incurrit; videri poſſunt in univerſum ad duas claſſes redigi poſſe, ut una ſit earum, quæ *humanã ad ſimilitudinem factæ ſunt* Altera earum, *quæ bruta repræſentant*. Nam cum ſtatua propriè non ſit, niſi ſimulacrum corporis viventis. Nec ex genere viventium plura corpus habeant, quam homo & bruta, neceſſe eſt unamquamque rem, quæ ſtatuis exprimenda uſquam fuit, alterutram horum ſpeciem & figuram referre. Hominis ſtatua hominem refert, Brutum bruti. *Nec*, ut Arnobius ait VI. adverſ. gent. *rectum eſt appellare ſimulacrum, quod non pariles lineas principali ab ore traducat*. Deos itaque antiquitas, quos præci-

pue

pue simulacris effingere instituit, cum ipsi nec corpus nec formam haberent, similitudine hominum plerumque effigiabat; tàm selectos & Majorum gentium, qui semper cœlestes habiti sunt, utpote, Ianum, Saturnum, Iovem, Mercurium &c. quam Indigetes, qui ob merita in cœlos vocati, ex hominibus Dii facti sunt; Quales, Hercules, Faunus, Carmenta, Castor, Pollux, Evander, Quirinus. Tàm illos, propter quos dari ascensum in cœlos, Cic. 2. de ll. dicit, ut sunt Mens, Pietas, Virtus, Fides; Quàm eos, quos Platonici, & Apulejus lib. de Deo. Socr. Visibiles appellat, Solem nimirum Lunam & cætera sidera, quæq; his annumerari possunt. Cur autem forma hominis hic magis placuerit, quam alia quævis, præter ea quæ modo dicta sunt, aliæ rationes fuerunt. Nam de Diis Indigetibus non obscurum est, maluisse paganos retinere illam eorum formã, quâ spectabantur, cum viventes ea gererent, ob quæ post mortem in Deorum numerum adsciscerentur, quàm aliam quamcunq;. De Diis autem in universum causæ plures attexuntur. Quarum præcipua est, quod nullum corpus, præterquam hominis, existat pulchrius ac dignius cui assimilentur. In illo enim solo scientia & ratio, & sermo tanquam in domicilio suo habitant, quæ hominum etiam sunt communis cum Diis virtutes ac notæ. Cujus præter alia meminit Cic. 1. de N. D. *Non deest hoc loco copia rationum quibus docere velitis humanas esse formas Deorum. Primum quod ita sit informatum anticipatumque mentibus nostris, ut homini, cum de Deo cogitet, forma occurrat humana. Deinde ut, quoniam rebus omnibus excellat natura Divina, forma quoq; esse pulcherrima deceat, nec esse humanâ ullã pulchriorẽ. Tertiam rationem affertis, quod nulla alia figura domiciliũ mentis esse possit.* Accessit licentiosa Poëtarum authoritas, & confidentia artificum. Cotta Academicus apud eundem Cicer. loco laudato. *Quis*, ait, *tam cæcus in contemplandis rebus unquã fuit, ut non videret species illas hominũ collatas in Deos aut consilio quodam sapientium, quo facilius animos imperitorũ ad Deorum cultum à vitæ pravitate converterent; aut superstitione, ut essent simulacra quæ venerantes, Deos ipsos se adire crederent. Auxerunt autem hæc eadem Poëtæ, Pictores, Opifices. Erat autẽ non facile agentes aliquid, & molientes Deos in aliarũ formarum imitatione servare.* Confirmat id ipsum Plut. l. de Hom. *Ausus est etiam*, inquit, *Diis hominum formas affingere.* Et deinceps Eleganter. *Quoniam vero Poësis Deos requirebat agentes aliqua, ut sensibus quoq; objiceret, quæ de iis dicebat, corpora illis affinxit, Et quia nullum corpus excepto humano, sermone ac scientia*

præditum esse potest, itaque singulos Deos hominibus assimilavit. Porro magnitudine & Pulchritudine eos exornans, simul hoc quoque ostendit, imagines & simulacra Deorum humanâ formâ expressa ac dedicata esse propterea, ut etiam qui minus sapiunt, Deos eſse admonerentur. vid. & August. de C. D. VIII. 23. Hinc variæ in illis expressæ hominum ætates, aliæque affectiones. Lucian. περὶ θυσιῶν. *Formas Deorum exprimunt, adhibito ad id vel Praxitele, vel Polycleto, vel Phidia; At hi quidem artifices, haud scio ubinam visam eorum effigiem repræsentant. Ac Iovem quidem barbatum fingunt, Apollinem verò semper puerum. Mercurium jam pubescentem, primamque ducentem lanuginem, Neptunum nigro capillitio, cæsiis oculis Minervam.* Et habitus ac vestitus varii. Cic. *Iovem, Iunonem, Minervam, Vulcanum, Apollinem, reliquos Deos ea facie novimus, quâ pictores fictoresque voluerunt; neque solum facie, sed etiam ornatu, ætate atque vestitu.* Macrob. in Somn. Scip. I. 2. *Antiquitas*, ait, *imagines & simulacra formarum talium prorsus alienis, & ætates tam incrementi quàm diminutionis ignaris, & amictus ornatusque varios corpus non habentibus assignavit.* Dixi Deos hominum specie effingi, sed plerumque, non semper. Nam & sæpe Brutorum formâ facti. Minutius Felix, Octavio. *Leonum & canum vultu Deos dedicatis.* Arnob. VI. Advers. gent. *Inter Deos videmus Leones torvissimâ facie.* Fecere id maximè Ægyptii. Pompon. Mela I. 5. *Ægyptii colunt effigies multorum animalium.* Et Iuvenal. Sat. XV.

Effigies sacri nitet aurea Cercopitheci,
Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ.

Sic Feles Ichneumones, accipitres, Lupi, Boves & id genus alia pro Diis apud eos sacrantur. Causam Lucianus loco adducto indicat, sed fabulosam, quod nimirum, cum quondam Dii, gigantum seditione territi in Ægyptum fugâ devenissent, ut illic in posterum tuti ab hostibus laterent, eorum alius hircum induerit, alius arietem, alius feram, alius avem. Quod ipsum & Naso Metamorphos. V. refert.

Delius in corvo, proles semeleia capro,
Fele soror Phœbi, nivea Saturnia vacca,
Pisce Venus latuit, Cyllenius Ibidis alis.

Atque hinc esse, quod deinceps eas Dii retinuerint formas, quas id temporis adsumpserant. Eandem tradit Diodorus Siculus Biblioth. I. qui præterea alias complures addit, à veritate

rei

rei propius remotas, vid. cap. 86. 87. & seqq. ubi eas eleganter & abunde exponit, ne alibi quærere necesse sit. Videsis & Plin. XXVIII. 10. Philon. Iud. de decalog. & infinitos alios. Egregiè Athanasius orat. contra Idolat. *Quàm aliam diis*, ait, *sculptores indidere formam, quàm virorum & fœminarum rerumque adhuc inferiorum, nimirum brutorum, animantium, avium cujuslibet generis, quadrupedum partim cicurum, partim indomitarum, reptilium, & quidquid vel terra vel mare aut universa aquarum natura producit. In feras n. indomitasque libidines, & affectus dejecti mortales, nihilque nisi voluptates & carnis concupiscentias ob oculos ponentes, prout brutis illis rebus irrationalibusque mentem occuparant, ita in Bruta pecudumque species imaginem numinis contulerunt, pro multiplici diversitate suorum affectuum numinum formas configurantes.* Quidquid itaque nec ad humanam nec ad Brutorum formam factum est, neque statua aut simulacrum vocari recte potest. Quamobrem hastas & stipites, & informes lapides, aliosque id genus ἀμόρφους θεοὺς, quos coluit cæca gentilitas, sæpè quamvis impiè Deos, at nunquam nisi valde ἀκυρῶς simulacra vel statuas vocari videmus. Erant quidem aliæ Ægyptiacorum Deorum statuæ monstrosæ diversorum animalium membris in unius simulacri figuram habitumque commistis. De quibus Lucian. ante loco adducto. *Si in Ægyptum proficiscaris, ibi demum, ibi videbis permulta religiosa planèque cœlo digna; puta Iovem arietino vultu, Mercurium illum optimum facie caninâ.* Sed quas ad harum alterutram classem, haud absurde referre possis, sive ex membrorum principatu, sive ex Deorum ipsorum natura, aut consilio. τῶν θεοποιῶν τῶν id ipsum æstimare mavelis.

CAPUT III.

De statuis Astrologicis. Vnde illa vanitas. στοιχειωματικοί. *Statuæ Magicæ aliæ. Quid virium creditum eas habere. Forma earundem. Quibus modis procurata per eas maleficia. Simulacra cur multi secum circumgestarint. Statuæ fatales urbium & populorum. Arte interdum & industriâ hominum procuratus in statuis motus.* Αὐτόματα *varia.* Νευρόσπαστα. *Sonus arte itidem nonnunquam elicitus.*

FVit & præter vulgares has statuas aliud genus quod haud ineptè forsan ab effectu prodigiosum appellaverimus. Quo in

genere primum locum tenent statuæ Astrologicæ, Τιπλεσμάτας Græci dicunt, certa quadam arte ita formatæ, ut ad incantationes & miranda opera permulta vim magnam habere à vanis & superstitiosis, dæmonumque illusione vexatis hominibus crederentur. In quarum confectione & usu observabant Magi, ut dies horasque idoneas eligerent, cœlumque & stellarum cursus inspicerent, eoque illas attemperarent, haud aliter illas cœlestis influentiæ capaces fieri arbitrantes. Veteres enim Magi hoc tanquam immoto fundamento usi sunt, quod crederent cœlestium corporum & terrestrium συμπάθειαν quandam naturalem & concordiam esse tàm arctam, ut quicquid per imagines & characteres ipsi perficerent, id proficisci ex virtute quadam imaginibus illis communicatâ ab astris, quæ huc advocabant, planè sibi persuasum haberent. Psellus ubi exponit λόγια Ζωροάστρου hac de re sic loquitur. *Magicas verò rationes sic constituunt à summis potestatibus, & à terrenis materiebus. Compati ajunt, supera inferis & præsertim sublunaria.* In quam sententiam multi illustres Philosophi descendere, Ptolomæus, Aphrodisæus, Porphyrius aliique Platonici. Et recentiores, Pomponatius, Mizaldus, Ficinus, qui fabricationem illam imaginum planetariam ex Plotino & Arabibus tradidit in lib. de vita cœlitus producenda. Hanc tamen Insaniam præcipuè insaniebant Arabes & Ægyptii, ut hoc de illis testatur & totam hanc rem clarè aperit ipse Marsilius Ficinus, libro memorato, c. 20. *Arabes*, inquit, *& Ægyptii, tantum statuis & Imaginibus attribuunt, arte Astronomica & Magica fabricatis, ut spiritus stellarum in eis includi putent. Spiritus autem stellarum intelligunt alii quidem mirabiles cœlestium vires, alii verò Dæmones, etiam Stellæ hujus illiusvè pedissequas. Spiritus igitur Stellarum, qualescunque sint, inseri statuis & imaginibus arbitrantur, non aliter ac Dæmones soleant humana nonnunquam corpora occupare, perque illa loqui. Similia quædam per imagines facere stellarum Spiritus arbitrantur.* Ex quo licet intelligere, quid sibi velint illæ stellæ, quas haud raro in Obeliscis Ægyptiis videbis prope statuas has astrales incidi, apposito simul altari, quod in Obelisco Romano, quem Innocentius X. ante hos sex septemve plus minus annos restitui, & in medio Circi Agonalis erigi curavit, deprehendes. Vt nimirum indicetur simulacra ista vim suam omnem & potestatem ab Astris haurire, & astrologicâ arte, ritibusque sacris, quos altaris forma

apposita

appoſita indicat, conſecrari debere, quo vitalis influxus, per aſtra, & Genios aſtrales in illa derivetur, ut latius id oſtendit in hoc ipſo Obeliſco Pamphilio, ille Ægyptiæ Hieroſophiæ ſacerdos ſummus Athanaſius Kirckerus.

Appellabantur verò à Græcis artifices talium στοιχειωματικοὶ, στοιχεῖον enim quanquam Græcè ſit Elementum, eo tamen utuntur Aſtrologi pro imagine ſeu forma aliqua certa, ut cum οὐράνια στοιχεῖα, Imagines cœleſtes dicunt. Erant porro aliæ quædam ſtatuæ, vel potius ſtatunculæ ſive imagines per certos ritus & carminum admurmurationes à Magis ita præparatæ, ut ſimiliter mirabiles ederent effectus. Apud Horat. Epod. lib. Oda ult. ita Canidia Saga. *Movere cereas imagines,*

Vt & ipſe noſti, curioſius, & polo

Deripere lunam verſibus poſſum meis.

Vtebantur verò iis Magi ad Defixiones ſeu Devotiones partim hoſtiles. Nam putabantur poſſe cruciatus morboſque immittere quibus libêret, & mortem inducere. Partim benignas, cum crederentur morbos curare, inſidias avertere, adverſus inimicos, valere, & futura prædicere. Partim Eroticas ſive amatorias, quibus amorem conciliarent, cogerentque eo furere & ardere devotos, & quæ ſunt ejus generis alia fermè incredibilia. In earũ numero forte cenſenda eſt illa Pelichi apud Lucianum Philopſeude, quæ morbos immittere & abigere potuiſſe dicitur. *Novi ego*, inquit Eucrates, *quantum valeat, hæc quam tu rides ſtatua; Annon ejuſdem eſſe putas immittere febres in quos voluerit, quandoquidem potis eſt ejicere?* Item illæ de quibus narrat Gagvinus l. VII. in vita Philippi Huttini. Vxor enim Enguerrani cujuſdam, Quæſtoris Gallici, qui ærarium expilaverat, cum de mariti jam in carcerem compacti ſalute deſperaret, ad magicas artes converſa, Pavioto quodam malefico & Clauda muliere ad id facinus opem ferentibus, cerea quædam ſimulacra àd Regis Ludovici Huttini & Caroli Valeſienſis formam dæmoniaca arte confici curavit, qua languentium ſpeciem præ ſe ferrent. Ad horum ſimilitudinem, niſi mala ſors prodita fuiſſet, Rex ipſe & Carolus conficiendi macie ſenſim erant, ex definita ad tempus morte conſumendi. Inſidiis reſiſtere, & futura prædicere putabatur illa Neronis imaguncula apud Suetonium. Nerone. Cap. LVI. *Ieunculam puellarem cum quaſi remedium inſidiarum à plebejo quodam & ignoto, muneri*

muneri accepisset detectâ confestim conjuratione pro summo numine trinisque in die sacrificiis colere perseveravit: Volebatque credi monitione ejus futura praenoscere. Pro imagine amatoria accipi Æneæ illam effigiem posse, de quâ Virgil. Æneid. IV.

Effigiemque thoro locat, haud ignara futuri.

non dubitat, ad illum locum Ascensius. Nam cum Didoni sententia staret perfidum Æneæ amorem morte suá vindicare, ut sollicitudinem Annæ sororis falleret, artibus magicis simulabat se Æneam ad se allicere velle: Inter Philtra igitur illa & ἀγώγιμα, quæ ibi recensentur, mentio fit effigiei Æneæ. Quanquam non ignorem in alium quoque sensum hæc trahi à Servio. Fiebant verò isthæc simulacra ex omni quidem, sed potissimum vili materia, limo, luto, argilla, lana, cera, ligno, ut ex sequentibus authorum locis patebit. Eamque Magi superstitiosa sollicitudine exquirebant, ne fortuitò oblatam in hoc valuisse putes; & sedulò curabant, ut occultâ fabricâ, quicquid molirentur, fieret. Apulejo Magiæ criminis accusato ab adversariis tale quid objectum ipse in Apologia meminit. *Vnde etiam*, ait, *crimen ab illis, cum Pudentillæ literas legerent*, *de cujusdam sigilli Fabricatione prolatum est, quod me ajunt ad Magica maleficia, occultâ fabricâ, ligno exquisitissimo comparasse.* Formam autem similem fecêre; si poterant, iis, quos defigere volebant. Ioh. Salisberiensis lib. 1. cap. 11. *vulticoli sunt* ita pro *vultricolis* legendum censet. Mart. Delrio. & quidem rectè, *qui ad affectus hominum immutandos, in molliori materia, cerâ vel fortè limo, eorum quos pervertere nituntur, effigies exprimunt.* Nisi quod speciem ipsis dederint ad horrorem plerumque, ut horrendæ arti convenit, compositam; pro ratione scilicet ac modo mali, quod accelerare cuiquam vellent. Apulejus loco memorato. *Tertium mendacium*, inquit, *vestrum fuit, macilentam vel omninò evisceratam formam divi cadaveris fabricatam prorsus horribilem & larvalem. Quod si compertum habebatis adeò evidens signum Magiæ, cur mihi, ut exhiberem, non denunciastis?* Cum itaque lædere quemquam cuperent, variis modis, ipsas imagines affligebant, certi eadem tormenta, tabem, interitum eos manere, quorum in imaginibus isthæc designarentur. Interdum namque eas malefici leguntur acubus pupugisse. Ovidius Epist. Hipsypeles, de Medeâ.

Devovet absentes simulacraque cerea fingit,

Et miserum tenues in jecur urget acus.

Interdum si mollior imaginis esset materies, durasse, si fluidior, liquasse igni. Virgilius Pharmaceutria. de statuis argillaceis & cereis.

Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit,
Vno eodemque igni, nostro sic Daphnis amore.

Et Horat. Sermon. lib. I. sat. 8. de cerea imagine, quàm igni Saga admovit, *Quid memorem*, inquit, *quo pacto*

Imagine cerea
Largior arserit ignis?

Sic de Pavioto Mago, præter ea, quæ de eo ex Gagvino jammodò attulimus, refert Paulus Æmilius. lib. VIII, de rebus gestis Francorum quod simulacrum cereum Regis, levi igni admoverit, ut eo paulatim liquescente, perinde sensim ac lenta tabe Rex deperiret. Nonnunquam prodùntur in similes usus vinxisse compedibus imagines, & clavis earum corda, brachia, crura, ac totum denique corpus transfixisse. Exempla qui volet, petat ex Nicetâ Choniate de Arone Mago. Item ex Martino Delrio Disquis. Magic. lib. III. part. I. Quæst. 3. Sect. 4. & 5. Piget enim amplius horrenda hæc Magorum arcana scrutari. Quod hæc adduxerimus, ideo factum est, ne, quod sciri honestè & piè de hoc statuarum genere posset, intactum à nobis præteriretur. Peculiare tamen est, quod adhuc notandum occurrit, nempe quod aliquando, non solum ejus, quem infestare vellent, sed & suam una fingerent imaginem, apponerentque Magi, attamen habitu & forma tali, unde malum timeres. Apud Horatium laudato loco, in apparatu Sagarum Canidiæ & Saganæ, duarum fit statuarum mentio, quarum una, Cerea videlicet, supplex parva, & miserabilis, tanquam datura pœnas referret maleficio imbuendum: Altera verò lanea major & potentior, Magæ in affligenda altera vices sustineret. Sic enim ibi Poëta.

Lanea & effigies erat altera Cerea: major
Lanea, quæ pœnis compesceret inferiorem.
Cerea suppliciter stabat servilibus utque
Iam peritura, modis.

Interim & sigilla Deorum nonnunquam ad Magicas has vanitates usurpata accipimus. De Mercurii sigillo, quo in aqua conspecto puer vaticinabatur, Apulei itidem in Apolog. testimonium

nium habemus. *Memini, inquit, apud Varronem Philosophum, virum accuratissimè doctum atque eruditum, cum alia hujusmodi, tum hoc etiam legere, Trallibus de eventu Mithridatici belli magica percontatione consulentibus, puerum in aqua simulacrum Mercurii contemplantem, quæ futura erant, sexaginta versibus cecinisse.* Cæterum ex hac impia superstitione fluxisse & illum morem credendum est, quod multi simulacra Numinum, à quibus opis quid exspectarent, secum, quacunque irent, circumtulerint. Quemadmodum de C. Iulio Cæsare Venerem armatam circumgestante apud Dionem legimus. lib. XLIII. *Omninò enim Venerem colebat, à quâ se etiam formæ quandam venustatem habere, persuadere omnibus nitebatur. Ideo Sculptam Veneris armatæ imaginem gestabat eâque tesserâ in rebus summis plerumque utebatur.* Similiter de seipso Apulejus Apologia. *Nam morem mihi habeo, quoquo eam, simulacrum alicujus Dei inter libellos conditum gestare.* Et fuerunt illa exigua & brevia, quo circumferri facilius possent, cujusmodi erat illud Asclepiadis Philosophi, de quo Marcellin. lib. XXII. memorat, ipsum nimirum *Deæ cælestis argenteum breve figmentum, quocunque ibat secum solitum efferre.* Nec Deorum solum, sed hominum etiam, utpote Divorum & Heroum imagines ad hos usus gestatæ leguntur, ut à Macrianorum familiâ Alexandri Magni imago. Trebellius Pollio in Quieto, uno ex XXX. Tyrannis. *Videtur mihi non prætereundum de Macrianorum familia, quæ hodièque floret, id dicere, quod speciale semper habuerunt. Alexandrum Magnum Macedonem viri in auro & argento, mulieres in reticulis & dextrocheriis, & in annulis, in omni ornamentorum genere exsculptum semper habuerunt; eo usque ut tunicæ & limbi, & penulæ matronales in familia ejus hodieque sint, quæ Alexandri effigiem deliciis variantibus monstrent. Vidimus proximè Cornelium Macrum in eadem familiâ virum, cum cœnam in templo Herculis daret, pateram Electrinam, quæ in medio vultum Alexandri haberet, & in circuitu omnem historiam contineret, Signis brevibus & minutulis Pontifici propinare; quam quidem circumferri ad omnes tanti illius viri cupidissimos jussit. Quod idcirco posui, quia dicuntur juvari in omni actu suo, qui Alexandrum expressum vel auro gestitant, vel argento.* Ad prodigiosum hoc statuarum genus, de quo dicere incepimus, referri poterunt & fatales illæ, quibus populorum urbiumque salus aut interitus accepto relatus, atque à quibus insignium cladium & Victoriarum auguria haud rarò sumpta leguntur.

leguntur. Hujus generis erat Palladium, hoc est, Imago Palladis cœlo primum delapsa & deinde Trojâ Romam advecta, quâ salva, Roma ipsa salva futura credebatur. Cic. Phil. XI. *Qui*, inquit, Brutum intelligens, *ita conservandus est, ut id signum, quod de cœlo delapsum Vestæ custodiis continetur, quo salvo, salvi sumus futuri.* Et Cedrenus Comp. Hist. p. 107. *Ajunt*, inquit, *Palladium nefandis quibusdam Dæmonum consecrationibus arcanisq; ritibus dedicatum, ea vi fuisse, ut urbem in qua esset, inexpugnabilem conservaret.* Quare Fatale Livio l. XXVII. Floro. 1. 2. *Secretum* & Lucano. l. IX. *Memorabile imperii pignus* appellatur. Similem conservandę Civitatis Constantinopolitanę vim habere Constãtino juniori credebatur sua quadam ipsius statua, in quâ partem crucis Christi condidit. Paullus Diac. hist. Miscel. x. 15. *Salvatoris crucis partem quidem aliquam filio distribuit, quam Constantinus suscipiens, & credens salvari civitatem, ubi hæc particula servaretur, in sua statua, sicut fertur, in foro Constantini positam, super columnam Porphyreticam devotè condidit.* Inter fatales, quarũ memoria multis authoribus prodita est, hoc observare licet, quod fuerint quidem multæ earũ diu ante fabricatæ in usus vulgares, sed quibus postmodum abuti inceperint Magi, Dęmone nimirum ipsas ad maleficii instrumentũ destinante. Ejus generis fuerunt Constantinopoli duæ illæ muliebres statuæ, ex quarum situ & conditione belli Pannonici fortunam cæca superstitione fascinatus reputavit Manuel Comnenus Rem ita refert Nicetas Choniates Ann. V. *Dum copiæ contrahantur, audit Manuel, duarum muliebrium ænearum statuarum, quæ in Occidentali fornice fori Constantini sitæ sint, alteram, quæ Hungarissa dicatur, erectam stare, alteram nomine Romanam, vetustate collapsam esse. Quo intellecto statim illam dejecit, hanc reposuit; ea statuarum mutatione, se fortunam etiam gentis utriusque mutaturum ratus, & rem Romanam erecturum, Hungaricam depressurum.* Talis erat statua, ut refert ex Cedreno Zonaras Ann. III. ex qua hostium suorum sortem Theophilus imperator, curante Ianne Patriarcha Mago, prævidit. *Etenim aliquando*, ait, *quam infida atq; sæva quædam gens tribus ductoribus usa Romanam dictionem infestaret, eaque res Theophilum, uti par erat, sollicitum teneret, Iannes eum, dimissâ animi ægritudine, optimè de rebus sperare jussit, modo ipsius consilio parere vellet. Consilium autem tale erat; Inter æreas statuas, quæ erant in Euripo Circi, statua quædam extare ferebatur triceps. Tres ergò malleos æreos fabricari jubebat Iannes, eosque tradi viris manu validis, qui constituta noctis hora secum ad statuam illam asce-*

accederent, iisque cum ipse mandasset, capita fortiter ferirent, dum ea veluti uno ictu atque impulsu in terram dejicerent. Gratum hoc consilium Imperatori fuit. Ergo magna jam parte noctis exactâ, cum viris istis patriarcha (qui ne agnosceretur, profano habitu se induerat) ad statuam venit, magicoque carmine recitato, iisque robore, quod inerat statuæ, adempto, viros omni vi percutere capita statuæ jubet. Eorum duo validissimis ictibus duo capita statuæ decusserunt; tertius remissius aliquantò feriens inclinavit quidem, non tamen à corpore totum avellit caput. Eodem modo cum gentis ejus ducibus actum fuit. Nam seditione coortâ, atque eâ in pugnam intestinam evadente, duo de ducibus ceciderunt. Tertius vulnus accepit, sed non lethale, nihilominus tamen rei gerendæ eo facto inutili, gens ea viribus suis destituta domum rediit. Fortè nec aliter judicandum est, de statuis illis argenteis, quas adversus Barbarorum incursus in confiniis Thraciæ & Illyrii positas & sub Constantio Imp. repertas tradit Olympiodorus apud Photium Cod. LXXX. Plura id genus exempla, qui volet, passim reperiet, apud Zonaram, Nicetam, Philonem Iudæum & alios. Vide & Majoli Dies Canicul. Tom. II. colloq. 2. de Vaticiniis. itemque El. Schedium de Dis Germanis. Syngramm. II. cap. 31. Multa præterea prodigia in statuis accidisse leguntur, sed quæ, si modo omnia acciderint casu quodam potius, aut immediato Dæmonum impulsu, quàm Astrologorum artibus aut Magorum carminibus provocata contigerint. Pleni sunt exemplis, omnes prope veterum Annales, ut locutæ fuerint statuæ, ut lacrymas fuderint, ut sudarint, ut sese ob injurias ultæ fuerint, ut sese varia ratione moverint, atque alia cum naturæ viventis, tum artis opera miraculose peregerint. *Adferunt* inquit, Plutarchus Camillo cap. x. *Sæpe simulacra sudasse, aliquandò gemitus reddidisse, visaque etiam advertisse, & nictata esse.* Sed adeò vulgata hæc res est, ut exempla adducere planè supervacaneum sit. Cum illud multi alii veterum & recentiorum abundè satis præstiterint. Imprimis Cicer. de divinatione. & Iul. Obseq. de prodigiis, itemque Polydorus Virgil. in tribus suis argumenti ejusdem libris. Illud ergo forsan operæ precium fuerit, dum hâc in consideratione hæremus, si ostendamus talia non rarò ab arte & industria humanâ fieri in statuis solere, quæ ad miraculi naturam accedunt quàm proximè. Cujusmodi ars θαυματουργικὴ est dicta Heroni & Pappo. Consistit autem totum

hoc

hoc in duabus rebus præcipuè, *Motu* & *Sono* vel *Locutione*. *Mechanismа*, inquit, Cassiodorus. 1. variar. 45. *Facit muta cantare, insensata vivere, immobilia moveri.* Inter ea, quæ ab authoribus produntur, motum habuisse, primas tenent Dædali statuæ, quas eo artificio fabricavit, ut huc atque illuc discurrere viderentur. Quanquam sunt, qui aliter hoc intellectum volunt, nempe cum statuas haberent ante Dædalum ἀχείρους, ἄποδας, & ἀομμάτους, illum postea pedes, manus & oculos addidisse, vel crura sejunxisse, ut ingredi & vivere viderentur. Quod ipsum sentire etjam videtur Diodorus Sicul. Biblioth. IV. 78. *Statuarum*, inquit, *Dædali ea constitutio fuit, ut visum & incessum, totumque corporis habitum in vivis animantibus referrent. Quia enim primus oculorum obtutum, pedumque gressum, & manuum porrectum in statuis expresserat, meritò in omnium admirationem incurrit. Nam qui præcesserant ipsum artifices, nictitantibus oculis, demissis manibus & conglutinatis cum lateribus simulacra fecerant.* Et assentit Palæphatus. De Incredibilib. nisi quod plus aliquantò dicat. Se videlicet putare Dædali simulacra, αὐτοκίνητα dicta, non quod in iis primus Dædalus pedes disjunxerit, manus à reliquo corpore secreverit, ac digitis distinxerit, quod Tzetzes quoque addit in versibus Politicis; sed quod uno pede extra lineam alterius elato & ad gradum promoto, ea finxerit. Ita enim ille ex interpretatione Phasianini. *Illud etiam de Dædalo narrant, quod statuas per se ambulantes fabrefaciebat. Ire verò sua sponte statuam impossibile mihi sanè videtur; verum autem hoc habet. Quicunque tunc temporis statuas virorum statuarii faciebant, imaginesq; exornabant, junctos adnexosq; corpori pedes, quibus innixerentur habentes, viriles statuas faciebant. Dædalus verò ipse uno pede tantum elato sese vertētes statuas formabat.* Vbi male tamen redditū illud *sese vertentes statuas*. Cum in Græco sit διαβεβηκότας, id est *sejunctas*. Sed quicquid sit, reipsa tamen se movisse non est dubium, ut mox ostendemus. Et sanè hoc proverbium τὰ Δαιδάλου ποιήματα ad αὐτοκινησίαν operū referunt παροιμιογράφοι. Quamvis nec malè usurpetur ad significanda simul ea, quæ affabre & mirabili quodam artificio fiunt. Harpocrat. Δαιδάλου ποιήματα. Ἐπὶ τῶν ἀκριβούντων τὰς τέχνας. Trāsiitq; deinceps ea appellatio ad animi facultates bonas æquè ac pravas notandas. λογοδαίδαλοι quippe à Græcis orationis poliendæ artifices vocantur, & Circen Virgilius *Dædalam* appellat, quod arte magicâ homines in bestias mutaret. De spon-

taneo itaque statuarum motu accipio, quod Plato Dædali signa vinciri pedibus solita dixit, ne aufugerent; in Menone. *Quoniam illa quoque ni revincta fuerint, discedunt atq; aufugiunt, sin vincta sint, consistunt. Quid tum postea? Si quod ex illius operibus solutum possideas, haud quaquam magno æstimandum, perinde quasi servum possideas fugitivum (neque enim apud te manet) sin autem vinctum, id magno æstimandum sit.* Item quod de Rhodiorum simulacris ad XVIII. Iliad. narrat Eustathius Homeri interpres. Verba ejus sunt: διὸ καὶ ἀλύσεσιν ἐξεδέσμευν αὐτὰ, ἵνα δῆθεν μὴ κινηθέντα φύγοιεν. Horum etiam Dædalæorum meminit Aristoteles. Polit. 1. 3. *Etenim*, inquit, *si fieri posset, ut unumquodque instrumentum vel jussum, vel per se præsentiens, suum opus perageret, quemadmodum ajunt Dædali statuas facere, & Vulcani tripodes (quos Poëta scribit ultro in certamen divinum prodiisse) itidem & pectines per se texerent, & plectra cithara canerent, haud quaquam opus haberent, neque architecti ministris, neque Domini servis.* Quo in loco philosophus hæc duo conjungit, Dædali statuas, & Vulcani tripodes, quos ex Homeri Iliad. XVIII. adducit. Illos ibi poëta dicit suppositis aureis rotulis potuisse sponte suâ in templum itare, domumque rursus redire. Cur verò in templum destinaretur eorum gressus, ignorare non possunt, qui veterum sacrificiorum ritus & instrumenta observarunt, aut alias didicere ornatus gratia, præter alia ἀναθήματα, ejusmodi quoque vasa Deorum templis dicari, & ad parietes suspendi solere, ut ad hunc poëtæ locum id etiam observat Spondanus. Sed quia hæc aliò spectant, in viam redeamus. Appellabantur hæc opera αὐτόματα, quæ vertit Politian. Miscell. Cent. 1. Cap. 97. *Vltronea* vel *Spontalia*. Namque ita fabricabantur, ut sua sponte efficere quippiam viderentur. Qualia fuisse in Hyarbæ Gymnosophistæ convivio, narrat in vita Apollon. Tyanei. Philostratus. Aureos enim ibi pincernas, & structores convivis operam præstitisse dicit. Tales item fuere illæ Metelli victoriæ, quæ motu artificioso currentibus instrumentis trophæa & coronas gestabant, quarum meminit Plutarch. Sert. C.XXXV. Vnde verò hic motus? A tribus præcipuè observatum. *Nervis*, seu *fidiculis*, *Naturali vi magnetis ad movendum ferrum*, & *volubili natura argenti vivi*; singula breviter consideremus. Simulacra quæ certis fidiculis nervisque inter se, in hanc illamvè partem

tem quadam cum venuſtate ultrò movebantur, Νευρόσπαστα fuere dicta, à græco *νεῦρον nervus*, & Νευροσπάσται, qui illa ad motum dirigebant. Ariſtot. de mundo, ut eum locum tranſtulit Apulejus. *Qui in ligneolis hominum figuris geſtus movent, quando filum membri quod agitari ſolet, traxerint, torquebitur* Cervix, *nutabit caput, oculi vibrabunt, manus ad miniſterium præſto erunt, nec invenuſtè totus videbitur vivere.* Ejuſmodi ſimulacrà αὐτοκίνητα circumtulere geſticulatores circumforanei, ut iis oſtenſis, lucrum aliquod ab imperito vulgo emungerent. Meminit Xenophon. in Sympoſ. Socrates cum quendam ex hoc genere ludionum interrogaſſet, ob quam cauſam ſe efferret, Reſponſum tulit. *Propter homines ſtultos. Nam illi quod ſpectent imagunculas meas, quæ fidiculis tentæ moventur, me alunt.* Hujus generis erat & larva illa argentea apud Petronium, quæ ſic facta erat, ut articuli ejus vertebræque locatæ in omnem partem flecterentur. Hic verò motus ſimulacrorum fuit lentus & quaſi fluens. Vnde mollium hominum inceſſum, ad quoſdam velut numeros compoſitum ſtatuarum motum dicit. Ambroſius. Offic. I. 10. *Sunt etiam*, inquit, *qui ſenſim ambulando imitantur hiſtrionios geſtus, & quaſi quædam fercula pomparum, & ſtatuarum motus nutantium, ut quotieſcunque gradum transferunt, modulos quoſdam obſervare videantur.* Ne in his juſtò prolixiores ſimus, juvabit digito ſolum monſtraſſe Architæ columbam volatilem ap. Gell. noct. Attic. x. 12. Aquilam ligneam, quæ Imperatorem Norimbergam ingreſſurum in arce ſubvolavit, uſque ad portam præcedens, & muſcam ferream volatilem, recentiora inventa ap. Salluſt. de Bartas. Septiman. Divin. die Sexto.

Motum etiam, dixi, nonnullis ſimulacris *naturæ Magneticæ arcanum* conciliavit. De ſimulacris Martis & Veneris, ita fabricatis ut mutuis ſeſe amplexibus implicarent, meminit Claudian. in Epigram. de Magnete. Erat enim Mars ex ferro, & Venus ex Magnete facta.

Cytherea maritum, inquit,
Sponte rapit, cœlique thoros imitata priores
Pectora laſcivo flatu Mavortia nectit,
Et tantum ſuſpendit onus, galeæque lacertos
Implicat, & vivis totum complexibus ambit.

Solebant alioquin illas ſtatuas junctim locare. Nam in aditu templi Martis Vltoris ante fores ab utroque latere ſtabant. Ovid. 2. Triſt.

Stat Venus Vltori juncta viro, ante fores.

De ſimulacro Solis apud Alexandrinos Ruffinus hiſt. Eccleſiaſt. 11. 23. hoc prodit. *Signum Solis ex ferro ſubtiliſſimo manu artificis fuerat fabricatum, ut lapis, cujus naturam ferrum ad ſe trahere diximus, deſuper in laquearibus fixus; cum temperatè ſub ipſo radio ad libram fuiſſet poſitum ſimulacrum, & vi naturali ad ſe raperet ferrum, aſſurrexiſſe populo ſimulacrum, & aëre pendere videretur.* Quo in loco, pro *aſſurrexiſſe populo ſimulacrum.* Ex priſcis editis legi debere *aſſurrexiſſe paululum Simulacrum* monſtrat C. Barth. Adverſ. IV. 15. quia non populo, ſed Serapidi aſſurgebat diſceſſurus Phœbus. Ferè tale erat ferreum Arſinoës ſimulacrum, quod ad tractum magnetis adſcendere artiſex voluit, ut deinceps in aëre vacuo penderet. de quo Plin. XXXIV. 14. *Eodem lapide Dinocrates architectus Alexandriæ Arſinoës templum concamerare inchoaverat, ut in eo ſimulacrum ejus è ferro pendere in aëre videretur. Interceſſit mors & ipſius & Ptolomæi, qui id ſorori ſuæ juſſerat fieri.* Quod tamen conſummatum fuiſſe vult. Auſonius. Idyll. III. ubi ait.

Arſinoën Pharii ſuſpendit in aëre templi.

De *Argento vivo infuſo* teſtatur Dædali illa Venus lignea. de qua Ariſtoteles I. de Anima, *Philippus Comicus*, inquit, *Dædalum ait ligneam Venerem confeciſſe, quæ motu movebatur argenti vivi, quod in illam infuderat.* Alterum quod dixi mirandum in arte *ſonus eſt*, aut imitamentum quoddam vocis Humanæ, vel Brutorum. Mirandum, inquam, cum ſtatuæ nihil magis conveniat, quàm tacere; Vnde ſtatuæ ſilentium in Proverbium abiit. Horat. lib. II. Epiſt. 2.

Statua taciturnius exit.

Vbi poëta de eo loquitur, qui poſtquam ſeptem annos Athenis in ſummo otio & quiete manſerat, non tamen aptum aliquod laudeque dignum carmen didiciſſet pangere; ſed ſileret potius, tanquam muta ſtatua, ut ita, hoc ipſum jure non videretur poſſe ab ipſo Horatio exigi, qui inter ſtrepitum urbis Romæ diurnum nocturnumque viveret: Carmina enim bona non turbam ſed ſolitudinem requirunt. Sed ad rem. De Memnonis vocali

vocali ſtatua, quæ Thebis erat, notat ad Dionyſium Afrum Euſtathius, quod per Machinam quandam ſonum, quem arte Magica plerique alii Scriptores procuratum tradunt, ediderit. Licebit huc aliquid, ſpero, etiam ex citeriore ævo arceſſere. Albertus Magnus, quod ex fide Sim. Majol. Canic. dierum. Tom. I. colloq. refero, ut & alii prodidere, ſtatuam conſtruxit, quæ libramentis quibuſdam, rotis atque aliis machinis intra latentibus peritiſſimè compoſitis, linguam quâdam ratione & diſciplina moventibus articulata verba pronunciavit. Hanc ſtatuam cum Thomas Aquinas ab Alberto miſſus in cubiculum, ubi illa latebat, audiſſet verba adeò articulatè pronunciare, perterrefactus fuſte contrivit, ac poſteà interrogatus, cum reſpondiſſet ſe ſtatuam confregiſſe, Dixit Albertus, Opus 30 annorum deſtruxiſti. Id tamen ut vanum commentum rejicit Delrio, aut, ſi tale quid contigerit, ad authorem κακότεχνον Diabolum refert. Nihilominus, quod ſonus aut ſermo, etiamnum per tubum plumbeum fieri poſſit, docet. I. Baptiſt. Porta. Magiæ Natur. XVI. 12. & XXIX. 1. Vt hoc etiam per tubum cochleatum præſtari poſſe, demonſtrat Athanaſius Kirchērus, in Arte magna Conſoni & Diſſoni. lib. IX. parte IV. cap. 4. Leonum ſimulacra rugire audiit Luitprandus Ticinenſis Diaconus Conſtantinopoli apud Conſtinum Imperatorem, quando Berengarii nomine apud eum legatione fungeretur. Anno Domini 950. ut ipſe teſtatur lib. VI. cap. 2. Avium quoque ſimulacra, quælibet pro ſpecie ſua vocibus obſtrepentia audiſſe ſe idem ibidem fatetur. Caſſiodorus allato paulò ante loco hoc genus multa quæ beneficio Matheſeos perfecta, ſonum ediderint, recenſet. *Metalla*, inquit, *mugiunt Diomedis in ære grues buccinant, æneus anguis inſibilat, aves ſimulatè fritinniunt, & quæ propriam vocem neſciunt, ab ære dulcedinem probantur emittere cantilenæ.* Sed non rara aut inſolens hæc res. Novere omnes, qui Principum aut opulentiorum hominum per Italiam & Galliam, aliaſque florentiores Europæ provincias, hortenſia rura & delicioſos fontes oculis luſtravere. De Hortis Tiburtinis Hippoliti Eſtenſis Ant. Muretus in Tibure ſuo.

Ecce novus procul alituum concentus ad aures
Fertur, & inſolita mentem dulcedine tangit.
Adſpicio, & greſsum propius fero, corpora cerno

Parva ex ære avium; æratisque nitentia ramis
Dædala queis variam, tribuit solertia vocem.

Id quod de aliis cujusvis animantium generis simulacris similiter intelligendum est.

Caput IV.

Vulgarium statuarum quis usus, per singula genera strictim ostensum. Origo prima cultus simulacrorum unde? Statuas inhabitare Dii, indeque identidem exire crediti. A Græcis cultus statuarum ad Romanos translatus. Dionysius Halicarnass. cum Varrone & Plutarcho conciliatus. Brutorum signa facta variis de causis. Ea adstructa testimoniis & exemplis. Statuæ multiformes. Bruta in sepulchris. Leonum signa cur ad templorum fores Ægyptii, & ad fontium ora Græci ac Romani statuerint, quæsitum? Sphinges quare itidem ante templa posita apud Ægyptios?

ANtequam ad rem ipsam progrediar, adhuc non nihil hic loci, quantum fas videbitur, de vulgarium statuarum usu in genere præmittendum est. Fuit is multiplex. Nos hic potissimum eum spectamus, prout erat vel *Proprius Singularum* vel *omni statuarum generi communis*. Quem proprium habuerint statuæ hominum, ut nimirum essent præmia virtutum, & quæ reliqua sunt, ex sequentibus luculenter, ut spero, constabit. Deorum vero simulacra cultus & venerationis causa potissimum fiebant. Occasionem præbuere defunctorum imagines, quæ Civilis honoris causa primum erectæ, postmodum religiosè haberi cœpere, tantum augescente indies cultu, ut tandem planè in superstitionem degeneraret. Tantum quippe valuit, aut *privatus affectus in propinquos & necessitudines fato functas*. Auth. libri Sapient. Cap. XIV. *Acerbo*, inquit, *luctu vexatus pater, cum filii citò sublati imaginem fecisset, hominem tunc quidem ut mortuum, nunc vero ut Deum affecit honoribus, & subditis mysteria sacrificiaque tradidit.* Confidentius nomen & authorem Nimrodum citat Christianus Poëta Marius Victor. lib. III. ubi ait,

Nam cum patris unica proles
Spem generis letho secum traxisset acerbo,
Infelix, Nimrodh lacrimas noctesque diesque

Conti-

Continuans, hebetique trahens plangore querelas
Dum furit, & raptum quærit per singula natum
Effictâ mœstum solatur imagine luctum.

Et deinceps.

Tum protinus omnes
Amplexæ gentes scelus hoc, crimenque secutæ
Pro Diis quæque suis caros habuere parentes.

Fulgentius Mytholog. I. ex Diophanti antiqq. Syrophanem quendam Ægyptium ejus rei authorem prodit. Georgius Cedrenus in Synopsi Histor. originem statuarum Sarucho, Abrahami proavo tribuit. *Primus Saruch*, inquit, *eos qui aliquid ex virtute gessissent memoria dignum, statuis honoravit.* A quo didicit fortassis Thare Pater Abrahami, de quo idem ait. *Erat statuarius è ligno & lapide Deos fingens.* Quod scriptor Græcus ab Eusebio & Epiphanio videtur mutuatus fuisse, quorum hic in Panario dicit Thare primum fuisse πηλουργὸν καὶ πλάστην id est primum fictorem, ex luto, quæ antiquissima erat statuarum materies. Ille in Chronico tradit primum Saruch εἰδωλομανίαν induxisse. ut observavit Iohan. Menochius de Repub. Hebr. lib. VII. cap. 3. & ante eum præter alios, Elias Schedius de Diis Germ. Syngram. I. cap. 3. & II. vide etiam hac de re Suidam in Σερούχ. Sed quicquid de authore sit, de re omnes idem sentiunt. Aut *publicus populorum favor erga principes Regesque suos.* Sic etenim honorandos eos censebant, qui aut conditu urbium, aut aliis ingentibus benefactis honestam laudatamque famam apud homines meruere, donec superstitiosa quædam adulatio, aut inconsulta simplicitas honorem in religionem verteret. Id docent præter profanos scriptores, cuncti ferè patres, inprimis Lactantius, Eusebius, Athanasius, Augustinus, Theodoretus, & disertè Cyprianus de Idolol. vanitat. libello, ubi ait. *Reges olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud suos postmodum etiam in morte cœperunt. Inde illis instituta templa, inde ad defunctorum vultus per imaginem detinendos expressa simulacra.* Et Minutius Felix Octavio. *Erga Deos*, inquit, *Majores nostri improvidi, creduli, rudi simplicitate crediderunt. Dum reges*

ſuos colunt religioſè, dum defunctos eos deſiderant in imaginibus videre, dum geſtiunt eorum memorias in ſtatuis detinere, ſacra facta ſunt, quæ fuerant aſſumpta ſolatia. Atque ita deinceps ritibus certis adhibitis conſecrare ſimulacra inceperant, ut numen inducerent. Tertullian. Apolog. Cap. XII. *Simulacra*, ait, *fatum conſecratione mutant.* Nam conſecratio eſt; quæ, ut Arnobius inquit, *numen infert ſimulacris.* Tunc demum putabant in ſtatuis habitare Deos. Cyprian. lib. Laudato. *Hi ergo Spiritus* (Dæmones & reprobos angelos intelligit) *Sub ſtatuis & imaginibus conſecratis deliteſcunt.* Et iis viciſſim exire, quandocunque luberet. Quintilianus Declam. X. *Omnis religio lucorum, cum tacuere mortalia, & profani procul erravere ſedibus totis, ſolitudine frui, & ſuis dicitur exire ſimulacris*, maximè tamen ut vides, *cum tacuere mortalia*, hoc eſt, de nocte; quod, ut cœtera hujus generis, vanum eſt, & pravâ vatum ſolertia confictum, quò imperitas hominum mentes, & ſimplex vulgus in Deorum iſtiuſmodi cultu retinere facilius poſſent. Hoc ferè ſenſu, Salluſtius Philoſophus lib. de Diis & mundo, Cap. XV. Statuas vitam Deorum æmulari dicit. *Templa quidem Cœlum*, ait, *aræ terram æmulantur; ſtatuæ vitam: ideoque animantibus ſimiles ſunt.* Inde eſt, quod ſtatuæ ſæpius Dii vocantur abſolutè, quaſi quicquid Dei eſt, in ſtatua ſimul contineatur. Vt apud Plutarch. Fabio Cap. XL. *Fertur in direptione urbis Fabius ſcriba de Diis* (ita vocabat picturas & ſtatuas) *quid vellet fieri interroganti, repondiſſe; Relinquamus Tarentinis Deos iratos.* Et frequenter Poëtis. Propert. IV. Eleg.

Fictilibus crevere Diis hæc aurea templa.

Et Tibullo

Stabat in exigua, ligneus æde Deus.

Ex his ergo initiis tot poſtmodum exorti ſunt ſacrorum ritus; tot venerationis modi ad ſtatuas. Hinc illæ ſupplicationis & genuum flexiones coram ſimulacris, hinc adorationes, ſalutationes, allocutiones, attactus, lacrymæ, preces, oſcula. Hinc munerum honores, ſacrificia, dona unguenta, thura, odores, dapes, nummi, cerei, coronæ. Hinc ſolennitates, feſti dies, pervigilia, lectiſternia, circumgeſtationes, lotiones; Hinc etiam variæ illæ formæ, habituſque & additamenta Symbolica, ac inſignia, & infinita alia, quæ ut explicentur ſin-

singula, peculiari egent volumine, Et vel sic vix peragenda omnia; ne quis tale quid à nobis exigat hoc loco, ubi quàm proximè à lineâ recedere, & breviter propositum nostrum exequi constituimus. Illud tantum hic adjecerim, Romanos à Græcis didicisse Deorum simulacra instituere. Fecitque primus Romulus. Dionysius Halicarnassius II. 3. *Templa igitur,* ait, *& fana, arasque & simulacrorum delubra, eorumque effigies & insignia, & potestates & cætera instituit. secutus optimos quosque Græcorum ritus.* Quam tamen Historici assertionem videtur labefactare duorum celebrium virorum authoritas, Varronis & Plutarchi, quorum uterque Romanos constanter affirmat totos CLXX. annos priores nullum plane Dei simulacrum habuisse. Varronis testimonium extat ap. Augustin. de C. D. IV. 31. qui sic scribit, *Dicit Varro antiquos Romanos plus quàm annos CLXX. Deos sine simulacro coluisse.* Plutarchi in Numa Cap. xv. hæc sunt verba, si latine loquatur. *Numa Romanis usu effigiei alicujus Divum, quæ hominis aut animalis cujuscunque formam haberet, interdixit. Neque priscis illis temporibus fuit apud illos vel picta ulla imago Dei, vel ficta: sed primis centum atque septuaginta annis, etsi templa ædificassent, atque sacras casas struxissent, nullum tamen omnino simulacrum efformavêre.* Sed si dextrè rem reputaverimus, nulla erit ἐναντιολογία. Usum enim simulacrorum, quem introduxit Romulus, Numa abolevit. Plutarchus hoc loco, quemadmodum & Clemens Alexandrin. I. Strom. ubi eâdem de re agit, utuntur verbo διακωλύειν, quod *vetare, interdicere, prohibere, & impedire* significat, quo facile intelligitur usitatum ante Romanis morem hunc & Numæ lege deinceps fuisse abrogatum; Nam non temerè leges, nisi post malos, quos damnant, mores nascuntur. Refrigerato demum veteri hoc instituto, invaluit simulacrorum usus, adeò ut turmatim deinceps templa Romana insiderent. Etenim præter ea quæ ipsi fieri curabant, innumera etiam à devictis gentibus accepêre. Prudentius II. in Symmach. testatur. Quæ singula magnificentiam quandam & pulchritudinem, ut par erat, præ se ferebant.

Vetus Epigram. Rom.

Hic superum vultus superi mirantur, & ipsi
Se cupiunt fictis vultibus esse pares.

Sic ergo Deorum statuæ præcipuè cultus causa instituebantur.

Brutorum vero signa, si ea, excipimus quæ pro Diis colebantur; deque quibus, quantum ad cultum pertinet, idem quod de cæterorum Deorum statuis judicandum est, varias quoque ac multiplices ob causas fiebant. Quas ut quadantenus ostendam, rem totam in pauca contraham. Singula enim, quæ occurrunt, proferre, infiniti foret operis. Plerumque ergo fiebant, aut *ob rarum aliquem casum & insignem eventum sive verum sive Poëtarum fabulis celebratum, qui bruti cujusque operâ sive interventu contigerit.* Tale quid fuit illud lupæ simulacrum Romæ positum, Romulo ac Remo uber præbentis. De quo Dionys. Halicarn. Antiqq. Roman. I. 10. ex E. Fabio Pictore sic meminit. *Sacellum est juxta illum, ubi est statua hujus casus.* Notissima Historia est, *Index, lupa videlicet duobus infantibus mammas præbens; opus antiquum ex ære factum.* vid. etiam Liv. X. 23. Spectatur ea hodieque in porticu quâdam Capitolii Romæ. Tales fuerunt & illæ Leonis ac Canum effigies, quas Craterus Delphis dedicavit, cum Alexander in venatione magnum leonem dejecisset Plutarch. Alexandro. Cap. LXXIII. *Venationis ejus simulacrum Craterus Delphis dedicavit, æneas leonis, Canum, ipsiusque Regis cum leone congressi, & sui ad opem ferendam adcurrentis effigies, partim Lysippi, partim Leocharidis opera ponens.* Ex quibus hoc etiam obiter notandum relinquitur, statuas ejusmodi sæpe fuisse non singulas, & solas, sed multiformes, quæ hominum simul & brutorum, aliarumque rerum inanimatarum effigies continerent, ut integras historias fabulasve absolverent. Cujus generis multas recenset Plin. XXXIV. 8. & XXXVI. 5. Duas hic Plinio inprimis celebratas, & Romæ hodieque extantes, ob vetustatem & artis operosæ famam memorasse non pigebit. Vna est Laocoontis. Hanc fuisse in Titi imperatoris domo Plin. XXXVI. 5. tradit, & opus esse omnibus & picturæ & statuariæ artis præferendum. *Ex uno,* inquit, *lapide eum, & liberos, Draconumque mirabiles nexus de consilii sententia fecere summi artifices Agesander & Polydorus & Athenodorus Rhodii.* Exprimit illa totam Laocontei exitii historiam, prout eam non tam verbis, quam quodam quasi penicillo descripsit Virgilius Æneid. II. quam inde, cui allubescit, petet. Visitur eadem hodie, ut dixi, Romæ in horto vaticano, dicto *Beluedere.* Altera est, quam vulgus Romanum appellat

il *Toro*

il *Toro Farnese*, *Taurum Farnesianum.* cujus meminit item Plinius d. l. his verbis: *Zetus & Amphion ac Dirce & Taurus, vinculumque ex eodem lapide Rhodo advecta; opera Apollonii & Taurisci.* Taurus est 14 palmos longus, & 18. altus, ad cujus cornua Zetus & Amphion Lyci Thebanorum Regis filii, matrem ulcisci volentes, Dircen alligant, ut in fontem projiciant, eò quod ejus causâ mater eorum à Rege carceri inclusa fuerat. Fabulam refert Apollodorus lib. III. de origine Deorum. & meminit Propert. III. Eleg. 13. his verbis.

Puerique tradendam
Vinxerunt Dircen sub trucis ora bovis.

Hæc statua longo post tempore in Thermis Antoninianis reperta, multisque in locis fracta à Paulo III. P. M. in Palatium Farnesiorum translata, & jussu Cardinalis Francisci ejus Nepotis instaurata est, ubi hodièque etiam ædicula ligneâ tecta visitur, non sine spectantium ingenti admiratione. Ex uno enim lapide tot figuras ostentat, & præter modo dictas, etiam canem. Porrò innumera id genus passim visuntur, & leguntur apud Pausaniam, Plinium, Græcos Epigrammatographos, & infinitos alios. Nos paucis generum singulorum indicatis contenti sumus, quibus non indicem statuarum, sed præcipua & summa capita rerum, institutorumque veterum attingere breviter propositum est.

Aut *fiebant in honorem hominum, sive cum quid laude dignum fecissent, quod itidem ejus animalis ope quæsitum vel procuratum intelligi posset.* Sic, ut narrat Livius IV. 16. *L. Minucius bove aurato, extra portam trigeminam est donatus, ne plebe quidem invitâ, quia frumentum Melianum assibus in modios æstimatum plebi divisit.* Sive *cum aliter quorumvis studia & ἐπιτηδεύματα, vitam quoque, mores, professionem, aliave negotia denotari placuit.* Sic in sepulcris multorum statuta legimus Brutorum signa. In sepulcro Diogenis *Canis marmoreus* visebatur. Cynicus enim ille erat, vid. Diogen. Laërt. lib. VI. In Isocratis, *Siren*, ob suavitatem sermonis. Plutarch. in vit. x. Rhetor. Item *Aries*, quemadmodum & Homeri monumento *Capellæ* signum additum, ut ex Gell. Noct. Att. III. 2. videre licet. Rationem

ejus

ejus consilii, probè ut opinor, reddunt. Fr. Luisinus Parerg. II. 17. & Hieronimus Magius Miscellan. III. I. Deorum quoque curas & studia sic notata legimus. Ita circa Dianam effingi solebant canes. Apulejus Metam. II. *Lapis Parius in Dianam factus tenet libratam totius loci medietatem. Canes utrinque secus Deæ latera muniunt, qui canes & ipsi lapes erant.* Fuit enim illa venationis Dea habita. *Fiebant interdum & in honorem ipsius animalis, si quando impensè desideratum, dilectumq; ab aliquo fuisset.* Multi enim brutis eam ob causam, ut sepulcra & exequiarum solennia, ita signa, cippos & columnas erexerunt, alii picturis ea adumbrabant. Capitolinus de Commodo Vero Cap. VI. *Volucri equo prasino, aureum simulacrum fecerat.* Vid. Martial. Epigram. lib. Epigram. 110. & præterea Ioh. Kirckmannum. Cap. VI. append. ad lib. de Fun. Rom. *Aliàs fiebant non raro, ut essent Symbola rerum quarumvis aliarum, quæ per istiusmodi animalia, sive ob physicam, sive ob moralem aliquam, aut etiam mysticam rationem, quocunque alio modo significari poßent.* Hujus generis sunt Leonum effigies ab Ægyptiis sculptæ, ut essent Symbolum exundationis Nili, qui mox â solstitio æstivo, Sole Leonem ingrediente, crescere incipit, & augescens denique totam Ægyptum inundat, omniumque aliarum terrarum, beneficâ quadam naturæ vi, reddit fertilissimam, postquam recessit. Ex hoc etiam initio hausere Græci & Romani morem fontes & aquæ ductus, Leonum exornare signis. Quia ergo, inquam, Ægyptii Leonis hoc beneficium credebant, illud animal venerabantur ut cœtera, & signis colebant, quæ potissimum ad templorum fores statuebant. Plutarch. lib. de Iside & Osirid. *Leonem venerantur, ac rictibus Leoninis templorum fores exornant, quia Nilus exundat.*

Titanis primum curru tangente leonem.

Non multum absimile fuit, eorundem Ægyptiorum institutum, fabulosarum suarum Sphingum protomas ante templa ponentium. De quibus Clemens Alexandrin. Stromat. v. *Ægyptii ante templa ponunt sphingas, quia doctrina quæ de Deo, ænigmatica est & obscura.* vid. præterea Plutarch. de. lib. & Strabon. XVII. Geograph.

CAPUT V.

Publica loca ſtatuis ornata apud veteres; & quæ? Legata eam in rem ab opulentioribus interdum relicta. Vigiles & aditui ſervandis ſtatuis. Quid Comitiva Romana? Capite pro quibuſdam ſignis à Tutelariis cautum. Canes & Anſeres ſimulacrorum cuſtodes. Furta & mutilationes ſtatuarum quibus pœnis vindicata? Mos Romanorum, ſtatuas ad ornatum Ludorum dum ſatis domi non eſſet, à provinciis, urbibus, ſociis ac amicis mutuò ſumendi, Quas mox reſtituebant. Notati qui retinebant iniquè, & per vim.

OMnium ſtatuarum uſus communis, iſque præcipuus quis fuerit, nunc indicabimus; Nimirum fuit ille, ut eſſent *ornamentum locorum* cum *publicorum* tum *privatorum* in quibus conſtituebantur. *Publicorum* verò maximè. Vnde Athenagoras *publicum ornatum*. Caſſiod. Var. 11. 34. *ornatum urbis*. Et Prudentius 1. in Symmach. verſ. 589. *Ornamenta patriæ* ſtatuas appellat. Vnde etiam intelligendus Ioh. Chryſoſtom. Homil. XVII. ad popul. Antiochen. *Non ſic urbem aliquis ornaſſet, ſi aureas in foro ſtatuas erexiſſet, ſicut nunc clara eſt, quæ bonas virtutis ſtatuas protulit.* Quapropter ſi Romanos hic citemus, in urbe ſua ſtatuis ornanda tantam adhibuere diligentiam, tantique res hæc eſſe ipſis videbatur, ut per leges etiam veniam & libertatem dandam eſſe cenſerent. Paulus Iuris C. lib. 2. ff. de loco publ. fruend. *Concedi ſolet, ut imagines & ſtatuæ, quæ ornamenta Reip. ſunt futura, in publicum ponantur.* Ideoque legata ſtatuarum, quæ ad civitatis ornamentum pertinerent, valere reſpondit Marcellus Iuris C. l. Seja ab hærede. ff. de auro, argent. leg. *Lucius Titius teſtamento ita ſcripſit; Hæredem meum volo, fideique ejus committo, ut in patriam meam faciat porticum publicam, in qua poni volo imagines argenteas, item marmoreas. Quæro an legatum valeat? Marcellus reſpondit valere, & operis, cæterorumque quæ ibi teſtator poni voluerit, legatum ad patriam pertinere; intelligi enim potuit aliquod, civitati accedere ornamentum.* Paulus in lib. civitatibus ff. de leg. 1. *Civitatibus legari poteſt etiam, quod ad honorem ornatumque civitatis pertinet. Ad ornatum puta, quod ad inſtruendum forum, theatrum, ſtadium, legatum fuerit.* Cujuſmodi fuit Cæſaris legatum, de quo Cic. Philipp. 11. *Signa, tabulas, populo Cæſar una cum hortis legavit.* Quæ res adeo grata erat, ut illi interdum titulis peculiaribus hono-

honorati legantur, qui ſtatuis urbem ornavere. Talis eſt titulus cujuſdam Bleſii Novii Romæ, in ara marmorea, cujus inter cœtera, partem facit hoc elogium.

HIC. OLIM. STATVIS. VRBEM. DECORABAT. ET. ORBEM.

Sic ergo Romæ, iſto ornamentorum genere conſpicua fuere, tàm loca urbis plana & patentiora, ut Campi, Fora, Circi, Areæ, Vici, aut ſi quæ alia eſſent ſpacia ad uſus aut voluptates civium vacua relicta; Quam ipſæ ſtructuræ & artis molimina, ſive ædes eſſent, ut Templa, Baſilicæ, Thermæ, Curiæ, ſive opera alia, tam tecta, ut porticus, quam ὕπαιθρα, vel ſubdialia, ut Amphitheatra, aquæ ductus, lacus, pontes, portæ. Addebantur verò operibus illis aut cum nova fierent. Ioſephus VII. 24. de bello. Iud. de templo Pacis, quod Veſpanianus fieri juſſit. *Statuit templum facere paci: fecitque citò admodum, & pulchrius meliuſque omni opinione perfecit. Magnis enim opibus in hanc rem uſus, & priſcorum etiam præclara omnia adhibens, picturis & ſtatuis pulcherrimis adornavit. Omnia enim in hoc templum collata & diſpoſita ſunt, ob quæ homines videndi cupiditate, antea per totum orbem vagabantur.* Plin. XXXVI. 15. *Agrippa in ædilitate ſuâ, adjecta virgine aqua, cæteris corrigatis atque emendatis, lacus ſeptingentos fecit, præterea ſalientes centum quinque, caſtella centum triginta, complura etiam cultu magnifica. Operibus iis ſigna trecenta ærea aut marmorea impoſuit.* De Schola, fortè Caſſii illa, cujus meminit Victor in XIII. urbis regione, lapis vetus hunc præfert titulum.

IN. HONOREM. DOMVS. AVGVSTÆ. TI. CLAVDIVS. SECVNDVS. COACTOR. CVM. TI. CLAVDIO. TI. QVIR. SECVNDO. F. VIATORIBVS. III. VIR ET. IIII. VIR. SCHOLAM. CVM. STATVIS. ET. IMAGINIBVS. ORNAMENTISQVE. OMNIBVS. SVA. IMPENSA. FECIT.

Aut cum vetera reficerentur. Lapis repertus in foro Romano.

GABINIVS. VETTIVS. PROBIANVS. V. C. PRÆF.

PRÆF. VRB. STATVAM. QVÆ. BASILICÆ. IVLIÆ. A. SE. NOVITER. REPARATÆ. ORNAMENTO. ESSET. ADIECIT.

Idque non tantùm ab ipsis operum authoribus, sed & ab aliis fiebat, quibus curæ erat ornatum urbis augere. Testis Inscriptio vetus in Basi statuæ, in Thermis Trajani inventæ.

IVLIVS. FELIX. CAMPANIANVS. V. C. PRÆF. VRBI. AD. AVGENDAM. THERMARVM. TRAIANARVM. GRATIAM.

Nec intra tecta operum tantummodo, sed & foris & supra fastigia structurarum ponebantur. Vitruvius III. 3. Architect. *Ipsarum ædium species sunt barycæ, barycephalæ, humiles, latæ, ornantque signis fictilibus aut æreis inauratis fastigia earum, Tuscanico more, uti est ad Circum Maximum Cereris & Herculis, Pompejani item Capitolii.* Agellius N. A. XIII. 13. *In fastigiis fori Trajani simulacra sunt sita circum undique, inaurata equorum, ac signorum militarium.* In porticibus verò statuebantur alternè inter columnas. De Porticu Apollinis Palatini Ovid. III. Trist.

Signa peregrinis ubi stant alterna columnis,
Belides, & stricto Barbarus ense pater.

Propertius Eleg. II. de eâdem

Tantam erat in speciem Pœnis digesta columnis,
Inter quas Danai fœmina turba senis.

De porticu Gallieni Trebellius Pollio in duobus Gallienis. *Porticum*, inquit, *Flaminiam usque ad pontem Milvium & ipse paraverat ducere, ita ut tetrastiche fieret; ut autem alii dicunt, Pentastiche ita ut primus ordo pilas haberet, & ante se columnas cum statuis, secundus & tertius & deinceps διὰ τεσσάρων columnas.* Item Martial. Epigram. III. 19. de quadam porticu, quam Domitius Vipsanam interpretatur, alii Pompejanam, cujus inter columnas ferarum signa, & inter illas ursæ.

Proxima centenis ostenditur ursa columnis,
Exornant fictæ qua Platanona feræ.

Vid. Ovid. V. Fastor: Et Suetonii August. cap. XXXI. de porticibus fori Augusti. Ista autem, persæpe aut celebritate artis, aut

 sui

ſui in pretio. (Erant enim ex auro, argento, ebore, ære) nequam homines invitabant, ut amoverent & auferrent, vel etiam abraderent aut mutilarent. Iuvenalis Sat. XIII.

Confer & hos veteris qui tollunt grandia templi
Pocula adorandæ robiginis, & populorum
Dona, vel antiquo poſitas à rege coronas.
Hæc ibi ſi non ſunt, minor extat ſacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis, & faciem ipſam
Neptuni, qui bracteolam de caſtore ducat;
An dubitet, ſolitus totum conflare Tonantem?

Epigramma eſt Lucillii, Antholog. Græcæ lib. II. cap. 25. in Dionem quendam, qui Venerem auream, Adonin & cupidinem uno furto abſtulit; quod hic, ignoſcent φιλέλληνες, ſi latinè tantum damus, prout illud interpretatus eſt Eilhardus Lubinus.

Emergentem è matre jam mari,
Cyprin totam auream heri furatus eſt Dion,
Et manu ſimul traxit totum aureum Adonin,
Et adſtantem parvum puerum.
Ipſi nunc dicunt, quicunque quondam fures optimi:
Non amplius tibi furandi dexteritatis in contentionem veniemus.

Hoc quoque ſenſu, ibidem Aulus quidam dixit, Diſcipulos multos meliores eſſe Præceptoribus, cum fur ipſe nequior, Mercurium furem callidiſſimum ſurripuiſſet. Ipſum Epigramma, quia feſtivum eſt, non piget apponere, ſed itidem verſum à Lubino.

Volucrem Hermetem Deorum, nuncium,
Arcadum Regem, boum agitatorem,
Stantem horum Gymnaſiorum inſpectorem,
Nocturnus fur Aulus dixit portans;
Multi diſcipuli meliores præceptoribus.

Plura adhuc ibi vide, ſi lubet.

Quare obtinuit conſuetudo, ut cuſtodes conſtituerentur, vigiles urbani & milites, qui obviam iſti malo irent. Tertullianus Apolog. cap. XXIX. *Iam utique ſuas primo Statuas Dii, & imagines, & ædes tuerentur, quæ, ut opinor, Cæſarum milites excubiis ſalva præſtant.* Arnob. lib. VI. adverſus gentes. *Cur Deos ſub repagulis, peſſulis*

aliisque hujusmodi rebus custoditis, conservatis, atque habitis inclusos? at ne forte fur aliquis, aut nocturnus irrepat latro, æditus mille protegitis, atque excubitoribus mille? Præficiebatur verò certus Magistratus, qui istarum rerum curam gereret. Ejus munus *Comitiva Romana* appellabatur. De illa extat apud Cassiodorum Variar. VII. 13. Formula, in qua ita legitur. *Si clausis domibus ac munitis insidiari solet nequissimum votum, quanto magis in Romana civitate videtur illici, qui in plateis preciosum reperit, quòd possit auferri? Nam quidam populus copiosissimus statuarum, greges etiam abundantissimi equorum, tali sunt cautela servandi, quali & cura videntur assiti. Vbi si esset humanis rebus ulla consideratio, Romanam pulchritudinem non vigiliæ, sed sola deberet reverentia custodire. Quid dicamus marmora metallis & arte preciosa? quæ si vacet eripere, rara manus est, quæ possit à talibus abstinere.* Et paulò post. *Quare per indictionem illam Comitivæ Romanæ cum privilegiis & justis commodis suis tibi concedimus dignitatem, ut fideli studio, magnoq; nisu quæras improbas manus* Est haud dubiæ illud ipsum officium, quod in Notitia Imperii, *Curatoris statuarum* nomine venit. Consistebatque in eo hujus muneris natura, ut statuas custodiret, & in fures vindicaret. Quid, quod singulis interdum signis singuli assignarentur custodes, qui pro iis capite caverent, Plin. XXXIV. 7. de cane ex ære, vulnus suum lambente, in cella Junonis in Capitolio; *Cujus miraculum*, inquit, *& indiscreta veri similitudo, non eo solum intelligitur, quod ibi dicata fuerat, verum & nova satisdatione. Nam summa nulla par videbatur. Capite tutelarios cavere pro ea, instituti publici fuit.* Id ipsum judicatum fuisse de Olympi, Panis, Chironis & Achillis signis in septis, quorum ignorabantur authores, idem author tradit XXXVI. 5. *Nec minor*, inquit, *quæstio est in septis, Olympum, & Pana, Chironemque cum Achille qui fecerint, præsertim cum capitali satisdatione fama judicet dignos.* Quin immò canum interdum custodiæ commissa signa legimus. Arnob. lib. VI. adversus gentes. *Indigna res est, & potentiam destruens, authoritatemque summorum custodiam numinum, canum solicitudinibus credere.* Quod apud Ægyptios quoque fieri suevisse, colligere licet ex Horo Apolline. Ita enim ille Hieroglyph. 37. lib. I. *Vatem figurare volentes, canem pingunt; quod canis præter cætera animantia defixis in Deorum simulacra, non secus ac vates consuevere, intentis aspiciat oculis.* Et ex Æliani VII. 18. de Memphiticis canibus

Maxime, ait, *omnium animalium defixis oculis Deorum simulacra intuentur.* Anseribus etiam illam curam tribuit Arnobius loco laudato, cum ait. *Cur canes in Capitolio pascitis? cur anseribus victum, alimoniamque præbetis? Quin imo si fiditis Deos istic esse, nec ab signis uspiam, simulachrisque discedere; permittite illis curam sui.* Extra urbem, in reliqua Italia observo itidem cautum in hanc rem fuisse; Et si aliquando contigit statuam furto auferre propositam certam pecuniæ summam in præmium ei, qui judicium furti deferret. idem Cassiod. Var. 11. 35. de statua ænea è Comensi civitate ablata. Vbi Theodoricus Rex Italiæ ad Tancilam. *Præsentibus*, scribit, *te jussionibus admonemus, ut de Comensi civitate æneam statuã, quæ periisse suggeritur, omni animositate perquiras, spondens etiam centum aureos, si quis hæc sacrilega prodere furta maluerit.* Si verò sponte nemo furem indicaret, locorũ artifices congregabantur, sine quorum scitu aut ministerio statua loco moveri non posse præsumebatur. Et minis expressa confessio, si adesset nocens, Ita eodem in loco. *Sed cum hæc tamen jussa promulgaveris, si adhuc facinus secreto velaverint, post diem venerabilem locorum artifices facias congregari, à quibus sub terrore perquire, quo ministro fuerit perpetratum. Ab imperitis enim harum rerum statuæ facilis eversio non fuisset, nisi eam tentasset movere loco magistra præsumptio.* Qui verò mutilarent statuas, eandem pœnam videntur luisse, in iisdem sui corporis membris. Ita capio hunc authorem VII. 13. In formula prænominatæ comitivæ. *Insidiantes*, inquit, *ad tuum facias venire judicium, & rei veritate discussa, congruam subeant de legibus ultionem. Quia juste tales persequitur publicus dolor, qui decorem veterum fœdant, detruncatione membrorum, faciuntque illa in monumentis publicis, quæ debent pati.* Nisi illa verba, *quæ debent pati*, magis sint ominantis, quam ex vi legis ita statuentis: Quanquam & ut de lege tali credam, faciat multum illa significatio, *de legibus ultionis*, in his verbis præcedentibus. Et certe istiusmodi vim in statuas, non mitius quam alia sacrilegia, solere puniri constat ex Dione Chrysost. Orat. Rhodiaca XXXI. *Impietates*, inquit, *adversus herõas, nemo sane dubitaverit, non eandem habere æstimationem, quam illæ, quæ circa Deos.* Et mox. *An si quis hastulam eripiat è manu, aut galeæ abrumpat cristam, aut scutum auferat è brachio, aut equo frenum, carnifici statim illum tradetis, & eandem sustinebit pœnam cum sacrilegis,*

legis, quemadmodum nimirum multi mortui sunt ob hujusmodi causas. Cujusmodi pœna erat interdum rota, ut deinceps idem ille subjungit. *Et nunc si quis dicat ingrediens, quod deprehensus sit hospes, quidam, aut civis manum aut digitum auferens à statua, clamabitis, & è vestigio jubebitis rotæ imponere.* Interdum præcipitium. Lucianus Phalaride. *Non dissimile factum, si quis apud vos sacrilegum aliquem præcipitio multatum vidisset, Cæterum quæ nefariè designasset, non reputaret; Quemadmodum noctu in templum ingressus sublatis furtim preciosissimis quibusque donariis, fanum religiosissimum impiè depeculatus esset, ac etiam statuis manus sceleratas admovisset.* Et alia id genus. Sed his ita declaratis, nec illud silendum est ornamenta istiusmodi sæpe temporaria fuisse, & adhibita solum ad ornandos ludos, peractisque iis rursum remota. Sic in circum per pompam vehebantur simulacra Deorum. Macrob. I. Saturn. *Vehitur simulacrum Dei Heliopolitani ferculo, veluti vehuntur in pompa ludorum Circensium, Deorum simulacra.* Et consecratorum Cæsarum, Augustarum, aliorumque ex Augusta Domo, ut infra dicetur, de qua consuetudine, vide, si libet Onuphr. Panvin. de Ludis Circensib. I I. 2. Sic quoque ludis scenicis Theatrum exornabatur signorum immensa multitudine. Plinius XXXIV. 7. *In M. Scauri ædilitate tria millia signorum in scena tantum fuere temporario theatro.* Et XXXVI. idem iterat. *M. Scaurus*, inquit, *fecit in ædilitate sua opus omnium maximum, quæ unquam fuere humana manu facta, non temporaria mora, sed æternitatis destinatione. Theatrum hoc fuit, Scena ei triplex, in altitudinem CCCLX. columnarum. Ima scenæ pars è marmore fuit, media è vitro, inaudito etiam postea genere luxuriæ. Summæ tabulis inauratis columnæ, ut diximus, imæ duodequadragenum pedum. Signa cerea inter columnas, ut indicavimus, fuerunt tria millia numero.* quasi dicat, temporarium hoc theatrum non minori cura & impensa factum, quam quæ solent æternitati destinari. Antequam verò Theatra extrui cœpissent, ludi in foro fiebant, quod similiter istiusmodi signis solebat ornari. Ea mutuo sumebant ædiles, & ludorum curatores à provinciis, sociis ac amicis, & Romam deportabant. Asconius in Verrin. I. *Olim cum in foro ludi populo darentur signis ac tabulis pictis, partim ab amicis, partim è Græcia commodatis utebantur*

ad scenæ speciem, quia adhuc Theatra non fuerant. Post ludos finitos removebant, & possessoribus restituebant. Asconius item. *Licebat mutua hæc signa deportare Romam ædilibus ad ornatum ludorum, & rursum sociis reportare.* Quare Cicero Verrin. IV. C. Claudium ædilem laudat quod signa commodata restituerit, cum contra Verres civitatibus ac amicis per vim talia numquam restituenda, abstulerit. C. *Claudius*, inquit, *cujus ædilitatem magnificentissimam fuisse scimus, usus est hoc cupidine.* (Scilicet Heii Mamertini, quem Verres abstulit.) *Tamdiu dum forum Diis immortalibus populoque Romano habuit ornatum. Et cum esset hospes Hejorum, Mamertini autem populi patronus, ut illis benignis usus est ad commodandum, sic ipse diligens fuit ad reportandum. Nuper homines nobiles ejusmodi, judices, & quid dico nuper! imò verò modo ac plane paulo ante vidimus, qui forum ac basilicas non spoliis provinciarum sed ornamentis amicorum; commodis hospitum, non furtis nocentium; qui tandem signa atque ornamenta sua cuique reddebant, non oblata ex urbibus sociorum quatridui causa per simulationem ædilitatis, domum deinde atque ad suas villas auferebant.* Tale quid factum etiam exagitat Orat. pro domo sua, ad Pontif. *Tanagræa quædam*, ait, *meretrix fuisse dicitur, ejus non longe à Tanagris simulacrum è marmore in sepulcro positum fuit. Hoc quidam homo nobilis non alienus ab hoc religioso libertatis sacerdote, ad ornatũ ædilitatis suæ deportavit. Etenim cogitrat omnes superiores muneris splendore superare. Itaq; omnia signa, tabulas ornamentorum quod super fuit in fanis & communibus locis, totâ è Græcia, atque insulis omnibus honoris populi Romani causa sanè frugaliter domum suam deportavit. Is posteaquam intellexit, posse se interversâ ædilitate, à L. Pisone consule Prætorem renunciari, si modo eadem prima litera competitorem habuisset aliquem, ædilitatem duobus in locis partim in area, partim in hortis suis collocavit.*

CAPUT VI.

Privatorum itidem ædes, villæ, suburbia, horti, aliaque possessiones statuis ornatæ. Quibus impositi etiam à beatulis Custodes. Munera amicorum statuæ. Sectores. Mercatores signorum. Immensa precia. Celebritas artificum unde? Crediti illi à Cœlo etiam perfectionem artis adepti. Eorum Patroni inter Planetas Mars, in Zodiaco Capricornus. Flaturarii. Artium liberalium cognitio quantum huc contulerit, ostensum. Dimensio statuarum cujusmodi. Statuæ metalles. Opera ἀρχαίας χειρὸς. Luxus quàm

invi-

invidiosus. Ob celebritatem signorum adita urbes. Roma aliquando agitatum de publicandis signis statuisque privatorum. Prohibitum ex publico in privatum locum eas transferre. Simulacra in varia suppellectile in navibus. Alii signorum & promiscui usus in Architectura. λαμπαδηφόροι, *apud Lucretium juvenes, apud Athenaum, Dii. Marsya. Mos odores in theatris per statuarum foramina spargendi. Qui ea notarint, qua Roma, alibique residua ex his veterum curis adhuc supersunt, indicati.*

ITA videlicet, ut in ordinem jam redeamus, publicè decorari urbem placuit. Sed neque segnior erat cura privatorum in suis exornandis possessionibus. Consueverant enim, quibus lautior aliquantillò fortuna contigit, eo ornamentorum genere domos suas, villas, suburbia, & hortos certatim instruere. Pomponius Iurisconf. l. 245. ff. de verb. signif. *Statuæ affixæ basibus structilibus, aut Tabulæ religatæ catenis ornatus, ædium causa parantur.* Sic Tiburtinum suum Vopiscus exornavit. In eo, inquit Statius, Sylv. 11.

Vidi artes, veterumque manus, variisque metalla
Viva modis; labor est auri memorare figuras,
Aut Ebur, aut dignas digitis contingere gemmas,
Quicquid & argento primum, vel in ære Myronis
Lusit, & enormes manus est experta Colossos.

Sic etiam Surrentinum suum Pollius. Statius Eod. Sylv. lib. multa ejus ornamenta commemorat.

Quid referam veteres ceræque ærisque figuras?
Si quid Apellæi gaudent animasse colores;
Si quid adhuc vacuâ, tamen admirabile Pisa
Phidiacæ rasêre manus, quod ab arte Myronis,
Aut Polycletæo jussum est quod vivere cælo,
Æraque ab Isthmiacis auro potiora favillis,
Ora ducum, & Vatum Sapientumque ora priorum,
Quos tibi cura sequi.

Et Cicero, literis ad Atticum sæpius istiusmodi ornamenta mitti sibi Athenis poscit, quibus Gymnasium suum & Academiam ornet, quod infra etiam attingimus. Habuit enim villam quam peculiari nomine Academiam appellavit, in qua Quæstiones Academicas scripsit; Habuit & Gymnasium in Tusculano suo extructum, quod Lyceum nominavit, ab Atheniensi videlicet

isto Lyceo & Academia utrumque. Magnam verò partem eorum decorum in hortis adspiceres. Plin. Nep. Epist. Lib. I V. de M. Regulo. *Tenet se trans Tiberim in hortis, in quibus latissimum solum, porticibus immensis, ripam statuis suis occupavit.* Vt & in aliis operibus & ædificiis. Seneca Epist. L X X X V I. de balneis Libertinorum *Quid*, inquit, *cum ad balnea Libertinorum pervenero? Quantum, statuarum, quantum columnarum est, nihil sustinentium, sed in ornamentum positarum & impensæ causâ.* His talibus nonnunquam Servos etiam custodes imponebant, magno numero. Iuvenal. Sat. X I V.

Dispositis prædives hamis, vigilare cohortem
Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro
Electro, signisque suis, Phrygiaque columna,
Atque Ebore, & latâ testudine.

Quanquam tamen lapidea, lignea, & ex alia viliore materie signa incustodita reliquerint, præcipuè quæ procul ædibus erant. Vnde lepide jocatur Martialis V I. Epigram. 72. in Priapum, hortorum custodem, quod se ipsum contra Cilicem furem nequiret custodire. Ex mormore ille erat. Itaque Poëta,

Fur, ait, *notæ nimium rapacitatis,*
Compilare Cilix volebat hortum;
Ingenti sed erat, Fabulle, in horto
Præter marmorem nihil Priapum,
Dum non vult vacuâ manu redire,
Ipsum surripuit Cilix Priapum.

Porrò Studium earum rerum vel indè æstimes, quod cum beatioris cujuspiam domus fortuito incendio conflagrasset, amici mox reparandi damni causa, istiusmodi ornamenta, tanquam rem inter reliquam supellectilem apprimè necessariam conferebant, Iuven. Sat. I I I.

Iam accurrit qui marmora donet,
Conferat impensas: hic nuda & candida signa,
Hic aliquid præclarum Euphranoris aut Polycleti,
Phæcasianorum vetera ornamenta Deorum:
Hic libros dabit & forulos, mediamque Minervam.

Et

Et donabant aliàs, amicis talia testandæ benevolentiæ. Horat. IV. Carmin. Oda 8. ad Censorinum.

Donarem pateras, grataque commodus
Censorine meis æra sodalibus.
Sed non hæc mihi vis.

Quo in loco Horatius sibi facultates tantas non esse dicit, ut pateras possit, & Statuas, tripodesque, aut alia magni precii munera donare. Poterant quippè, quibus allubitum fuit, abundè ista suppetere. Namque in hoc parabant ipsi Artifices. Sen. Epist. LXV. *Quid est propositum, quod invitavit artificem quod ille secutus fecit? Vel pecunia est hoc, si venditurus fabricavit, vel gloria, si laboravit in nomen, vel religio, si donum, templo paravit.* Et præter artifices, ut aliarum mercium, ita signorum erant mercatores, Sectoresque, cujusmodi fuit Damasippus ille apud Horat. Sat. lib. II. 3. qui consumpto per mercatum patrimonio, cœpit στωΐζειν. ita ille de se.

Olim, inquit, *quærere amabam*
Quo vafrè, ille pedes lavisset Sisyphus ære:
Quid Sculptum infabrè, quid fusum durius esset,
Callidus huic signo ponebam millia centum,
Hortos, Egregiasque domos, mercarier unus
Cum lucro noram.

Ii itaque publicè venales exponebant has delicias, ut emerent φιλόκαλοι. Vnde Plutarchus lib. de Curiositate. *Romæ quædam picturas & statuas flocci pendentes, in foro monstrorum obversantur & quærunt, si qui sint vitiosis tibiis.* Quasi reprehendat eos, qui præteritis auctionariis tabernis aut foris, ubi Statuæ & signa venirent, quorum liberalior digniorque cura fuisset, in monstrorum forum rectâ irent. Et vendebant magno precio. Vnum & id quidem exiguum signum. H--S. C. XX. millibus venisse ex Cicer. Verr. IV. patet. *In auctione signum æneum non magnum H--S. C. XX. millibus venire non vidimus?* Quæ sestertiorum summa, si ad hodiernam monetam Romanam conferatur, efficit 3600 Scutatos Romanos, ut ex alia occasione rationem suppetat Aldus Manutius in de Quæsit. per Epist. I. 8. Scutatus autem Romanus argenteus ferè

 nostra

nostro imperiali, sive Ioachimico respondet; Ferè, inquam, ne rei monetariæ minutias, nullis non temporibus variè mutatas hoc loco excutiamus. Ob grande hoc precium, miratur eodem in loco Cicero, quod Verres præstantissimorum signorum rapinā ex Heii Mamertini sacrario, titulo emptionis tueri vellet, cum Cupidinem Marmoreum Praxitelis, Herculem æneum Myronis, & duas ex ære Canephoras, Polycleti opera, H-S. VI. millibus & D. emisse causaretur. *Hæc*, inquit, *omnia signa, Praxitelis, Myronis, Polycleti H-S. V I. millibus & D. Verri vendita sunt*, & post, *Cupidinem Praxitelis H-S, M. D C? profectò hinc natum est; Malo emere quam rogare.* Hoc est, Scutatis XLVIII. Tullius ad Attic. lib. I. Epist. 7. dicit se curasse Cincio H-S. CCLↃↃ. CCLↃↃ. CCCC. pro signis Megaricis, hoc est, 20400 sestertium Nummum. Sed majus fortè precium erat, quo Venerem Gnidiam Praxitelis redimere voluit Nicomedes, de quo Plin XXXVI 5, *Voluit eam à Gnidiis mercari Rex Nicomedes, totum æs Civitatis alienum, quod erat ingens, dissoluturum se promittens; omnia perpeti maluêre, nec immeritò.* Præcipua caritatis ejus causa fuit, partim *Celebritas artificum*, partim *operis antiquitas.* Quod artifices attinet, quis ignorare potest, quanta sint Phidiæ, Praxitelis, Polycleti, Lysippi, Alcamenis, Myronis, Scopæ, in Græcorum pariter & Romanorum monumentis nomina? Adeo ut sæpe solo hoc mangonio Emptor alliceretur, quòd signum vel Phidias, vel Praxiteles quispiam fecerit, ut ex locis Ciceronis jam modo laudatis, sagax lector intelliget, ne prolixè aliis testimoniis id ipsum probare opus sit. Et hoc respectu ἀλλοτριότητι, *alienum quid*, sæpè magis observari in statuis, quàm quod proprium est, notavit Plutarchus in Reip. gerendæ præceptis, ubi ait. *Nil opus est honoribus, pictis, fictis, aut ex ære ductis, in quibus etiam id, quod præclarum habetur, alienum est. Non enim cui, sed is, à quo factus est tubicen aut stipator, laudatur.* Excurrere paululum hic, quod candidi lectores ignoscent, & quærere libet, quidnam sit illud, ob quod tantam famam nomenque consecuti fuerint veterum artificum nonnulli, ut opera eorum præ omnibus aliis aliorum omnium æstimarentur, haberenturque vicina miraculis? Elegantiam, & accuratam quandam operum perfectionem si dixero, fortè curiosis non fecero satis, nisi simul ostendam ad culmen istud artis pervenire

eos

eos non potuisse, nisi id impetrassent partim *ab indole sua, sive peculiari quâdam naturæ inclinatione*, partim *à studio & liberalium scientiarum cognitione.* Nam quantum usus, qui aliàs felix artium exactor esse solet, in his præstiterit, non jam anxiè hic expendo, cum illum in mediocribus æquè ac summis artificibus haud rarò assiduitate parem, sed valdè imparem profectu reperire contingat. Per indolem itaque intelligo tum *præcipuam quandam vim, Phantasiæ*, tum *imitandi industriam.* Nam non solum Oculis, perspicacissimo sensui, varias ad imitandum figuras ipsa natura fœcunda mater objecit; Sed præterea imaginatricem facultatem contulit, ut nosset exprimere etiam ea, quæ oculis obvia non essent. Vtrumque egregiè delineat Philostratus de vita Appollon. VI. 9. In Thespesionis Gymnosophistæ, & ipsius Appollonii Thyanei colloquio. *An vestri Phidiæ & Praxiteles*, *inquit Thespesion*, *cœlum scandentes*, *atque ibi Deorum effigies exprimentes*, *eas postmodum ad artem attulerunt? Anne aliud quid est*, *quod eos fingere docuit? Aliud*, *inquit*, *Appollonius*, *& quidem sapientiâ plenum. Quidnam id est? inquit ille: Nihil enim dixeris præter imitationem: Phantasia*, *inquit Apollonius*, *hæc perfecit; Artifex imitatione sapientior. Imitatio hoc enim tantum operabitur*, *quod vidit. Proponet enim sibi id ipsum quod non novit*, *ad ejus quod est*, *relationem. Imitationem quoque sæpe stupor impedit*, *Phantasiam verò nihil.* Primas tamen, ut vides, tribuit imaginationi. In quo, suffragantem sibi habet Ciceronem in Bruto, ubi de Phidia. *Nec verò ille*, inquit, *artifex, cum faceret, Iovis, formam aut Minervæ*, *contemplabatur aliquem*, *è quo similitudinem duceret*, *sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quædam*, *quam intuens*, *in eaque defixus, ad illius similitudinem artem & manum dirigebat.* Quem locum videtur præ Oculis habuisse Seneca Rhetor. Controvers. X. 5. *Non vidit*, ait, *Phidias Iovem*, *fecit tamen velut tonantem*, *nec stetit ante oculos ejus Minerva, dignus tamen illa arte animus*, *& concepit Deos & exhibuit.* Ideam hoc exemplar appellat Plato, ad quod respiciens artifex, id quod destinabat, efficit vid. Senecam Epist. LXV. Ex qua Idea, seu imaginatione alia etiam stupenda inventa in usus hominum prodiisse idem Plato author est in Sophista. *Quemadmodum*, inquiens, *qui primus in navi conficienda laboravit, exemplum navis imaginando excogitavit.* Tum hinc venire arbitror, quod præter communem illam imaginandi fa-

cultatem, quam generi nostro natura impertivit, etiam singulorum inter se artificum diversam longè indolem reperias, & unumquemq; in eo opere, ad quod se trahi naturę quadam invitatione senserit, maximè profecisse. Quapropter hunc Deorum, illum hominum, alium ætatis, non neminem sexus effingendâ similitudine feliciorem fuisse constat; Alius item metallo, alius ebore tractando melior extitit. Vno loco, nec eò admodum prolixo, multa in hanc rem complexus est Fab. Quint. XII. 10. *Nam duriora, inquit, & Tuscanicis proxima, Calon atque Egesias, jam minus rigida Calamis, molliora adhuc supradictis Myron fecit. Diligentia ac decor in Polycleto supra cæteros, cui quanquam à plerisque tribuitur palma, tamen ne nihil detrahatur, deesse pondus putant. Nam ut humanæ formæ decorem addiderit supra verum; ita non explevisse Deorum authoritatem videtur. Quin ætatem quoque graviorem dicitur refugisse, nihil ausus ultra læves genas. At quæ Polycleto defuerunt, Phidiæ atque Alcameni dantur. Phidias tamen Diis, quàm hominibus efficiendis melior artifex traditur. In ebore verò longe citra æmulum, vel si nihil nisi Minervam Athenis, aut Olympium in Elide Iovem, fecisset. Cujus pulcritudo adjecisse aliquia etiam receptæ religioni videtur. Adeò Majestas operis Deum æquavit. Ad veritatem Lysippum & Praxitelem accessisse optimè affirmant. Nam Demetrius, tanquam nimius in ea reprehenditur, & fuit similitudinis, quam pulchritudinis amantior.* Fuisse item, qui Brutis, quam hominibus fingendis accuratiores essent, Calamis suo exemplo docet, qui Equos sine æmulo expressit. *Cujus quadrigæ*, ut Plin. XXXIV. 8. refert, *Praxiteles suum aurigam imposuit, ne melior in equorum effigie, defecisse in homine crederetur.* Id ipsum Propertius repetit III. Eleg. 8.

Gloria Lysippo est animosa effingere signa,
Exactis Calamis se mihi jactat Equis.

Cæterum fuere, quibus indolem hanc dari ab astris & cœlo, persuasum erat: Astrologorum filii nimirum. Libenter hunc locum transirem, ne ob me βλακεννόμιον aliquod, sive tributum novum pendere cogantur Astrologi, ut olim Alexandriæ, quod ad eos accederent Stulti: Sed aliqua dicam, non tàm quod non omni prorsus ratione destituuntur, qui talia tradidere, quàm quod hæc talia, quia in literas relata sunt, ignorari non debent in hoc argumento versantibus. Habet secundum illos hæc ars Patronos cœlestes, inter Planetas *Martem*, in Zodiaco *Capricornum.*

ornum. Existimatum est, homines ad certa vitæ genera propendere, prout in Ortu Stellæ illuxerint. Esse item pro diversa constitutione in corporibus aliud atque aliud temperamentum, pro temperamento variare etiam animi propensionem & mores, hinc sequi hoc vel illud vitæ institutum. Vndè tres præcipuos artium & Magisterii datores constituere Astrologi ex Planetis, Martem, Venerem & Mercurium. Pro quorum collocatione, altitudine, dejectione, dignitate, ignobilitate, aliarumque erga illos Stellarum aspectu, ipsæ artes fierent nobiles, aut ignobiles, utiles aut inutiles, felices aut infelices, celebres aut infames. Ex his Magistris Martem, ut dixi, huic arti præfecere. Audiamus hac de re Iovian. Pontan. de reb. Cœlest. VIII. I. Mars, inquit, cum fuerit Magisterii, atque actionum dator, proque dignitate ac excellentia præfecturæ hujus suæ collocatus, si feliciter, felicibusque à Stellis conspectus illustrabitur, nocturna quidem in genitura (Siquidem nocturno gaudet Mars tempore:) decernit militiam, decernit militari ab exercitatione ac disciplina, bellicisque item ex artibus, gloriam, honorem, Magistratus, præclaraque pollicetur insignia, &c. Quod si authoritas imminuta fuerit adeo; ut ad artes opificas ac manuum Magisteria descendendum sit, tamen ut in his decernendis dignitatem, quoque Mars suam magna è parte retineat, natus ipse, quæ circa ignem, aut quæ circa ferrum versatur, artem exercebit, quadam cum nobilitate ac præstantia, interque artifices alios commendatione & fama. Erit autem ars, quæ igni exerceatur, ubi Mars Soli aliqua ratione aspectus configurabitur, qualis est ars fabri ferrarii, aut fornarii, aut fornacarii, aut *Fusoris Conflatorisque.* Vbi verò nulla cum Sole aspectus ratione jungetur, ars ipsa ferro administrabitur, futurusque est natus is aut agricola, aut Lapicida, aut faber lignarius. Sic eo in loco ille. Quin duos interdum Magisterii Datores assignat. Idem ejusdem libri Cap. 4. Si verò, inquit, contingerit duos simul ex iis æquata potestate tradendæ artis jus sibi desumere, Sique Mars ac Mercurius fuerint, natus ille, in cujus genitura Martis, hæc Mercuriique Societas forte evenerit, futurus est aut Accusator, aut Medicus,

Medicus, aut Chirurgus, aut *Statuarius*, Scutarius, atque armorum faber. Quibus in locis *Conflatores*, *Fusores*, *Statuarios*, à Marte suæ artis auspicia accipere vult credi. Quid verò huc conferat Capricornus, generatim quidem, & obscurè innuit Ptolomæus lib. IV. Apotelesmat. Vbi postquàm indicavit Zodiaci signa ἀνθρωπόμορφα conferre ad cognitionem scientiarum, quæ propriæ sunt hominum, signa quadrupedum animalium ait conferre ad effodienda metalla, ad exercendam mercaturam, ad ædificandas domos, atque ad fabriles artes sequendas. Clarius aliquantillò Manilius IV Astronomicon.

Vesta tuos, Capricorne, fovet penetralibus ignes.
Hinc artes studiumque trahis: Nam quicquid in usus
Ignis agit, poscitque novas ad munera flammas,
Sub te censendum est. Et post.
Quicquid & argento fabricetur, quicquid & auro,
Quod ferrum calidi solvant atque æra Camini,
Consumantque foci Cererem, tua munera surgent.

Ad quem locum Ioseph. Scaliger artes illas enumerat, Capricornus dat Fusores, Conflatores, sive Flaturarios, Metallarios, Aurifices. Quo quidem non tota Statuariorum Schola ablegandá est, sed ii tantum qui opera sua ad ignem perficiunt. Per Vestam enim ignis intelligitur, ut ait Ovid. VI. Fast.

Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam.

Flaturariorum vetus inscriptio meminit.

C. SELTIVS. ONESIMVS. FLATVRAR.
DE. VIA. SAC.

Sed in his, si plus attulero, quàm velim credi, non est ἄπτερος μῦθος. A liberalium denique artium notitiâ obtinuisse artifices, ut celebres evaderent, me dixisse memini. Inprimis verò adnitebantur, ut *Poësin*, *Historiam*, *Mathesin*, *&* *morum affectuumque disciplinam* callerent. De *Poësi*, Strabo Geograph. VIII. elegans prodit exemplum. *Vnum*, inquit, *de Phidia memoriæ proditum est, ab eo Pandæno responsum, qui cum Phidiam interrogaret, quodnam ad exemplar, Iovis Statuam*; (incomparabile illud Phidiæ opus, Iovem Olympium intelligit,) *facturus esset? ad Homeri respondit paradigma, quod hisce versibus explicavit.* Iliad. α.

Ἦ καὶ

'Η καὶ κυανέυσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε κρονίων,
'Αμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον,
Atque superciliis Saturnius annuit atris;
Ambrosiæ fluxere Comæ de vertice regis
Æterni, ast nutu magnum concussit Olympum.

Id Prudentius quoque indigitat. II. in Symmach. quamvis ob Idololatriam magis reprehendat, de artis præstantia non solicitus. Ait enim.

At vos pictorum docuit manus, assimilatis
Iure Poëtarum numen componere monstris.
Aut lepida ex vestro sumpsit pictura sacello,
Quod variis imitata notis, ceraque liquenti
Duceret in faciem, sociique poëmatis arte
Aucta, coloratis auderet ludere fucis.
Sic unum sectantur iter, sic inania rerum
Somnia concipiunt, & Homerus & acer Apelles
Et Numa, cognatumque malum, pigmenta, camenæ,
Idola conflavit, fallendi docta potestas.

Et Lucianus Imaginibus, cum effigiare formosissimam mulierem vellet, non solum collatione facta omnium statuarum & imaginum, quæ celeberrimæ toto orbe essent, ex iis sumpsit, quod in quaque potissimum, ac plurima artis laude nobilitatum fuit. Sed Homerum quoque advocavit; quasi absque Poëtæ Iudicio hic nihil perfectum, effici potuisset? *Homerus*, inquit, *quoque illam risus amantem & studiosam faciat, & candidis humeris, atque lacertis decoram, & roseos habentem digitos.* Et paulo post. *Hæc fictores, atque pictores, & Poëtæ elaborabunt.* Cur verò Statuarii Poëtas sequerentur, docet Dio Chryst. Oratione. XII. quæ est de cognitione Dei. *Pictores*, inquit, *& Statuarii non omnino in formis Deorum effingendis à Poëtis discesserunt, tum ne viderentur transgressores, & ob hoc pœnis obnoxii essent: Tum etiam, quod se à Poëtis præoccupatos cernerent, eorumque simulacra fingendi modum, ut antiquiorem obtinere. Quare noluerunt vulgo hominibus videri mendaces, & injucundi nova promendo.* De *Historia* res est manifesta. Cognitionem certè historiæ Caryatidum, aut captivorum Persarum in Statuario verius, quam Architecto Vitruvius requisivisset, quanquam nec in hoc inanem aut superfluam: Causa

tamen

tamen eadem utrisque, ut rationem cur fecerint, reddere scirent quærentibus, nisi quod Statuarius nullum aggredi opus, multò minus perficere, ab hac cognitione non instructus, posse videretur.

Præterea *Opticam & Geometriam*, ut proprias & suæ inprimis arti accommodatas disciplinas celeberrimi artifices perdidicere. Illustre in hanc rem exemplum habet Tzetzes Chil. VIII. hist. 193. Quam, quia prolixior in authore est, nec tamen omittenda, brevibus verbis exponam: Athenienses Minervæ simulacrum in excelsa columna dedicare constituerant. Phidiæ & Alcameni negotium conficiendi operis datum, ut cujus nobilissimum opus omnium judicio foret, ibi statueretur. Alcamenes Geometriæ & Optices ignarus, gracilem fecit Deam, & idcirco propè spectantibus elegantissimam visam. Phidias verò in Opticis & Geometricis egregie peritus, pro ratione altitudinis, in qua collocanda erat statua, totam operis faciem immutavit, labia aperta finxit, diductasque nares & cœtera in hunc modum. Quibus utrisque productis in medium simulacris, parum abfuit, quin à multitudine lapidibus obrutus fuisset Phidias, donec in destinatam altitudinem evectis statuis, consummatæ artis arcanum melius appareret. Ex eo Phidias celebrari impensè cœpit, Alcamenes ludibrio omnibus erat. Nam ut alibi idem Tzetzes docet.

Τὸ ὕψος κλέπτειν εἴωθε, καὶ γὰρ τὴν θεωρίαν.

Consuevit enim altitudo furari aspectum.

Hujus porrò Geometriæ beneficio certam Legem distribuendorum operum habuere antiqui, & ex iis mutuati sunt recentes. Etenim corporis humani magnitudinem, circa quod præcipuè versantur, per pedes plerumque aut palmos, aut pollices, sed maximè per facies metiuntur. De dimensione per facies, ut cœtera præteream lubet artis peritos auscultare. Pompon. Gauricius de Sculpt. ex Scamozzio. Et licet, inquit, satis diversæ sint opiniones de proportione, ut octo, aut, etiam decem facierum in altitudine, tamen maximè conveniens forma virilis æstimatur novem facierum. Quas ita dividit. A principio capillorum usque ad mentum pars una. A mento ad jugulum gulæ pars dimidia, inde ad mammillas, pars una, à Mammillis ad umbilicum, pars una, ab umbilico ad recondita naturæ, pars

una,

una, Et hoc est dimidium altitudinis corporis stantis erecti in pedes. A reconditis naturæ usque ad medium femorum, pars una. Inde ad genua pars una. à genibus ad medium surarum, pars una. Inde ad collum pedum, pars una; & ab hoc ad plantas, pars dimidia. Ita ut in totum fiant partes IX. aut pollices XXVII. Eodem modo corporis etiam latitudinem dimetitur. Quæ mensura, quomodo aut extendenda aut contrahenda sit pro statuarum magnitudine aut brevitate, nemo est qui judicare ipse non possit. *Ex Physica* porrò & *Ethica* ipsos animi motus & affectus exhibere in rigida metalli aut marmoris superficie scitè noverunt. Ex Naturæ scientia habuit Aristonidas, quod felici mistura ferri & æris decentem verecundiæ ruborem in Athamantis statua expresserit. Plin. XXXIV. 14 Qui ex Statuariis hominum mores & affectus repræsentare commodè poterant, appellati sunt ab Aristotele Polit. VIII. 5. Ἀγαλματοποιοὶ ἠθικοί id est, *Fictores morales.* Vnde fortè Statuæ nonnullæ Ethicæ appellantur, quarum paucis meminit Rhodius. XXIX. 24. Lect. antiquarum. Sed longius fortassis, quàm par erat, digressus sum. E diverticulo itaque in viam redeam; Non ergo sola artificum celebritas, sed ipsa etiam, ut dixi, *antiquitas & vetustas*, operibus istiusmodi æstimationem magnam dedit. Vndè origo adagii ἀρχαίας χειρός, id est, *Priscæ manus opus*, quod artis est plenum. Synesius in Epist. *Commonstrare aliquid priscæ manus, quod de Statuis dicere solemus.* Themistius in Orat. de amicit. *Simulacra priscæ artis tempore indigent ad sui admirationem.* Et hoc nomine Statuam commendat Apulejus I. Florid. *Veterrimum & Spectabile opus*, appellans. Martialis item lib. IX. Epigram. 44. hinc Herculem Vindicis Epitrapezium maximè laudat, cum ait,

Non est forma recens, nec nostri gloria cæli,
Nobile Lysippi munus, opusque vides.
Hoc habuit numen Pellæi mensa tyranni,
Qui citò perdomito victor in orbe jacet.
Hunc puer ad Libycas juraverat Hannibal aras,
Jusserat hic Syllam, ponere regna trucem.

Vt indè non immeritò rudis admodum habitus sit Mummius, Corinthi victor, quod veteres ac novas Statuas perinde æstimaret. Vellei Paterc. I. *Mummius tàm rudis fuit, ut capta Corintho,*

eum maximorum artificum perfectas manibus tabulas, ac Statuas in Italiam portandas locaret, juberet prædici conducentibus, si eas perdidissent, novas eos reddituros. Quanquam interdum etiam vetusta opera statuarum pro simplicibus rudibusque leguntur accepta; ut Porsenæ Statua *antiquo modo & simpliciter facta* diciur à Plutarcho in Poplicolâ. In hoc itaque mercatu luxuriabant multi, usque ad culpam & invidiam. De Silio Italico Plinius Nepos Epistolar. lib. III. *Erat*, inquit, *Φιλόκαλος, usque ad emacitatis reprehensionem: Plures iisdem in locis villas possidebat, adamatisque novis priores negligebat. Multum ubique librorum, multum Statuarum, multum Imaginum.* Salust. Oratione I. ad Cæsarem de ordinandâ Rep. *Domum aut villam extruere, eamque signis, aulæis, aliisque operibus exornare, & omnia potius quàm semet visendum efficere, id est, non divitias decori habere, sed ipsum illis flagitio esse.* Et hoc unum inter reliquas odii causas erga potentiores Catilina adducit Oratione ad Conjuratos apud Sallust. Bell. Catil. *Cùm tabulas*, inquit, *Signa, toreumata emunt, nova diruunt, alia ædificant: postremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant, tamen summa libidine divitias suas vincere nequeunt; at nobis est domi inopia.* Insaniæ vero genus quoddam fuit, voluptatum illarum desiderium ultra facultatum modum extendere. Horat. Satyr. lib. II. Sat. 3.

Insanit veteres Statuas Damasippus emendo.

Seneca Epist. XCVI. *Quid inter pueros & nos interest? nisi quod nos circa tabulas & Statuas insanimus, carius inepti.*

Quapropter nonnulli, aut ista penitus negligebant. Horat. Epist. II. 2.

Gemmas, Marmor, Ebur, Tyrrhena Sigilla, Tabellas,
Argentum, Vestes Gætulo murice tinctas,
Sunt qui non habeant, est qui non curat habere.

Aut cum habebant, non tam instrumentum domesticæ luxuriæ esse volebant, quam id agebant, ut φιλοκαλίας famam captarent. Quare omnibus, hospitibus præsertim ac peregrinis patêre talia visenda volebant. De Heii Mamertini signis, Cic. Verr. IV. *Messanam ut quisque nostrum venerat, hæc visere solebat. Omnibus hæc ad visendum patebant quotidie. Domus erat non Domino magis orna-*

ornamento, quam civitati. Etenim ex celebritate ſignorum nobilitata multa ſunt loca, in quibus extiterint, & ſola eorum cauſa aditæ urbes. Cicer. Verr. eâdem, de Cupidine marmoreo, quem abſtulit Verres, *Propter eum*, inquit, *Theſpiæ viſuntur. Nam alia viſendi cauſa nulla eſt.* Hunc locum Ciceronis citat Plinius XXXVI. 5. de Praxitele loquens; *Ejuſdem eſt Cupido, objectus à Cicerone Verri, ille propter quem Theſpiæ viſebantur.* Eodem capite ſimiliter & frequentata Gnidus ob Venerem Praxitelis dicitur. *Ante omnia & non ſolum Praxitelis, verum & in toto terrarum orbe Venus, quàm ut viderent multi, navigaverunt Gnidum.* Alii verò cum privatim habere poterant, honeſtius putabant publico honori deſtinare. Cicer. Verr. I. de M. Marcello, Flaminio, L. Paulo, L. Mummio. *Quorum domus*, inquit, *cum honore & virtute florerent, ſignis & tabulis pictis erant vacuæ. At vero Vrbem totam; templa Deorum, omneſque Italiæ partes eorum donis ac monumentis exornatas videmus.* Idem Verr. IV. de Marcello. *Romam quæ aſportata ſunt, ad ædem Honoris atque Virtutis, aliiſque in locis videmus, nihil in ædibus, nihil in hortis poſuit, nihil in ſuburbano. Putavit ſi Vrbis ornamenta domum ſuam non contuliſſet, domum ſuam ornamento Vrbi futuram.* Quin etiam publicè agitatum reperio, de publicandis ejuſmodi ornamentis, quæ privato luxu detinebantur. Plinius XXXV. 4. *Extat M. Agrippæ oratio magnifica, & maximo civium digna, de tabulis omnibus, ſigniſque publicandis. Quod fieri ſatius fuiſſet, quam in villarum exilia pelli.* Quare multò minùs licuit è publico in privatas ædes transferre, nec vel ipſi Principi. Plinius XXXIV. 8. *Plurima ex omnibus ſigna fecit Lyſippus, fœcundiſſimæ artis, inter quæ diſtringentem ſe, quem M. Agrippa ante Thermas ſuas dicavit mirè gratum Tiberio Principi; qui non quivit temperare ſibi in eo, quanquam imperioſius, ſui inter initia Principatus, tranſtulitque in cubiculum alio ibi ſigno ſubſtituto; cum quidem tanta populi Romani contumacia fuit, ut magnis theatri clamoribus reponi Apoxyomenon flagitaverit, Princepſque quanquam adamatum repoſuerit.* Huc non incommodè referri poſſunt illa Simulacra, Sigilla & Emblemata, quæ in varia ſuppellectile, & domeſticis utenſilibus

Romani oftentabant. Cujufmodi fuere *Sigillati Scyphi*, apud Cicer. Verr. I V. & *Caper juvenalis*, ftans extra pocula, de quo Sat. I.

Argentum vetus, & ftantem extra pocula caprum.

Patella quoque illa grandis, cum Sigillis ac Simulacris Deorum, de quâ Cic. Verr. I V. Et *Candelabrum cum Sigillo.* L. 23. ff. de Rei vindic. §. 2. Itemque *Phiala cum lacerta*, apud Martial. Epigram. I I I. 41. Et id genus alia fculpta & cœlata Imprimis verò illa, quæ in navibus veterum, tàm Brutorum, quam Deorum ac Heröum fpectabantur figna, & tutelæ, de quibus varia & ea quidem non vulgaria, ex diligentiffima antiquorum lectione obfervavit Clariffimus I. Schefferus, Amicus nofter fingularis & Collega honorandus, in Eruditiffimo opere fuo de militia navali lib. I I I. Cap. I. Neque hic prætereundum eft, quod Statuæ & fimulacra, de quibus jam ante modò diximus, præter ornamentum, alios etiam ufus fimul præftiterint. Nam in Architectura & ædium exftructionibus vice columnarum interdum aliquid fuftinebant, ut *Perfæ Captivi*, & *Caryatides* apud Vitruvium. Et Menfarum ac lectorum fulcra five pedes in Simulacra varia formabantur. De lectis, Etymolog. Magn. *Hermis lecti pes. Quoniam in ipfis fculp. ant figna Mercurii, tanquam præfidis fomni & fomniorum.* vid. & Hefychium in Ἑρμῖνα. De Menfis Iuvenalis. Sat. X I.

Nil Rhombus, nil dama fapit, putere videntur
Vnguenta, atque Rofæ, latos nifi fuftinet orbes
Grande Ebur, & magno fublimis pardus hiatu,
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes.

Interdum alia minifteria fubibant. Cujufmodi erant, *Lampades in ufum nocturni luminis præferre*, ut Iuvenum illa Simulacra, de quibus Lucretius I I. verf. 24.

Si non aurea funt Iuvenum Simulacra per ædes,
Lampades igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut fuppeditentur.

Quod ex Homero ad verbum penè expreffiffe Latinum Poëtam obfervavit πολυμαθέστατος ille If. Cafaubonus Animadverf. in Athenæi IV. 2. ubi ejufmodi fimulacrorum mentio fit itidem. *Laxatis*, inquit, *Septis*, *Cupidines*, *Dianæ*, *Panes*, *Mercurii & hujufmodi aliæ imagines lampadibus argenteis, tanquam facibus prælucentes*

gentes apparuerunt. Item *Fundere aquas fontium.* Vt Marſyæ apud Petronium. *Odore ſpargere*, ut in Theatris, ubi per minuta quædam Statuarum foramina expreſſus odoratus humor, Spectatoribus adſpergebatur, quod Lucanus innuit: Pharſal. lib. I X.

Vtque ſolet pariter totis ſe effundere ſignis
Corycii preſſura croci, Sic &c.

Crocum vino dilutum intelligens, qui ſic ſparſus, cujuſque in ſpectaculis creber uſus, ut ſolennes inde crocos Propertius nominaſſe videatur lib I V. Eleg. I.

Pulpita ſolennes non oluere crocos.

Sed quis omnia enumerare poteſt? Nec opus eſt in re pervulgata & non dum deſita. Quippe apud hodiernos etiam Romanos id genus ornamentorum eſt affatim, ut ignorare non poſſunt qui aut Romam ipſi viderant, aut aliundè ſcire poterant, partim ex ſermonibus eorum, qui ea loca perluſtrarunt, partim ex libris multorum Apodemicis, qui ſedulò & diligenter ſpecioſa hæc antiquitatis monumenta notata deſcriptaque cupientium oculis oſtentant. Immenſam enim copiam ſtatuarum, quarum maxima pars ab ipſa veteris ævi memoria hodieque ſervata eſt, & adhuc in Illuſtriorum Romanorum theſaurophylaciis, hortis, villis ſuburbanis, palatiis, porticibus, aliiſque locis viſitur, pleno numero exhibent Paulus Merula. Coſmograph. part. I I. Lib. I V. Cap. 22. & Ianus Iacob. Boiſſardus in Topograph. Vrbis. & per cœteras Antiqq. paſſim. Itemque Andreas Schotus in Italia ſua. Andreas Fulvius de Antiqq. Rom. Ioh. Heinrich. à Pflaumern in Mercurio Italico, & tot alii.

CAPUT VII.

Recenſio hiſtorica intervallorum aliquot, quibus inſigniter aucta eſt ſtatuis Roma. Nata plurima in ipſâ urbe. Major tamen facta acceſſio per externa bella, ex Sicilia, Græcia, Aſia, Ægypto, Libya. Græci olim deliciarum ejuſmodi per quàm ſtudioſi. Athenienſes inprimis, Rhodii & Thebani. Quis Cajus, Quis Claudius ſit apud Pauſaniam, qui Theſpienſem Cupidinem avexerit, reſtituerit, dubitatum? Prætorum & Magiſtratuum Provincialium circa hanc rem avaritia & rapina. Statuas bello captas non victoris aut occupantis, ſed Reipublicæ fuiſſe. Conceſſa tamen facultas

cultas Triumphantibus eas praferre in Triumphis. In quibus traducta & alia, de novo in hunc usum facta, Devictorum Regum, Ducumque; item Regionum, Urbium, Marium, Fluviorum, Montium, humana specie. Bello capta postea Condi in arario jussa. In publicas rationes relatus earum numerus, item cujusque magnitudo, figura, status. Cur admodum pauca hodie ex tanta copia Roma supersint, quasitum? Et pestes illarum pracipua notata.

UNde tot ornamenta habuerunt Romani, hoc loco breviter quoque indicandum est; Et quidem certum est, magnâ copiâ in Italia factas statuas fuisse. Cassiodor. Var. VII. 15. *Has primum Thusci in Italia invenisse referuntur, quas amplexa posteritas, pene parem populum urbi dedit, quàm Natura procreavit.*

Verum quia tot faciendis statuis, quot apud Romanos extitisse memoriæ traditum est, non totarum nationum, ne dum urbis unius manus videantur suffecisse, sciendum est hic etiam locupletatam fuisse Romam, per externorum bellorum commercia, convectis quasi in unam sedem omnium propè gentium, quas bello subegerant, statuis & ornamentis. Cic. Verr. V. *In urbe nostra pulcherrima, atque ornatissima, quod signum, quæ tabula picta est, quæ non ab hostibus victis capta atque apportata sit?* Apportata videlicet curâ victoris, qui conductoribus transvehenda id genus ornamenta, si ipse nequiret, solebat locare. Vellejus Patercul. I. de Mummio, excisâ Corintho. *Cum statuas in Italiam portandas locaret, jussit prædici conducentibus, si eas perdidissent, novas eos reddituros.* Hinc Romanæ statuæ, *Labor mundi*, non minus verè, quàm scitè & eleganter à Cassiodoro Varr. VII. 13. appellantur. Dio Chrysost. Orat. XXXI. *Romanos sæpius undique suppellectilem templorum Palatiorumque accepisse*, ait, de statuis locutus. Unde vero & per quos Duces, & quibus temporibus captæ fuerint, pro ut singula vel præcipua apud bonos authores reperio, cum præter rem non sit, breviter hic dabo, & ἀθρόως notabo. Ac primo omnium à M. Mercello bello Punico secundo, Syracusis captis, immensa vis statuarum in urbem invecta est, cum ante Romani nulla nisi domestica signa haberent. Plutarchus Marcell. cap. XXXIII. *Marcellus ad bellum in Italia gerendum à Romanis evocatus, pleraque & pulcherrima Syracusis donaria abstulit, quæ & triumpho suo splendori, & Romæ ornamento essent. Quippe antea nec habuerat, neque nove-*

rat Roma quicquam elegantis & artificiosi operis, neque venusta illa, nitida, & grata in urbe tum erant ornamenta. Et paulo post. *Eo nomine etiam apud Græcos gloriatus est, quod quæ pulchra haberent, & admirarentur Græci, ea Romanos inscios ante, in honore ipse habere, & admirari docuisset.* De eodem Mercellio. Cic. Verin. I V. *Victoriæ putabat esse, multa Romam deportare, quæ ornamento urbi esse possent.* Et de signis Syracusanis Romam allatis, apud Livium XXXIV. 4. M. Porcius Cato. *Infesta mihi credite, signa ab Syracusis illata sunt huic urbi: nam nimis multos audio Corinthi & Athenarum ornamenta laudantes, mirantesque, & ante fixa fictilia Deorum Romanorum ridentes.* vid. eund. Liv. lib. XXV. Græci enim in quibus olim & Syracusani, nimium quantum iis rebus studebant. Cic. Verr. I V. *Hic ornatus, hæc opera atque artificia, signa, tabulæ pictæ, Græcos homines nimium delectant.* Idem pro L. Manilia. *Pompejus signa & tabulas cæteraque Ornamenta Græcorum Oppidorum, quæ cæteri tollenda esse arbitrantur, ea sibi ille ne visenda quidem existimavit.* Horat. II. Epist. I.

Vt primum positis nugari Græcia bellis
Cœpit, & in vitium fortunâ labier æquâ.
Nunc Athletarum Studiis nunc arsit equorum,
Marmoris, aut eboris fabros, aut æris amavit,
Suspendit pictâ vultum, mentemque tabellâ.

Quare Tacitus Annal. XV. Statuas. *Græcarum artium decora.* Et Græciam Sidonius Apollinaris lib. VI. Epist. 12. *Pictoribus significibusque illustrem* appellat. Quippe Athenas statuis & statuariis excelluisse, præter Omnis historiæ testimonium, peculiariter notat Aristides Orat. Panathen. & Rhodiis Pindarus Od. Olympion. VII. beneficio Minervæ datum ait, ut talibus operibus omnes alios superarent. Etiam Thebanos adeo huic rei studuisse author est Ælianus. Var. Hist. IV. 4. ut legibus arti caverent, eosque qui deterius finxissent, pecuniâ pro pœna mulctarent. Tum itaque primum externa ornamenta in urbe apparebant cum captæ Syracusæ fuerant. Cœpere deinceps certatim afferre & alii, quibus fortuna dedit urbes aut populos vincere. Inprimis Fabius Maximus recepta Tarento, qui tamen præter Colossum Herculis, nullum

aliud Simulacrum Romam evexit. Plutarch. Fabio Cap. XI. *Fabius scriba de Diis*, (*ita vocabat picturas & statuas*) *quid vellet fieri interroganti? respondisse fertur; Relinquamus Tarentinis Deos iratos. Verumtamen Colossum Herculis Tarento translatum in Capitolio statuit.* Tum T. Quintius Flaminius, qui Philippum Macedonum Regem & Nabidem Lacedæmoniorum Tyrannum vicerat, Græciamque omnem liberaverat, de quo Livius XXXIV. 51. ait, quod quæ Triumphi primo die, signa ærea & marmorea transtulit, Philippo ademerit, & ex civitatibus ceperit. Deinde M. Fulvius Nobilior bello Ætolico, capta Ambraciâ. Livius XXXVIII. 9. *Signa ænea marmoreaque, & tabulæ pictæ, quibus ornatior Ambracia, quia regia ibi Pyrrhi fuerat, quàm cæteræ regionis urbes erant, sublata omnia, avectaque, nihil præterea tactum violatumve.* vid. præterea ejusdem libri Capp. 43. & 44. Iterum Paulus Æmilius bello Macedonico secundo, post devictum Persen. Livius XXXV. 33. *Spectaculo fuit ei, quæ venerat turbæ, non scenicum magis ludicrum, non certamina hominum, aut curricula equorum, quàm præda Macedonica omnis, ut viseretur, exposita, statuarum, tabularumque textiljum, & vasorum ex auro & argento, & ære, & ebore factorum ingenti cura, in ea Regia; ut non in præsentem modo speciem, qualibus referta Regia Alexandriæ erat, sed in perpetuum usum fierent. Hæc in classem imposita, devehenda Romam Cn. Octavio data.* Quo in numero fuit signum Iovis, quod: *Ex Macedonia captum in Capitolio posuisse Flaminium* Cic. Verr. IV. tradit.

Deinceps L. Cæcilius Metellus victo Andrisco, qui alias Pseudo-Philippus, bello Macedonico tertio. De quo Vellejus Paterc. I. 11. *Hic*, inquit, *est Metellus Macedonicus, qui hanc turmam statuarum equestrium, quæ frontem ædium spectant, hodieque maximum ornamentum ejus loci, ex Macedonia detulit.* Post illum L. Mummius bello Achaico, incensâ Corintho, quidquid ejusmodi inter alia cepit, Romam misit. Pausan. Achaicis. *Mummius tertio demum post pugnam die, Corinthum vi cepit, cremavitque; ornamenta & signa admiratione quæque dignissima, Romam asportata.* Flor. II. 16. *Quid signorum quid vestium, quidve tabularum, raptum, incensum atque projectum est?* Et Plinius XXXIV. 7. *Mummius devicta Achaja replevit urbem.* Scilicet statuis & signis, & XXXIII. 11. de victoria Achaica. *Quæ & ipsa*, inquit, *hoc intervallo, Anno urbis DCVIII parta, signa & tabulas pictas inve-*

invexit, *ne quid deesset.* ad luxuriam videlicet. Deinceps L. Cornelius Sylla, qui Thebanis multa eripuit, Imprimis Minervam Alalcomenis. vid. Pausan. in Bœoticis. Et Atheniensibus multa, ut idem in Phocicis tradit. Et clarius Sallust. in Bello Catil. de tempore Syllanæ Expeditionis. *Ibi primum*, inquit Asiam intelligens, *insuevit exercitus pop. Rom. amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa cælata mirari, ea privatim ac publicè rapere.* Post Syllam Pub. Servilius Isauricus, domitis piratis, Cilicibus, & capta Olympo, unde signa plurima Romam apportavit. ut testis est Cic. Verr. I. verba deinceps adducemus. Tum ipsi denique Romani Cœsares De Augusto Pausanias in Arcadicis. *Vetus Minervæ Aleæ signum, & simul Calydonii apri dentes asportavit Cæsar Augustus, victo Antonio, ejusque partibus, in quibus Arcades propè omnes fuere præter Mantinenses. Non primus tamen Augustus proditur Deorum signa & donaria devictis à se gentibus eripuisse; Sed fuit hoc ei à priscis jam tum temporibus tralatitium.* De Nerone idem in Bœoticis. qui Thespiensium Cupidinem Romam avexit. *Primum omnium*, ait, *è sede sua Cupidinem hunc Thespiensem amotum à Cajo Romanorum Imperatore tradunt, Thespiensibus deinde remissum à Claudio. Nero iterum Romam reportavit.* Putabam olim Græci authoris hoc esse παρόραμα, quod à duobus Imperatoribus, Cajo videlicet & Claudio diversis temporibus factum assereret, quod uni Cajo Claudio Ædili tribuendum mihi videbatur, Cic. Verr. IV. sic suadente, ubi eundem Cupidinem à Cajo Claudio Ædili ad ædilitatem suam ornandam commodatum, & deinceps restitutum tradit. Atque ita potuisse nominum similitudine deceptum Antiquarium in istum errorem labi facilimè. Sed quia suffragantem Dionem Cassium habet, sic enim ille lib. LX. *Restituit Claudius urbibus statuas quas claudius abstulerat.* Eatenus ipsi fidem reddo, ut addubitare tamen subinde non verear, ne ex Pausania Dio hoc hauserit, cum quæ statuæ, quæ urbes fuerint, quas aut unde hic abstulerit, aut quo ille remiserit, nusquam vel verbo indicatum reperiam. Firmius credo quod de Nerone in Phocicis tradit, quodque huc propius pertinet. *Quingentas*, inquit, *æneas, partim Deorum, partim hominum sustulit imagines Delphis.* Et quod in Eliacis prioribus ab eodem Romam asportatum Vlyssem, & alia multa signa affirmat. Meminit & Tacitus Annal. XV. nominatis insuper prædæ ministris.

Per Asiam, inquit, *& Achaiam, non dona tantum, sed Simulacra Numinum abripiebantur, missis in eas provincias Acrato ac Secundo Carinate.* vid. & Dion. Chrysost. Orat. XXXI. Plin. XXXIV. 8. Postquam signorum ex ære nobilium, artificumque illustrium, immensum numerum recensuisset. *Ex quibus*, inquit, *quæ retuli clarissima quæque in urbe jam sunt dicata à Vespasiano principe, in templo Pacis, aliisque suis operibus, violentiâ Neronis in urbem convecta, & in sellariis domus aureæ disposita.* Neque ex Græcia solum & Asia, sed & ex Ægypto & Lybia multa istiusmodi Romam translata testatur Prudent. II. in Symmach.

Inter fumantes templorum armata ruinas
Dextera victoris simulacra hostilia cepit,
Et captiva domum venerans ceu Numina vexit.
Hoc signum rapuit bimaris de strage Corinthi,
Illud ab incensis in prædam sumpsit Athenis,
Quasdam victa dedit capitis Cleopatra canini,
Effigies, quasdam domitis Ammonis arenis
Syrtica Cornutas facies habuere trophæa.

Et non semper belli jure capi, sed sæpenumero ex privatâ Prætorum & Magistratuum Provincialium avaritiâ, rapinis & prædis reliquo cumulo talia accedere contigit. De signis à Verre per totam Siciliam ablatis, extat integra actio Ciceronis IV. Cujus initio leges. *Nego in tota Sicilia tàm locuplete, tàm vetere provincia, tot oppidis, tot familiis, tam copiosis ullum argenteum vas, ullum Corinthium, aut Deliacum fuisse: nego ullam gemmam aut margaritam fuisse, aut quicquam ex auro, aut ebore factum, signum ullum æneum, marmoreum, eburneum, nego ullam picturam, neque in tabulis, neque textilem fuiße, quin quæsierit, inspexerit, quod placitum sit, abstulerit.* Vid. & Iuvenalem Sat. VIII. Quæ idem ex Achaja, Delo, Chio, Tenedo, & denique ex Asia, ac inprimis Pamphilia, aliisque locis omnibus, quâcunque iter fecit, abstulit, fusè quoque ostendit Cic. Verrin. I. Cæsonini Calventii similes rapinas memorat Cic. De Provinciis Consular. Has igitur & alias, quas non ultra inquirimus, Sponte sua subindè obvias, partim victorias, partim prædas, furta & rapinas, ex dictis satis constat effecisse, ut in infinitum prope excresceret apud Romanos statuarum numerus, ut *Tabulas & Signa sine numero* fuisse P. Victor dicat, & ob multitudinem statuas Po-

pulum copiosissimum, & greges equorum abundantissimos. Pedestres & equestres statuas intelligens appellet Cassiodorus Var. VII. 13. Neque illud hoc loco tacendum est Statuas bellis captas ad Rempub. pertinuisse, ne credas illas temerè in cujusvis fortuiti occupatoris possessionem cessisse. Cic. Verr. I. *Quas enim sociorum atque amicorum urbes adiisti, legationis jure & nomine, si in eas vi, cum Exercitu imperioque invasisses, tamen opinor, quæ signa atque ornamenta ex his urbibus sustulisses, hæc non in tuam domum, neque in sub urbana amicorum, sed Romam in Publicum deportasses.* Primum tamen licuit bellorum Ducibus, si decretus ipsis triumphus esset, eas per pompam vehere, ut factum sæpius legimus. In triumpho Marcelli apud Plutarch. in ejus vita. Cap. XXXIII. in Flaminii. Livius XXXIV. 51. In Fulvii Liv. XXXIX. 5. In Æmilii. Florus II. 12. & Plutarch. Æmilio Cap. LIV. & Vellejus Paterc. I. 9. In Pompeji. Plinius XXXIII. 12. Hinc illud Senecæ de templorum spoliis, inter quæ simulacra & statuæ. Epist. LXXXVIII. *Sacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur.* Adeoque gloriosum habitum est, si devictorum inprimis Regum, Ducumque statuas, quas in reliqua præda repererint, ostentare ibi possent. Sic Mithridatis statuam auream Lucullus in suo triumpho ducebat. Plutarch. Lucullo Cap. LXXVIII. *Præterea*, inquit, *ductus è Mithridatis Colossus aureus sex pedes longus.* Et Pharnacis argenteam Pompejus. Plinius XXXIII. 12. *Iam enim triumpho Magni Pompei, reperimus translatam Pharnacis, qui primus regnavit in Ponto, argenteam statuam.* Interim vero, si hostium Duces in acie occubuissent, aut fuga elabi eos contigisset, quo minus eos comprehendere ipsi victores possent, in triumpho ducendos, eorum imagines fieri curabant, ut præferrent. De imagine Syphacis, quam feretro impositam in suo triumpho ostentabat Scipio Africanus, cum paulo ante triumphum Syphax apud Tybur decessisset, ita Silius Italicus lib. XVII. Punic.

Ante Syphax feretro residens captiva premebat
Lumina, & auratæ servabant colla catenæ.

Et mox de Imagine Annibalis, in eodem triumpho:

Sed non ulla magis mentesque oculosque tenebat,

Quam

Quam visa Hannibalis campo fugientis imago.

Præterea quoque, quandoquidem de statuis in triumpho ductis loqui cœpimus, nec pigebit paucis referre, morem etiam apud Romanos obtinuisse, ut ad significandas varias res bello gestas, variæ de novo statuæ fierent in triumpho monstrandæ, puta Regionum subactarum, Vrbiumque, Montium item & Fluviorum. Non loquor jam de illis quæ specie sua fingebantur, cujusmodi erant simulacra oppidorum, muros ipsos, portas & turres referentia. de quibus Ovid. de Pont. II. Eleg. I.

Protinus argento veros imitantia muros.
Barbara cum victis oppida lata viris.

Et lib. III. Eleg. 4.

Oppida turritis cingantur eburnea muris.

Vide etiam quæ de Scipione, Cæsare, Pompejo, Vespasianis & aliis, tradunt Appianus, Dio, Suetonius, Iosephus aliique. Sed de iis quæ ad similitudinem humanam effigiabantur, & aut victorum pedibus substratæ, aut alio quocunque habitu supplici factæ transvehebantur. Vnde intelligendi sunt authores, qui Regionibus, urbibus, montibus & fluminibus ea attribuunt, quæ sunt hominis. Germaniam passis crinibus, colla præbentem. & vinctam catenis hoc sensu leges apud Ovid. IV. Trist. Eleg. 2.

Crinibus en etiam fertur Germania passis,
Et ducis invicti sub pede mæsta sedet,
Collaque Romanæ præbens animosa securi,
Vincula fert illa, qua tulit arma, manu.

Carthaginem in triumpho Scipionis manus supplices tendentem apud Silium Ital. lib. XVII.

Mox victas tendens Carthago ad sidera palmas.
——Ibat.

Rhenum captivum, ejusque crines tegentem ungulam Equi Domitiani apud Statium lib. I. Sylv. I.

Ænea captivi crinem tegit ungula Rheni.

Catenatum eundem Rhenum ap. Claudian. III. de laudib. Stilichonis.

Inde Catenato gemeret Germania Rheno.

Trementem in ære Atlantem apud eund. Claudian. de VI. Honorii Consul.

In ære trementem.

Succin-

Succinctæ famulum ferrent Atlanta cohortes.

Captivum Oceanum, ap. Flor. IV. 2. *Cæsar in Patriam victor invehitur. Primum de Gallia triumphum transmiserat Rhenus, & Rhodanus, & ex auro Captivus* Oceanus. Sed hæc indigitasse solum hoc loco sufficiat. Plenius rem exponunt qui triumphos veterum Romanorum describunt, Onuphrius Panvinius. Alexander ab. Alex. Rosinus in Paralipomenis ad Rosinum Dempsterus. Antonius Valtrinus, & innumeri alii. Ad statuas itaque bello captas ut redeat cura nostra, sciendum est illas, peracto triumpho, referri in ærarium solitas. M. Servilius apud Livium XLV. 38. Cum de Pub. Æmilii Triumpho ageretur. *Quo*, inquit, *signa aurea, marmorea, eburnea, tabulæ pictæ, textilia, tantum argenti cælati, tantum auri, tanta pecunia regia? An noctu tanquam furtiva in ærarium deportabuntur.* Et numerus, magnitudo, figura, ac status cujusque diligenter annotabatur, quo Reipub. ratio earundem constaret. Cic. Verr. I. *P. Servilius, quæ signa atque ornamenta ex urbe hostium, & virtute capta, belli lege atque imperatorio jure sustulit, ea Pop. Rom. apportavit, per Triumphum vexit, in tabulas publicas ad ærarium perscribenda curavit. Cognoscite ex literis Publicis hominis amplissimi dignitatem. Recita. Rationes relatæ P. Servilii. Non solum numerum signorum, sed etiam uniuscujusque magnitudinem, figuram, statum literis definiri vides.* Sed quamvis toties hoc opum genere aucta fuerit Roma, paucæ tamen admodum hodie, si prisca tempora conferas, supersunt. In causa sunt aliquot insignia urbis damna. Vnum à Nerone illatum, qui ut condendæ novæ Romæ, suoque cognomento appellandæ locum sterneret, vetere incensa pleraque urbis ornamenta conflagrare, ipse immanissima ambitione flagrans & lætus spectabat. Tum periisse multa & insignia opera Tacitus notat Annal. XV. *Iam*, inquit, *opes tot victoriis quæsitæ, & Græcarum artium decora* (statuas intelligit) *amissa sunt.* Alteram pestem attulit Gensericus Vandalorum in Africa Rex, qui quamquam ultimo urbis exidio abstinuit, haud tamen omisit opes universas navibus impositas, In quibus picturæ, statuæ, & quæcunque moveri loco poterant, exportare. Vbi hoc peculiare accidit, quod notat Procopius III. de bell. Vandal. unam ex his navibus, ubi statuæ fuerunt, tempestate periisse, cœteras incolumes fuisse in Africam delatas. Tertium damnum Roma à

Con-

Constante Constantini Iunioris filio, qui omnia quæ fuerant antiquitus instructa ex ære in ornamentum Civitatis, deposuit; & Constantinopolin transmisit. Vt meminit Paullus Diaconus continuat. Histor. Eutrop. lib. XVIII. Ad hæc accessit aliorum principum Christianorum, inprimis Pontificum Romanorum Zelus, inter Christianæ religionis primordia abolere conantium, quidquid animos mentesque hominum in pagana superstitione fixas detinere, aut vel minimam Idololatriæ occasionem quam statuæ olim fecerant, præbere potuit. Notum illud abunde faciet Cæsarum 'Εικονομάχων historia, Leonis Isauri, Constantini Copronymi, & aliorum, de quibus vid. Zonaram, Cedrenum, Diaconum & alios. De Gregorio Magno Pontif. Rom. hoc singulatim constat, quod præcipuas Romæ statuas, & quidquid opere mirandum superiorum immanitas & avaritia residuum fecit, in Tyberim præcipitari jussit, ut notat Volaterran. Anthropol. Lib. XXII. Hæ fuere præcipuæ statuarum pestes. Præter leviora quædam, damna, ex incendiis, aut bellis tantum non exitialibus aliquando illata; cujusmodi fuit illud, quod bello Vittelliano accidit, de quo Tacitus Hist. III. cui geminum eventum etiam in oppugnatione Bizantii sub Severo Zonaras. II. Annal. & Xiphilinus in Severo notant. Sed hæc hactenus.

CAPUT VIII.

Ad rem tandem accessum. Statuæ apud Romanos datæ hominibus liberis. Regibus, Imperatoribus, Privatis. Viris, Fœminis. Civibus. Exteris. Mortuis, Vivis. Catonis censura de statuis fœminarum. Quando quisque vivorum, & quæ post facta statuas fuerit adeptus, quæsitum?

SVffecerit hæc pauca de statuis in genere præmisisse. Nunc propositi nostri memores, ad ipsam rem gradum proferimus, observaturi, quod habet græcum Epigramma.

> Εἰκὼν τίς σ' ἀνέθηκε; τίνος χάριν, ἢ τίνι;
>
> *Imago quis te posuit, cujus gratia, & cui?*

Videndumque nobis est, *Quâ authoritate*, *Quibus de causis*, & *Quibus hominibus* positæ statuæ fuerint. Ac primum quoniam ita expe-

expedit, *Quibus praecipue datæ sunt*, oſtendemus. Quod quamquam obſcurum eſſe non poterit, cœtera hæc noſtra legenti, ordinis cauſa tamen præcipua hominum genera, quibus honor ille obtigit, uno iſthoc faſce complectemur; ex quo deinceps ſoluto, exempla & teſtimonia probandis reliquis petemus. Inprimis Liberos fuiſſe homines oportuit, excluſis ab hoc cenſu Servis. Artemidorus Oneirocrit. I. 51. *Æreæ imagines & ſtatuæ liberis hominibus eriguntur: idem ſignificat etiam*, hoc eſt, libertatem, *ſi quis imaginem ſuam aut ſtatuam æream videat in foro poſitam.* Inter illos vero, ut inter homines, primi ſunt Reges ac Imperatores, penes quos Majeſtas, & abſoluta poteſtas reſidebat. De Regum primorum ſtatuis Plinius XXXIV. 5. *Primas putarem Sybillarum juxta roſtra ſtatuas, & Actii Navii poſitas ætate Tarquinii Priſci, niſi Regum Antecedentium eſſent in Capitolio.* Romuli, Numæ, Serviique & Tarquinii Priſci ſtatuas nominatim ciet, lib. XXXIII. I. Quod Imperatores etiam ſtatuas acceperint, luce clarius eſt. Elegantem tamen locum Nazianzeni, pro teſtimonio adducam, ex Orat. στηλιτευτ. I. in Iulianum. *Eſt hoc in Imperatorio more poſitum, haud quidem ſcio, an apud omnes quoque alios homines, qui imperio ſubſunt, cæterum apud Romanos, quàm ſtudioſiſſimè obſervatum, ut publicis ſtatuis Imperatores ornentur.* Illi enim mirificè hoc deliciarum ſive honoris genere ſemper ſunt delectati, cum facile exiſtimarent, alios quoſque honores infra ſuam eſſe dignitatem; Adeoque in tantum huic rei deditos reperio non nullos eorum, ut & ipſi didicerint fingere, & ſtatuas facere. Xiphil. lib. LXIX. de Hadriano. *Hadrianus & ſtatuas fecit, & tabulas pinxit.* Id fecit & ante eum Nero, ut tradit Suetonius in ejus vita Cap. LIII. & Dio Chryſoſt. Orat. LXXI. ad fin. Deinde ponebantur etiam Privatis. Teſtimonia probandi cauſa huc afferre; putidum foret; In ſingulis enim noſtri hujus Syngrammatis paginis confertim occurrunt. Illud ſaltem monebo, per Privatos hic à me intelligi non tantum eos, qui à publicis functionibus in Rep. vacarent, & nullum magiſtratum gererent; Sed omnes, quotquot infra principem eſſent, quem ſolum ab hac appellatione excipio, Atq; ita conſules, Senatores, Duces, Prætores, & Cœteri Magiſtratus quicunq; dicuntur privati. Plinius Panegyrico ad Trajanum, in hac re Cæſari ſuo, Brutos & Camillos opponit, & privatos appellat: *Stant igitur,* inquit.

inquit, *effigies tuæ, quales olim ob egregia in Remp. merita privatis dicabantur. Visuntur eadem è materia Cæsaris statuæ, quâ Brutorum, quâ Camillorum; nec discrepat causa.* Nec denique Viris solum, sed & fœminis dabantur, ne sexus alteruter excluderetur. Plinius XXXIV. 6. *Invenitur statua decreta & Taraciæ Cajæ, sive Sufetiæ Virgini Vestali; ut poneretur ubi vellet; Quod adjectum non minus honoris habet, quàm fœminæ esse decretam.* Aliàs graviter latum à Catone Censore, quod hic honor fœminis communicaretur, ibidem notat author. *Extant,* inquit, *Catonis in Censura vociferationes, mulieribus Romanis in Provinciis statuas poni: Nec tamen potuit inhibere, quò minus Romæ quoque ponerentur; sicuti Cornelio Gracchorum matri, quæ fuit Africani prioris filia.* Post Imperatorum vero tempora hoc factum frequentius. Sic Augustus post victos Pannones Romam reversus, ut tradit Dio Cassius lib. XLIX. *Triumphum sibi decretum in aliud tempus rejiciens, Octaviæ & Liviæ statuas dedit.* Et à Caligula, ut est apud eundem, lib. LIX. *Statuæ Drusillæ positæ, dedicatæque.* præter infinitas alias. Tum uon civibus tantum, sed etiam exteris interdum positæ Romæ leguntur. Plutarchus Numa Cap. XV. tradit *Æneas duas in foro collocatas, unam Alcibiadis, alteram Pythagoræ,* & Plin. XXXIV. 5. de statua Hermodori Ephesii. *Fuit & Hermodoi Ephesii in comitio, legum, quas decemviri scribebant, interpretis publicè dicata.* Adeoque nullum ferè hominum genus erat, cui non olim statuæ fuerint collocatæ. Nec semper singulæ singulis, sed uni sæpe plures temporibus diversis dabantur. Hinc leges ap. Cic. Philipp. IX. L. *Syllæ prima statua.* Et in Romana inscript. statuæ Anicio Paulino datæ. STATVA. SECVNDA. Si de tempore scire lubet, notandum est, & *Viventibus* fuisse positas, & *Mortuis.* Xiphil. compend. Dionis lib. LXIX. de Hadriano. *Plerisque amicorum mortuis, non nullis etiam vivis statuas in foro posuit.* Nec facile dixerim, utrum frequentius. Sors enim & occasio utrumque moderata videtur. De Mortuis Dio Chrysost. Orat. XXXI. Rhodiac. *Etiam multi propter hæc mortui sunt, ut vel statuam nanciscerentur, aut præconium, aut alium honorem, atque suis posteris relinquerent opinionem sui æquam, memoriamque.* Et deinceps. *Sexcenti sunt, qui suas ipsorum animas profuderunt pro civitate, propriâque vitâ emerunt imaginem & inscriptionem.* Xiphilinus lib. LXVIII. *Trajanus Licinium Suram, postquam decesserat,*

affecit

affecit publica ſepultura, eiquè ſtatuam collocari juſſit. Cic. Philippica IX. *Hæc enim ſtatua mortis honeſtæ teſtis erit.* Et ibidem de ſtatuâ Octavii. *Reddita eſt ei tum à majoribus ſtatua pro vita.* Sic multis poſt mortem, ſæpius legimus in Inſcriptionibus antiquis, ſimul cum locis ſepulturæ, impenſis funerum & laudationibus, decretas etiam ſtatuas. Vt in illa L. Porcii ad Caſtro del Rio in Hiſpania ad D. Benedicti.

HVIC. ORDO. PONTIFICIENSIS. OBVLCONENSIS. LOCVM. SEPVLTVRÆ. IMPENSAM. FVNERIS. LAVDATIONEM. STATVAM. EQVESTREM. DECREVER.

Et in alia Semproniæ Varillæ, in agro Cordubenſi.

HVIC. MELLARIENSES. LOCVM. SEPVLTVRÆ. FVNERIS. IMPENSAM. STATVAM. LAVDATIONEM. DECREVERE.

Tum deniquè in illa Q. Traii, Alcoleæ inter Cordubam & Sibiliam.

HVIC. ORDO. MVNICIPII. FLAVII. ARVENSIS. OB. MERITA. LAVDATION. IMPENSAM. FVNERIS. LOCVM. SEPVLTVRÆ. ET. STATVAM. DECREVIT.

Atquè interdum diſertè hæc verba leguntur POST. OBITVM. POST. MORTEM. Illud quidem in hac Interamnate, Helvidiæ Burreniæ.

CIVES. INTEAMNANÆ. CIVITATIS. VTRIVSQVE. SEXVS. ÆRE. CONLATO. POST. OBITVM. HVIVS. PATRONÆ. DEDIC.

Hoc in aliâ Tarraconenſi, P. cujuſdam Fabii.

QVÆ. EX. D. D. TARR. QVOD. FACTVM. POST. MORTEM. EIVS. POSITA. EST.

Legimus etiam quoſdam oblatas ſibi ſtatuas abnuiſſe vivos, qui poſt mortem tardem accepêre. Talis erat L. quidam Popilius, de quo Inſcriptio vetus, quamvis mutila tamen haud incerta.

QVI. OBLATA. SIBI. STATVA. HONORE. CONTENTVS. IMPENSAM. REIP. VIVOS. REMISIT. POST. MORTEM. AD. MEMORIAM. TANTI ——N—— FACTO ——POSTVLANTE. POPVLO. STATVA. ÆRE. CONLATO. PVBL. POSITA. EST.

Interdum etiam leguntur decretæ viventibus, quæ post mortem ponerentur. Hoc factum Saufejæ Alexandriæ, ut inscriptio docet Romana, his verbis. QVAM. VIBA. DECREVERANT. POST. OBITVM. POSVERVNT. Vivis verò persæpe etiam dabantur. Dio Caff. lib LVII. *Tiberius Sejani vivi statuam æneam in theatro posuit.* Illud verò potissimum fiebat, *Aut* statim post ingenti facinora, quæ quis edebat, vel *privatâ virtute*, Sic Horatio Cocliti, postquàm solus vim hostium sustinuisset, & Hetruscos pontis transcitu arcuisset, statua à populo posita legitur apud Dionys. Halicarnaff. Ἀρχαιολ. v. 4. *Videbatur*, ait, *ob vulnera brevi interiturus. Sed postquam ex mortis periculo evasit, populus æneam ejus statuam armatam in maximè conspicuo fori loco erexit.* Vel *publicis viribus*, ut post victoriam aliquam insignem, Sic Augusto statim post victum S. Pompejum & Pacatam Siciliam statuæ datæ sunt. Dio Caff. lib. XLIX. *Romæ Cæsari, laudatio unanimi consensu, statuæque &c. statìm post victoriam decretæ sunt.* Et Gordiano Tertio post victum præliis frequentibus Saporem Persarum Regem. Iul. Capitolin. Gordianis. Cap. XXVII. *Quadrigæ Elephantorum Gordiano decretæ sunt, utpote qui Persas vicisset, ut triumpho Persico triumpharet.* Ita videlicet, non nisi confectâ re aliquâ præclarâ viros insignes ornabant. Quare non sine nota dimittuntur ab authoribus, qui honorem istum anticiparunt, ut qui affecto tantùm bello & incepto, hosteque amisso, statuas fieri sibi curârint. Sic bello Numidico adversus Tacfarinatem, ducibus singulis Furio Camillo, L. Apronio, & Iunio Blæso, laureatas in urbe statuas datas parum æquè habitum, innuere videtur Tacit. IV. Annal. *Priores duces*, inquit, *sibi impetrando triumphalium insigni sufficere res suas crediderant, hostem omittebant. Iamque tres laureatæ in urbe statuæ, & adhuc raptabat Africam Tacfarinas.* *Aut* cum magni honores collati essent, quodam

quasi genere gratulationis. Ita cum Tiberius Tribuniciam potestatem Druso à Senatu impetrasset, sociumquè ejus eum honoris assumpsisset, effigies decretas tradit Tacit. Annal. III. *Præceperant*, inquit, *animis orationem Patres, quo quæsitior adulatio fuit; Nec tamen repertum est, nisi ut effigies Principum, aras Deûm, templa & arcus aliaquè solita censerent.* Aliàs interdum accidit, ut non nisi posito magistratu statua poneretur, ne honorem adulatio dedisse videretur. inscriptio est Romana, Regonii Vincentii, Annonæ præfecti, cui ut Patrono Mensores Portuenses statuam posuerunt. Verba ejus quæ huc pertinent, longiuscula enim ipsa est, tantum exscribam.

IAM. POSITO. MAGISTRATV. STATVAM. PATRONO PRÆSTANTISSIMO. TESTIMONIVM. GRATVLATIONIS. EXOLVIMVS. CVM. RES. NON. ADVLATIONE. PRIVATO. SET. IVDICIO. POSITO. IN. OCIO. ET. QVIETE. REDDATVR.

Dabantur etiam tum interdum, cum princeps periculum aliquod evasisset. Tacit. XIV. Annal. de Nerone, cui proceres imaginem in curia dedicarunt, post evitatas insidias, quibus se à matre peti falsò, & impudenter ad senatum scripsit, ut atroci parricidio iustæ vindictæ colorem illineret, *Miro*, inquit, *certamine procerum decernuntur supplicationes apud omnia pulvinaria, utquè Quinquatrus, quibus apertæ essent insidiæ, ludis annuis celebrarentur, Aureum Minervæ simulacrum in Curia, & juxta Principis imago statueretur.* Sed hæc sufficiunt. Neque omnes occasiones hic rimari necesse est, quas abunde ex reliquo operis hujus unusquisque per se perspiciet.

CAPUT IX.

Authoritate publica, publicè positæ apud Romanos statuæ. Eam primum Regibus, tum Senatui Populoquè usurpatam, postea Imperatores sibi vendicasse ostensum. Quo temperamento Principes & Senatus in hac authoritatis contentione usi? Promiscua licentia, quæ subinde invaluit, edictis compressa. στήλην ἑαυτῷ στῆσαι, *quo sensu dictum. In Provinciis, Municipiis, Coloniis plerumquè observata, quæ in urbe viguit, consuetudo.*

Formula item Romana, quantum licuit, retenta. Quid hoc in negotio potuerint Decuriones, ordines, plebs, Collegia artificum, Sodalitia, & generatim homines; Tum qui simul in una regione urbis, & vico habitabant, titulis declaratum.

IAm penes quos decernendi potestas fuerit, dispiciamus. Ac initio quidem urbis, Reges posuisse sibi ipsis, ut & aliis, arbitratur Plinius XXXIV. 6. *Hanc primam*, inquit, Clæliæ statuam intelligens, Et *Horatii Coclitis publicè dicatam crediderim; Ante enim sibi ac Sibillæ Tarquinium, & Reges sibi ipsos posuisse verisimile est.* Sed post ejectos reges, & cum jam libertas introducta in urbem esset, donec staret Resp. jus illud penes Senatum Populumquè Romanum erat. Ex eo est, quod ex L. Pisone tradit Plinius dicto loco sublatas fuisse è foro omnes statuas, quæ non ex sententia populi vel senatus, statutæ fuissent, sed quas quisquè sibi posuisset, *L. Piso prodidit, M. AEmilio, C. Popilio* II. *Coss. à Censoribus P. Cornelio Scipione, M. Popilio, statuas circa forum eorum, qui magistratum gesserunt, sublatas omnes, præter eas, quæ populi aut senatus sententiâ statutæ essent. Eam verò, quam apud ædem Telluris statuisset sibi Sp. Cassius, qui regnum affectaverat, etiam conflatam à Censoribus.* Permansit verò hæc apud Senatum authoritas usquè ad tempora Imperatorum, Senatus jura ad sese transferentium, sine quorum rescripto nullam erigere statuam licebat. Nominatim constat de Caligula ap. Suetonium Cap. XXXIV. *Vetuit post hac viventium cuiquam usquam statuam aut imaginem, nisi consulto se & authore poni.* Extat rescriptum Arcadii & Honorii Augg. l. 1. Cod. de stat. & imag. eâdem de re. *Si quis*, ajunt, *judicum accepisse æneas, vel argenteas, vel marmoreas statuas, extra imperiale beneficium in administratione positus, detegetur, emolumenta, quæ accepit, in ea positus dignitate, quam polluit, cum extortis titulis, vel præsumptis, in quadruplum fisco nostro inferat, simulquè noverit existimationis suæ pœnam se subiturum.* Vides gravem itidem additam, præter quadrupli multam, infamiæ pœnam; Legitur eam ob causam in titulis, quod Imperatores jusserint poni. Inscriptio statuæ Saturnini secundi.

OB. EGREGIA. EIVS. IN. REMPVBLICAM. MERITA. D. D. N. N. VALENTINIANVS. ET. VALENS. VICTORES.

RES. AC. TRIVMPHATORES. SEMPER. AVGVSTI. STATVAM. SVB. AVRO. CONSTITVI. LOCARIQVE. IVSSERVNT.

Sed tamen non adeò exspiravit Senatus authoritas sub Imperatoribus, puta moderatis & bonis, ut non ejus etiam assensus deberet impetrari. De Divo Claudio Dio Cassius lib. LX. *Sanxit ne quis privatus sine permissu Senatus statuas sibi poneret.* Hinc in Inscriptionibus illæ locutiones crebræ, APPROBANTE. SENATV. AMPLISSIMO. CENSVERVNT. TESTIMONIO. SENATVS. LOCARI. PLACVIT. Dicebaturquè tum statuas, DECRETO. SENATVS AVTHORITATE. PRINCIPIS. poni. Plinius Nep. Epist. 7. lib. II. *Heri à Senatu Vestritio Spurinnæ, principe authore, triumphalis statua decreta est.* Idem & tituli testantur. ut ille Bassæi, qui Romæ est. in quo legitur. HVIC. SENAT AVCTOR. IMP. ANTONINO.. ET... COMMODO. AVGG. STATVAM. ARMAT. IN. FORO. DIVI. TRAIANI. ET. ALIAM. CIVILI. AMICTV. IN. TEMPLO. DIVI. PII. ET. TERTIAM. LORICATAM. IN TEMPLO. ....NENDAS... Et alius, quamvis mutilus, itidem Romæ, quem Licinii Suræ fuisse haud obscurè constat, in quo similiter hæc verba leges.

HVIC. SENATVS. AVCTORE. IMP. TRAIANO. AVG. GERMANICO. DACICO. TRIVMPHALIA. ORNAMENTA. DECREVIT. STATVAMQVE. PECVN. PVBLIC. PONEND. CENSVIT.

Vt ex eo sit, quod Spartianus in Severo, tanquam insolens, notet, quod Rumore belli Parthici extincto, Patri, matri, avo & uxori priori per se statuas collocavit; cum jus publicè collocandi penes senatum esset, ut ad hunc locum notat Isaacius Casaubonus. Quare in literis suis ad Senatum, de Cari statua decernenda addidit Probus Augustus. SI. VOBIS. PLACET. ut tradit Vopiscus in Caro. Vt autem moderati Principes

ſenatum ab hoc munere non excluſerant, ita ſenatus ſtatuam collocaturus viciſſim debebat impetrare ab Imperatoribus aſſenſum. Claudianus Præfat. ad bellum Geticum.

Sed prior effigiem tribuit ſucceſſus ahenam,
Oraquè patricius noſtra dicavit honos.
Annuit hic princeps titulum poſcente ſenatu.
Aſpice judicium quàm grave Muſa ſubis.

Id ipſum ex inſcriptione ſtatuæ ejuſdem Poëtæ etiam patet, quam quia alibi adduximus, hoc loco omittimus, his ſaltem inde petitis verbis.

D. D. N. N. ARCHADIVS. ET. HONORIVS. FELICISSIMI. AC. DOCTISSIMI. IMPERATORES. SENATV. PETENTE. STATVAM. IN. FORO. DIVI. TRAIANI. ERIGI. COLLOCARIQVE. IVSSERVNT.

Vtcunquè verò imperatores & Senatus communicatis vicibus hanc authotitatem exercerent, nihilominus procedente tempore, ita ſtatuarum vulgò increbuit uſus, ut promiſcuè omnes ſibi, aliisve, quaſvis ob cauſas, ponere poſſent, privatâ non minus licentiâ, quàm authoritate publicâ. Maximè verò circa ævum Tiberii. Dio Caſſius lib. LVIII. de Sejano. *Numerum quidem ſtatuarum, quas ei patricii, Equites, tribus, ac primarii viri poſuerunt, inire nemo potuit.* Quare debuit intempeſtiva illa luxuries edicto comprimi, ut ſub Caligula factum eſt. Locum modò ex Suetonio citavimus. Et poſtea ſub D. Claudio, de quo Dio Caſſius lib. LX. *Quandoquidem urbs imaginibus replebatur (licebat enim omnibus qui vellent, pictura, ære, lapideque ſuam effigiem publicare) pleraſque illarum loco movit, ſanxitque in poſterum, ne quis privatus ſine permiſſu ſenatus id faceret.* Intemperantis enim aliàs, & immodeſti animi videbatur, ſi quis immodicè ipſe affectaret. Vnde illud, quod ad proverbii modum leges apud Ioan. Chryſoſt. Homil. LXXVII. de pœnit. βλέπε μὴ ςήσῃς σεαυτῷ ςήλην. vide ne ſtatuas tibi ipſi ſtatuam. Obſervatum tamen id hactenus fuit, ut ſi familia aliqua meritis clara eſſet, non ſoliis iis, quorum merita cenſebantur, ſed & pluribus ſimul ex eadem familia utpote cognatis eorum, liberis, & Affinibus ſtatuas ponere, ne

ne quicquam violatâ hac lege, liceret. In laudato Claudii edicto expressam hanc conditionem invenies. *Nisi si quis opus aliquod aut fecisset, aut etiam refecisset: His enim cognatisque eorum monumentum sui aliquod, iis in locis ponere permisit.* Id ipsum suæ familiæ apud Prusenses obtigisse, Dio Chrysost. Orat. XLIV. testatur. Et inscriptiones veteres plurium statuarum authoritatem datam loquuntur. ut illa Alcaudetensis.

VALERIVS. OPIALIS. AVGVSTALIS. PERP. HVIC. ORDO. MVNICIPI. FRAVASONLIGITANORVM. CENAS. PVBLICAS. DECREV. ET. LOCVM. IN QVO. STATVAS. SIBI. VXORI. LIBERISQ. PONERET. LOCO. ASSIGNATO. PONENDAS. CVRAVIT.

Et altera Romæ ad septem lucernas in qua & numerus definitus.

S. P. Q. R. CEIONIVM. RVFVM. ALBINVM. V.C. PHILOSOPHVM. RVFI. VOLVSIANI. IVD. ORDINARII. CONS. FILIVM. SENATVS CONSVLTO. SVO... EIVS. LIBERIS. POST. CÆSARIANA. TEMPORA. I. POST. ANNOS. CCCLXXX. ET. I. AVCTORITATEM. DECREVIT. FL. MAGNVS. IANVARIVS. V. C. VII. STATVARVM.

Sed ad incepta redeam. Oportuit itaquè deinceps permissu senatus id fieri; vel etiam Imperatoris. Plinius Nepos. l. I. Epist. 17. *Titinius Capito ab imperatore nostro,* Trajanum suum intelligit, *impetravit, ut sibi liceret statuam L. Syllani in foro ponere.* Ex hac Publicâ authoritate est, quod interdum Romæ statuas ponerent etiam exteri, de quo Plin. XXXIV. 6. *Publicè autem ab exteris posita est Romæ C. Ælio tribuno plebis, lege perlata in Stenium Statilium Lucanum, qui Turinos bis infestaverat; ob id Ælium Thurini statuâ & coronâ aureâ donaverunt. Iidem postea Fabricium donavere statuâ, liberati obsidione.* Cœterum ut Romæ senatus, ita extra Romam in provinciis, urbibus ac municipiis, magistratus

provinciales, Decuriones, item ordines, Plebs, collegia, & corpora statuas poterant decernere, cum Imperatoribus tum Privatis. Pausan. Eliac. prior. *Romanis imperatoribus statuas è Pario lapide, Adriano urbes Achaici conventus; Trajano universi Græci Olympiæ erexerunt.* Idem in Atticis. *Singulæ urbes in templo Iovis Olympii Athenis, Adriano statuam posuerunt.*

Dio Chrysost. Orat. XXXI. ad Rhodios. *Et sanè Imperatorum etiamnum facitis imagines, & aliorum, qui authoritate pollent.* L. etiam Lucullo statuam posuisse in foro suo Cheronenses, author est Plutarch. Cimon. cap. III. Sed ne magis hoc ex debito Imperatoribus, Ducibusquè obsequio, quàm decernendi potestate factum putes, ecce & Philosopho decretam in consulari provinciâ Africa, à Consulari Strabone Æmiliano. Apulejum Madaurensem intelligo, qui sub Antoninis Impp. Marco & Philosopho floruit, quiquè ipse in Floridis hac de re ita loquitur. *Æmilianus Strabo vir consularis, brevi votis omnium futurus Proconsul, sententiam de honoribus meis in Curia Carthaginiensium dixit, omnes ejus authoritatem secuti sunt. Nonnè videtur hoc vobis Senatus consultum esse? Qui? Quod Carthaginienses omnes, qui in illa sanctissima curia aderant, tam libenter decreverunt omnes locum statuæ, ut scires idcircò alteram statuam, quantum spero, insequentem curiam protulisse, ut salva veneratione, salvâ reverentiâ consularis sui, viderentur factum ejus non æmulati, sed secuti.* Cicer. Verr. II. *Syracussana civitas dedit ipsi statuam.* Verrem intelligit. De Magistratuum municipalium potestate circa hoc negotium constat ex Pomponio IurisConf. leg. 14. ff. de condit. & demonstrat. *Titius si statuas in municipio posuerit, hæres esto, si paratus est ponere, sed locus à municipibus ei non datur, Sabinus Proculus hæredem eum fore.* Vnde in inscriptionibus sæpius leguntur hæc verba, ad imitationem formulæ Romanæ. SENATVS. POPVLVSQVE. DECREVIT. his singularibus literis notata, S. P. Q. &c. D. ut ex hoc titulo patet.

L. RANIO. L. F. POBL. OPTATO. V. C.
COS. ORDIN. CVRATORI. REIP. NOLANORVM. CVR. PEC. P. XV. VIR.
SACRIS. FACIVND. PATRONO. R. P.

III. VI-

III. VIRO. AD. AGR. DIVIDEN. XVI-RO. STLITIB. IVDICANDIS. STAT. EX. ÆRE. S. P. Q. NOLAN. D. D.

Et altero Sex. Oppii Prisci Tibure, in cujus fine sic legitur.

PATRONO. INCOMPAR. S. P. Q. TIBVRS. OB. MERITA. EIVS.

Item hæc, DECRETO. DECVRIONVM. sæpè singularibus literis. D. D. indicata, sæpe etiam pleniùs aliquanto expressa, ut in illa Pisaurensi, lacera & mutilata.

— — SIMMANO.
— — VBLICO.
— — VIR. QVINQV.
— — OMNIVM. OB. EXIMIAS.
— — ET. ABVNDANTISSIMAS.
— — M. LARGITIONES. B. G. POS.
— — EX. ÆRE. CONLATO.
— — DECVR. DECR.

Et in alia Cærite.

IMP. CÆS. T. ÆLIO. HADRIANO. ANTONINO. AVG. PIO. COS. II. P. P. TEMPLVM. HERCVLIS. PRO. IMMVN. PERPET. A. SOLO. EXTRVI. EX. ÆRE. CONLATO. STATVAM. PONI. CVRAVER. DECVR. MVNICIP. CÆR.

Hi Decuriones in Municipiis ad exemplum Senatorum Romanorum erant instituti; Quare Decuriones, Municipiorum Senatores vocantur, *l. omnes.* 33. *Cod. de Decur.* dictique sunt Decuriones, quod initio, cum coloniæ in aliquem locum deducebantur, earum decima pars consilii publici causa describebatur, ut est in *leg. Pupillus* 239. §. *decuriones*, *ff. de verb. sign.*

De ordinibus civitatum; penes quos potestas fuerit decernendi statuas, hoc legimus, quod si quis statuam ponere vellet, veniam prius ab ordine impetrare debuerit, id ostendit hæc inscriptio Perusina.

 DIVO.

DIVO. ANTONINO. PIO. EGNATIVS. FESTVS. ÆDILIS. II. VIR. HVIC. CVM. PLEBS. VRBANA. PVBLICE. EDENTI. AD. STATVAM, PONENDAM. PECVNIAM. OBTVLISSET. IS. HONORE. CONTENTVS. IMPENSAM. REMISIT. ET. IMPETRATA. VENIA. AB. ORDINE. PERVSINORVM. OPTIMO. MAXIMOQVE. PRINCIPI. DE. SVA. PECVNIA. POSVIT.

Porro de ordinibus loquuntur hæ inſcriptiones.

P. PVBLICIO. CEIONIO. IVLIANO. CORRECTORI. TVSCIÆ. ET. VMBRIÆ. OB. INSIGNIA. EIVS. GESTA. ET. ILLVSTRE. NOMINIS. ET. RATIONIS. MERITVM. ORDO. NARNIENSIS. VNA. CVM. CIVIBVS. STATVAM. CONLOCAVERVNT. PATRONO. DIGNISSIMO.

Sicut & altera.

IVLIO. EVBVLIDÆ. C. V. CORR. TVSCIÆ. X. VIRO. PRÆFECTO. ÆRARII. S. SATVRNI. OB. INLVSTRIA. IPSIVS. MERITA. ET. AMOREM. IVXTA. CIVES. ORDO. INTERAMNATIVM. PATRONO.

Ordo verò in civitatibus nihil aliud, quàm ſenatus, ſive cœtus Decurionum fuit, qui aliàs curiæ nomine appellatus legitur. ut ſenatum ordinem vocat. Cicer. Philipp. IX. in ſenatus conſulto de ſtatua S. Sulpitii facto; niſi ubi aliud aliquod additamentum ſignificationem mutaret, ut cum diceretur, *Ordo Equeſter*, *ordo militum*, *ordo adlectorum*, *Scænicorum*, *Sacerdotum*. &c. Quemadmodum de ordine Equeſtri loquitur Cicer. Philipp. VI. cujus authoritatem L. Antonius ſtatuæ ſuæ, quamvis falſò inſcripſit. *Sed hæc una*, inquit, *ſtatua, altera Equitum Rom. equo publico, qui item aſcribunt.* PATRONO. *Quem unquam iſte ordo*

ordo patronum adoptavit. Et de aliis alii. Ad ordinis verò authoritatem constituendam, non duo tresve suffecerant, sed plures omnino requirebantur. Quamobrem Cicero laudato loco de ejusdem statuâ. *Statuerunt etiam Tribuni militares, qui in exercitibus Cæsaris duo bis fuerunt. Quis est iste ordo. Multi fuerunt multis in legionibus per tot annos.* De plebe in civitatibus ex titulis discimus. ut ex hoc primum.

C. CORNELIO. C. F. VOT. MVNICIANO. PRÆF. COH. PRIM. DAMASC. TRIB. MIL. LEG. III. AVG. PRÆF. FABR. CVRATORI. REIP. OTHESIMORVM. IV. VIRO. I. D. PONTIFICI. FLAMINI. IN. DIVI. CLAVDII. BERGOMI. PATRONO. PLEBS. VRBANA.

Et altero illo.

T. AVCINO. MARCELLINO. V. C. &c. VNIVERSA. PLEBS. BENEVENTANA. CENSVIT. PONENDAM.

Item alio.

C. ACILIO. C. F. PAL. POLITICIANO. EQVO. PVBL. &c. PLEBS. VRBANA. OB. MERITA. EIVS.

Deniquè ut Provinciæ, civitates ac ordines, ita Collegia artificum statuas interdum ponebant, Probant id tituli: ut ille Tergestinus in Istria.

L. VARIO. PAPIRIO. PAPIRIANO. II. VIR. I. D. Q. Q. PRÆTOR. FABR. ROMÆ. ET. TERGESTE. FLAM. HADRI. PONT. AVGVR. COLLEGIVM. FABRVM. PATRONO. MERENTI.

Et alter Brixensis.

COLLEGIA. FABR. ET. CENT.
L. CORNELIO. PROSODICO. II. VIR. AVG. BRIXIÆ. &c. OB. MERITA. EIVS.

Itemquè corpora, quæ fuêre ignobiliorum, inferiorumquè artificum sodalitia. Et quibus nisi ex Senatus consulto, & Ma-

gistratuum permissu coire non licebat. Inscriptio statuæ Ostiensis.

P. MARTIO. QVIR. PHILIPPO. CVRATORI. VIÆ. PRÆNESTINÆ. ÆDILICIO. CVRVLI. V. Q. AB. ÆRARIO. TRIBVNO. FABRVM. NAVALIVM. PORTENS. CORPVS. FABRVM. NAVALIVM. OSTIENS. QVIBVS. EX. S. C. COIRE. LICET. PATRONO. OPTIMO. S. P. P.

De corpore Mancipum testatur hic titulus Vitrasii statuæ inscriptus.

OB. PROVIDENTIAM. ET. STATVM. OPTIMVM. VRBI. ROMÆ. AB. EO. REDDITVM. CORPVS. OMNIVM. MANCIPVM. STATVAM. SVB. ÆRE. CONSTITVIT.

De Corpore Suariorum & confecturariorum illa L. Aradii Romæ, cujus ad finem hæc leguntur.

HVIC. CORPVS. SVARIORVM. ET. CONFECTVRARIORVM. AVTHORIBVS. PATRONIS, EX. AFFECTV. EIDEM. IVRE. DEBITO. STATVAM. PATRONO. DIGNO. PONENDAM. CENSVIT.

Nec deniquè prætereundum est, quod potuerint generatim homines, ut aratores, mercatores, navicularii statuas decernere. Cic. Verr. II. *Aut publicè civitates istos honores habent, aut generatim homines, ut aratores, ut mercatores, aut navicularii.*

Interdum ii posuere qui unâ in regione urbis aliquâ degebant. Sic legimus in titulis. REGIO. ROMANA. STATVAM. COLLOCAVIT. REGIO. IOVIA. STATVAM. CENSVIT. Nec ii tantùm, sed & interdum qui in vico uno cohabitabant. Inscriptio statuæ T. cujusdam Popilii in agro Tudertino.

OB. MVLTA. EIVS. MERITA. VICANI.

VICI.

VICI. MARTIS. TVDERT. ÆRE. CONL. L. D. D. D.

Quò fortè referendum est, quod de Mario, Seneca de ira. III. 18. ait, ipsi *Vicatim populum statuas posuisse*, quod idem etiam innuit Plinius XXXIII. 9.

CAPUT X.

Statuas à privatis publicè poni, quousquè licuerit? Necessarius hic permissus Principis & Magistratuum. Non semper tamen ille expressus. Lex Codicis advocata. Edictum quoddam Tiberii expositum. Laxior aliquantò circa Principes & Principum amicos honorandos indulgentia. De statuis ex testamento fieri jussis. Haredes ea conditione scripti, ut ponerent. Legata quoquè in hos usus relicta. Legatariorum & haredum, si officium suum aut negligerent, aut longius differrent, qua mulcta: Alia quadam Testatorum cautiones, & Haredum officia. Statua in sepulcris. Paga. Interdictum de statuis non revellendis. Pecunia in tutelam data. Sepulchris alia praterea signa imposita, & quare? Quibus privatim ponere, & domi sua, quos & quatenus permissum, usitatumque. Luxus & hoc in genere invisus. Illustrium virorum statuas domi habere, quàm veteribus familiare. Lararium cujusmodi. Quotuplex. Custodes Pueri, canesquè.

INterim & Privati & singuli ponebant. Quod si publicè factum vellent, indulgentia Magistratuum opus erat, tàm in Provinciis, quàm Romæ, eâque *sive expressâ*, ut præcedenti capite dictum est, & porrò confirmat Damascenus de Imaginib. Orat. III. exemplo Hæmorrhousæ, Sacris literis cognitæ. Rem ex descriptione temporum Iohannis Antiochiæ Pontificis, cognomento Malala, arcessens. *Cupiebat*, inquit, *Hæmorrhousa Iesu, à quo fuerat morbo liberata, monumentum consecrare, sed sine regis permissu non audebat; itaque libellum Herodi supplicem obtulit, in quo petebat, ut sibi in oppido suo liceret Christo Servatori statuam auream dicare. Sive tacitâ*. Quo traho leg. 7. Cod. Iust. de Religios. & sumpt. Fun. Quæ quamvis solum de statuis in sepulcro positis loquatur, intelligenda tamen est de aliis ubicunquè locatis, quas sic locari Publicè interdictum non esset. Quod enim prohibitum non est, permissum esse præsumitur. Verba legis hæc sunt. *Statuas sepulcro super imponere, vel monumento, quod à te extructum profiteris, ornamenta quæ putas, super-*

superaddere non prohiberis, cum jure suo eorum, quæ minus prohibita sunt, unicuique facultas libera non denegetur. Hâc igitur quasi tacita publicæ potestatis indulgentia posuere statuas *Imperatoribus Privati.* Quod Dio Cassius indicat lib. LVII. In Tiberio, quem vetuisse ait, ne privati sibi ponerent, ut ante largiter fiebat. *Vetuit,* inquit, *ne quis privatus, neve urbs ulla statuam sibi poneret.* Hoc verò edictum ne nobis officere putemus, ponendi statuas facultatem privatis non ademit, sed ipsum Principem solum concernebat, qui sic videri moderatior gestiebat; Augusto amici posuisse ab eodem scriptore dicuntur lib. LIII. *Augustus statuas non nullas suas argenteas, ab amicis & populis quibusdam sibi factas, in nummisma concidit.* Idem porrò lib. LVIII. de equitibus, Patriciis, Tribunis, aliisque primariis viris qui statuarum honores Sejano habebant, in gratiam Principis, cui dilectum supra modum illud prodigium hominis fuit, sic ait. *Numerum quidem statuarum, quas Sejano, Patricii, equites, tribus, ac primarii viri posuerunt, inire nemo potuit.* Deinceps publicè quoquè privato nomine ponebant *Parentes liberis,* & vice versa, *liberi parentibus, discipuli præceptoribus, clientes patronis, Liberti & interdum Servi Dominis,* ut ex Inscriptionibus vetustis probare possemus, nisi pigeret omnes illas hîc exscribere, quod utique necessarium non est. Sæpe enim aliàs per occasiones varias idem inculcamus. Illud communiter observatum reperio, ut hæredes quicunquè id officium præstarent. Idque nec semper sponte, sed sæpe jussi testamento. Paulus. I. C. Leg. inter. §. ult ff. famil. hercisc. *Si duo cohæredes damnati sunt statuam ponere.* Itaque testatores, illis necessitatem imponebant statuas ponendi, cùm *aliis*, tum *sibi.* Alios intellige quoscunque sanguine aut beneficiis junctos, ut parentes, liberos, cognatos, patronos. Extat in Gruteri Inscript p. CCXVI. Testamentum Græcis verbis, ex tabula marmorea, Venetiis descriptum, quod hanc rem optime illustrat. Latina hic solum ut plerumque aliàs compendii causâ afferam, prout ibi adjuncta sunt. *Ephoris existentibus Phæbetele, & collegis ejus testamento hæc constituit sciens & intelligens Epicteta Grinni, una cum Domino Hyperide Thrasyleontis F. assentiente quoquè filia Epicteta Phænicis. Vtinam mihi liceat salvæ sanæque de bonis meis disponere. Quod si vero humani quidpiam mihi acciderit, relinquo ea juxta præceptum mariti mei Phænicis, qui & Muse-*

Musejum construxit pro defuncto filio nostro Cratesilocho , & animalia ac statuas , suam ipsius , & Cratesilochi, & Heroia intulit , quique etiam me rogavit , ut Musejum exornem , inque eo collocem , tum Musas , tum etiam statuas & Heroia. Exactis verò annis duobus, cum reliquus mihi adhuc filius Andragoras, vitam hanc morte commutaret, præcepit mihi, ut perficerem mandata Patris sui Phœnicis , poneremque & pro ipso , & pro patre ac fratre suo , tum statuam , tum Heroium. Sed quod inprimis ostendendum fuit , illud Romanæ & Latinæ inscriptiones satis testantur : Inscriptio sub Clivo ad Alloram Hispaniæ Civitatem.

STATVAM. QVAM. TESTAMENTO. SVO.
C FABIVS. VIBIANVS. II. VIR. FIERI.
IVSSIT. VIBIÆ. LVCANÆ. MATRI.
FABIA. FIRMA. HÆRES. DEDICAVIT.

Alia. Interamnas A. Pompei, Patroni Municipii Interamnatis.

A. POMPEIO. A. F. ET. TESTAMENTO. L. LVCINI. T. F. STATVA. STATVTA. EST.

Interdum Imperatoribus testamento privatorum , statuæ fieri jubebantur. Sic ap. Statium Sylv. V. Priscilla Maritum damnavit , ut Domitiani Cæsaris statuam in Capitolio curaret collocandam.

Di , inquit, Capitolinis æternum sedibus aurum ,
Quo niteant sacri centeno pondere vultus,
Cæsaris , & propriæ signet cultricis amorem.

Inscriptio in Hispaniis Coloniæ Aug. Gemellæ.

PIETATI. AVG.
L. LVCRETIVS. FVLVIANVS. FLAMEN. COL. IMMVNIVM. PROVINTIÆ BÆTIC. PONTIF. PERPETVVS. DOMVS. AVG. T. P. I. EX. ARG. P.

Sibi verò poni sæpius Testatores, ut dixi, mandabant. Inscriptio Vetus, in villa Constantina, inter Cordubam & Sibiliam.

Q. CORNELIO. QVIR. GALLO. QVAM. TESTAMENTO. SVO. SPORTVLIS. DATIS. DECVRIONIBVS. PONI. I. CORNELIA. PRISCA. SOROR. ET. HAERES. ETC. PONENDAM. CVRAVIT.

Et interdum ſcribebantur hæredes ea ſola conditione, ut ponerent. Pompejus Iuriſc. l. 14. ff. de condit. & demonſtrat. *Titius ſi ſtatuas in municipio poſuerit, hæres eſto.* Nonnunquam teſtatores legata relinquebant iis, à quibus Statuas poni volebant, ut ex Paulo Iuris Conſ. L. cum quidam §. 3. ff. de uſur. cognoſcere licet. Hæredes a. ſi conditionem non implerent multabantur. Cic. Verr. 11. *Audivit Verres Dioni cuidam Siculo permagnam veniſſe hæreditatem. Hæredem ſtatuas juſſum eſſe in foro ponere, niſi poſuiſſet, Veneri Erycinæ eſſe multatum.* Quod ſi differrent longius, uſuras Reip. dare tenebantur. Nam diem, intra quem ponendæ ſtatuæ erant, aut Teſtatores ipſi, aut cum illi neglexerant, præſes Provinciæ definiebat. Vlpian. l. 5. ff. de oper. Publ. *Si legatum, vel fidei commiſſum fuerit ad opus relictum, uſuræ quæ, & quando incipiant deberi, reſcripto Divi Pii ita continetur. Siquidem dies non ſit ab his, qui ſtatuas vel imagines ponendas legaverunt, præfinitus, à Præſide Provinciæ tempus ſtatuendum eſt. Et niſi poſuerint hæredes, uſuras leviores intra ſex menſes: ſin minus, ſemiſſes uſuras Reip. pendant. Si vero dies ſtatus eſt, pecuniam deponant intra diem. Si aut non invenire ſe Statuas dixerint, aut loco controverſiam fecerint, ſemiſſes protinus pendant.* Porrò in illis teſtamentis cautum fuiſſe reperio de materie, & ſi precioſa illa deſtinaretur, etiam de pondere. Inſcriptio vetus.

CAECILIAE. TROPHIMAE. STATVAM. EX. TESTAMENTO. SVO. EX. ARG. P. C. SVO. ET. CAECILII. SILON. MAR. SVI. NOMINE. P. C. D. CAECIL. HOSPITAL. ET. CAECILIA. HILETE. HAEREDES. SINE. VLLA. DEDVCTIONE.

Item de ſumptibus. Alia Inſcript.

M. C. Q. AVITO. SVPERFLVENTI. PECVNIA. QVAM. IN. MAVSOLEVM. SIBI. FACIENDVM. ET. STATVAM. MAR-

MARMOREAM. PONENDAM. TESTAMENTO. IMPENDI. IVSSIT.

Vbi nota hæredes interdum addidiſſe aliquid de ſuo, honoris cauſa. Quod vel ſtatuæ ipſi addebatur, ut ornatior fieret. In inſcript. Hiſpanienſi, in qua Lucretius Pietati Aug. ſtatuam Teſtamento poni juſſit, cujus principium paulò ante citavimus, hoc ad finem leges.

HVIC. DONO. LVCRETIA. CAMPANA. AMPLIVS. NOMINE. SVO. CORONAM. AVREAM. ADIVNXIT.

Vel dedicationi impendebatur, ut magnificentius illa perageretur. Inſcriptionis Q. Cor. Galli, cujus priorem partem modò adduximus, poſteriora verba idipſum ſatis declarant.

CORNELIA. PRISCA. SOROR. ET. HÆRES. DATIS. SPORTVLIS. DECVRIONIBVS. ET. DE. SVO. DATO. EPVLO. PLEB. ET. ORDINI. PONENDAM. CVRAVIT.

Cavebatur quoquè de loco. Pomponius IurisConſ. L. Quirtus Mucius. ff. de Ann. leg. *Ad authoritatem ſcribentis hoc quoquè pertinet, cum quis juſſit in municipio imagines poni.* Cic. Verr. II. De Heraclio quodam Syracuſano, qui teſtamento heredem damnabat, ut in palæſtra poneret, *Eſſe*, ait, *in Teſtamento ſcriptum, ut ſtatuas in Palæſtra deberet ponere.* Sic Dionem Siculum Teſtator juſſit in foro ponere, ut ex eadem Action. Verr. conſtat. Maximè verò uſitatum fuit, ut in ſepulcris juberentur erigi ſtatuæ, præcipuè quæ mortis cauſa fiebant. Iul. Pollux. Onomaſt. VIII. Cap. 42. Inter ſepulcralia reliqua ſtatuas numerat, *Monumentum, Sepulcrum, tumulus, Columnæ, querela, ſtatuæ, Libitinæ, Tymbi & urnæ.* Et III, 19. *Dices etiam Tumulare, tumulum erigere, tumulum inducere, ſtatuam erigere, epigramma inſcribere.* De Scipione Africano. Liv. XXXVIII, cap. 56. *Alii Romæ, alii Literni & mortuum & ſepultum ſcribunt, utrobiquè monumenta oſtenduntur & Statuæ. Nam & Literni monumentum, monumentoquè ſtatua fuit ſuperimpoſita, quam tempeſtate dejectam nuper vidimus ipſi. Et Romæ extra portam Capenam in Scipionum monumento tres ſtatuæ ſunt,* F quæ-

quarum duæ P. & L. Scipionum esse dicuntur. Tertia Poëtæ Q. Ennii. Vbi nota, solere interdum non proprias tantum, sed & amicorum statuas, in sepulcris, singularis affectus causâ poni. Vt hic Ennii statua in Scipionis monumento posita legitur. Ita enim fieri P. Scipio jussit. Plin. VII, 30. *Prior*, inquit, *Africanus Q. Ennii statuam Sepulcro suo imponi jussit, clarumque illud nomen, imo verò Spolium, ex tertia orbis parte raptum, in cinere supremo cum Poëtæ titulo legi.* Vid. Cic. pro Archia. Plut. Scip. Cap. LI. & Valer. Max. VIII, 14. De statuis sepulcrorum loquitur Ausonius Epitaph. Heroum XX.

Euphemum Ciconum ductorem Troïca Tellus
Condidit hasti iti Martis ad effigiem.
Nec satis est Titulum saxo incidisse sepulcri,
Insuper & frontem mole onerant statuæ.
Ocyus ista ruunt, quæ sic cumulata locantur,
Major ubi est cultus magna ruina subest.

Et Festus, de statua Ludii. *Super ossa ejus columna cum ipsius effigie posita est.* Loquuntur etiam Inscriptiones.

LOCVM. SEPVLTVRÆ. ET. STATVAM. DECREVIT. ÆMILIA. LVCIA. MATER.

Et illa.

HOC. SEPVLCRVM. CVM. STATVA. POSVIT. SECVNDO. A. CIVITATE. STADIO.

Illud quippe deinceps lege concessum fuit. Lex illa est 7. Cod. de Religios. & sumpt. Fun. quam initio hujus capitis citavimus.

Quæ vero sepulcra statuas ejusmodi non haberent, *Pagas* appellabant, ut est in Glossar. Isidori. *Pagæ memoriæ sine Idolis.* Cum autem positæ erant, non licebat magis eas revellere, quàm ipsum sepulcrum, quia videlicet res erat religiosa. Vlpianus Jurisc. l. 2. ff. de sepulc. Viol. *Si sepulcrum quis diruit, cessat Aquilia, quod vi tamen aut clam agendum erit, & ita de statua de monumento evulsa Celsus scribit.* Paul. lib. 1. Sentent. de sepultura & lugendis. *Qui monumento inscriptos titulos eraserit, vel statuam everterit, vel quid ex eodem traxerit, lapidem columnamve sustulerit, sepulcrum violasse dicitur.* vid. etiam l. 4. & 5. cod. de sepul. Viol. Quod hic de statuis, ad monumenta positis dictum

est,

est, intelligi & de aliis ubicunquè locatæ essent, oportet; quas nihilo magis licebat revellere, quin haud levi cura cavebatur, ne quid illis detrimenti aut per vim improborum hominum, aut per injuriam ævi, aliasve sortis malignæ vices accideret. Vnde legimus in titulis antiquis quod ut in aliorum operum publicorum, ita in statuarum etiam tutelam pecuniæ aliquid consueverit relinqui. Vt in illo Narbonensi.

Q. IVLIO. SERVANDO. IIIIII. VIR. AVGVST. C.I.P.C.N. M. LICINIA. PALLAS. MARITO. OPTIMO. INLATIS. ARCÆ. IIIIII. VIR. OB. TVITIONEM. STATVÆ. H.S.P.L.D.D. IIIIII. VIR.

Tum altero loci ejusdem, Lucio cuidam Æmilio inscripto, cujus hæc sunt ultima.

POST. OBITVM. EIVS. INLATIS. ARCÆ. SEVIROR. OB. LOCVM. ET. TVITIONEM. STATVÆ. HS. N. IIII. L.D.D. IIIIII. VIROR.

Cæterum, ut ad ea redeamus, quæ de statuis sepulcralibus dicere cœpimus, sæpe non hominum solum, sed & alia signa imponebantur, ut supra Cap. IV. ex parte diximus. eaquè vel *Deorum.* de Hermis test. Cic. 2. de LL. ubi de Sepulchris Atheniensium. *Nec Hermas hos, quos vocant, licebat imponi.* De Baccho, Rufus Avien. Fest. Fab. XXIII.

Venditor insignem referens de marmore Bacchum,
Expositum pretio fecerat esse Deum.
Nobilis hunc quidam funesta in sede sepulcri,
Mercari cupiens compositurus erat.
Alter adoratis ut ferret munera templis,
Redderet & Sacro debita vota loco.
Nunc ait, ambiguum faciens de mercibus omen,
Cum spes in precium munera dispar agit.
Et me defunctis, seu malis tradere divis,
Sive decus busti, seu velis esse Deum;
Subdita namquè tibi est magni reverentia facti,

Atquè eadem retines funera nostra manu.

Vel *aliarum rerum, cum inanimatarum, tum animatarum*, puta quæ vitam cujusquè, studia & mores denotarent. Sic in Archimedis sepulcro, posita erat *Sphæra cum Cylindro*, ob Matheseos peritiam, teste Cic. v. Tusc. In Philagri, qui præceptor Metelli Nepotis erat, *lapideus corvus* collocatus erat, de quo Plutarch. in Cic. Cap. XXXVI. Causam tamen non addit. Prætera de hac veterum consuetudine consule Funeralium Rituum scriptores, Meursium de funere Cap. XXXI. & Kirkman. de fun. Rom. III, 8. Si vero privatim hoc est domi suæ, & intra privatas possessiones, statuas ponere vellent privati, id propria & nulla interveniente aliena authoritate facere poterant. Solenne quippe hoc antiquis fuit, ut eos, cum quibus arctior aliqua vitæ, sanguinis aut beneficiorum officiorumquè necessitudo intercesserat, sic exprimerent, ut semper eos, quantumvis mortuos aut peregrè agentes, in oculis haberent, colerentquè. Plin. Iun. Epist. lib. II. *Defunctorum imagines domi positæ dolorem nostrum levant.*

Quemadmodum hodieq; mos idem observatur, ut pictis imaginibus vultus asservemus eorum, quorum memoriam veneramur & diligimus. Exemplo videlicet veterum. Speciatim de viris doctis Seneca Epist. LXXIV. id prodit. *Multum*, inquit, *egerunt, qui ante nos fuerunt sed non peregerunt. Suspiciendi tamen sunt & ritu Deorum colendi. Quidni ego magnorum virorum & imagines habeam, incitamenta animi, & natales celebrem?* Sic itaquè *conjuges* sibi invicem ponebant. *Maritus uxori.* Statius Sylv. v. sub indice. *Abascantii in Priscillam pietas.*

Si manus, aut similes docilis mihi fingere ceras,
Aut Ebur impressis, aurumve animare figuris,
Hinc Priscilla tuo solatia grata marito
Conciperem, namquè egregia pietate meretur,
Vt vel Appellæo vultus signata colore,
Phidiaca vel nata manu reddare dolenti,
Sic auferre rogis umbram conatur, & ingens
Certamen cum morte gerit, curasquè fatigat
Artificum, inquè omni te quærit amare metallo.

Et *Vxor Marito*. Idem II. Sylv. Genethliac. Lucani, de ejus effigie, quam Polla uxor coluit ipso mortuo.

Ipsum sed coluit, & frequentabat ipsum
Imis altius insitum medullis.
Ac solatia vana subministrat
Vultus, qui simili notatus auro
Stratis praenitet, incubatque somno.

Sic Laodamia Protesilai sui conjugis simulacrum effingi curavit. Hygin. Fab. CIV. *Itaquè fecit simulacrum aereum simile Protesilai conjugis & in Thalamis posuit.* Ovid. Epist. Heröid.

Dum tamen arma geris diverso miles in orbe,
Quae referat vultus, est mihi cera tuos.
Illi blanditias, illi tibi debita verba
Dicimus, amplexus accipit illa meos.
Crede mihi, plus est quam quod videatur imago,
Adde sonum cerae, Protesilaus erit.

Et Æneae, filiiquè ejus Iuli imagines à Silio Italico Lib. VIII. traditur in Thalamis habuisse Dido.

Inde, inquit, *amens nunc sideream Iuliquè, tuamquè*
Effigiem fovet amplexu, nunc tota repentè,
Ad vultus conversa tuos sub imagine pendet.

Ponebant etiam *Parentes liberis*. Plinius Nepos l. IV, Ep. 7. De M. Regulo. *Placuit*, inquit, *statuas filii & imagines quàm plurimas facere. Hoc omnibus officinis agit. Illum coloribus, illum cera, illum aere, illum argento, illum auro, Ebore, marmore fingit.* Vnde colligas licet, reprehendi solitam hic, ut in aliis, nimiam luxuriam, quae ut plurimum vanitatem, fastum & arrogantiam prae se ferre videbatur. Suet. Calig. Cap. VII. de Augusto, Nepotis effigiem habente. *Ejus*, inquit, *effigiem Augustus in cubiculo suo positam, quotiescunquè introiret, exosculabatur.*

Et *Liberi parentibus*. apud Statium III. Sylv. in Lachrym. Hetrusci, Filius Patri statuas destinat.

——— ——— *Te*, inquit, *Lucida saxa*
Te similem doctae referet mihi linea cerae,
Nunc ebur, & fulvum vultus imitabitur aurum.

Tum *aliis alii*, vel *quorum opera servati ex magno aliquo malo fuerint*. Euseb. Hist. Eccl. VII, 17. ubi de statua Christi Paneade ab Haemorrhousa posita. *Nec mirum*, inquit, *videri debet eos, qui*

ex gentibus olim à Servatore nostro curati sunt, ista fecisse, quando & Apostolorum ejus imagines, Pauli videlicet & Petri, deniquè & ipsius Christi, in tabulis coloribus depictas asservari vidimus, quod veteres ex gentili consuetudine, eos, quos servatores putarunt, ad hunc modum honorare soliti fuerint. Vel *quos maximè* ut dixi, *ob virtutem aut vitæ, studiorumquè similitudinem amabant.* Sic domi suæ Capito clarorum virorum imagines sive statuas habuit. Plin. Nepos. lib. I, Ep. 16. *Est omnino Capitoni in usu claros colere. Mirum est qua religione, quo studio imagines Brutorum, Cassiorum, Catonum, domi ubi potest, habeat.* Quibus verbis occultè insinuare videtur Secundus, quod fuerit libertatis amans Capito, qui talium imagines haberet. Catonum enim Brutorum & Cassiorum mores ac gesta pro libertate, lippis & Tonsoribus nota sunt. Ita Virgilium Silius Italicus in statuis colebat, domi suæ. Idem Epistolarum Scriptor lib. III. *Multum utique librorum, multum statuarum, multum imaginum, quas non habebat modò, verum etiam venerabatur, Virgilii ante omnes.* Et in Larario suo positos præstantes & amatos viros colebant. Suet. Vitellio. Cap. II. de Lucio A. Vitellii patre. *Narcissi quoquè & Pallantis Imagines aureas inter Lares coluit.* Sic etiam Magistros suos in Larario statuit M. Antonius Philos. ut tradit Capitolinus in ejus vita. *Tantum autem honoris Magistris suis detulit, ut imagines eorum aureas in Larario haberet.* Et Virgilii, Ciceronis, Achillis, aliorumquè Alex. Severus. Lamprid. in ejus vita. *Virgilii imaginem cum Ciceronis simulacro in secundo lario habuit, ubi & Achillis & magnorum virorum. Alex. verò Magnum inter Divos & optimos in Larario majore consecravit.* Duplex itaquè fuit Lararium, unum Majus in quo Divi, alterum minus, idquè secundum appellatum, in quo homines locati. Sedes verò Larium in ædibus non una fuit, cum colerentur in foco, in cubiculo, in aliqua atrii parte, ut in compluvio, aut porticu compluvio adjuncta, quemadmodum ex Plauto, Suetonio, Vitruvio, Petronio, Doctiss. Casaub. ad August. Suetonium, Cap. XCII. notat. Illarum v. Imaginum curæ & custodiæ interdum puer apponi solebat. Sueton. Domitian. Cap. XVII. *Puer curæ larium cubiculi ex consuetudine, assistens, interfuit cædi.* Et hæ sunt, quas *cubiculares imagines* vocat Sueton. August. cap. 7 ubi de puerili quadam imaguncula Augusti, *Quæ*, ait, *dono à me Principi data inter cubiculares colitur.*

Inter-

Interdum verò præficiebantur & Canes, ipsiquè Lares caninis pellibus vestiebantur. Cujus instituti causam pete ex Plutarch. Quæst. Roman. c. LI.

CAPUT XI.

De imaginibus Romanorum quædam post alios infinitos notata. Ceræ illæ ut plurimum. Non raro tamen ex ære, & alia materia. Plerumquè solum caput humeros tenus, expressum. In atriis ea præcipuè posita. Interdum verò etiam & in templis, & curia. Sola Scipionis imago in Capitolio, quare collocata? Ligneæ ædiculæ, sive armaria, quo fine circumdata? Quando aperta eadem! Usus imaginum in Pompis funerum. Privatorum & Principum diversa circa hoc negotium instituta. Hostium Reip. imagines non prolatæ. Consecratorum quoquè non ostensæ per venerationem. Dio Cassius adversus Lipsium vindicatus. Lecti. Feretra. Erectæ in foro imagines. Defunctorum non singulæ, sed plures simul prælatæ sæpè. Ut imagines ita & Statuæ hic ostensæ. Mos osculandi imagines rogo impositas. Trunco corporis auctæ. Ornatæ vestibus, pigmentis decoratæ, quoties deferrentur, & in atria sua deinceps repositæ. Iulii Capitolini locus contra Meursium explicatus. Imaginum quis usus, in generis nobilitate monstranda? Novi homines qui? Imaginis ponendæ jus quibus concessum! Tituli honorum & rerum gestarum subjecti. Ob jus hoc imaginis, gratiæ actæ publicis orationibus. Imaginum antiquarum & insignium modernorum convenientia. Utrumquè institutum excitandæ virtuti comparatum.

NON possum hic, ubi de privatorum Statuis privatim positis agitur, prætermittere, quin aliqua dicam de imaginibus Majorum, quarum mentionem tantoperè Latini Scriptores frequentant. Fateor ab innumeris aliis actum esse ea de re, ad fastidium usquè: Quia tamen locus & Argumentum suadet, penitus præterire, inertiæ putabam, fortè aliqua etiam non vulgò obvia, eâdem operâ adducturus. Optimè eas describit Plinius XXXV, 2. *Apud Majores*, inquit, *in atriis hæ imagines erant, quæ spectarentur, non signa Externorum artificum, nec ærea, nec marmorea. Expressi cerâ vultus, singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilia funera.* Quibus ex verbis quatuor hæc discimus, Imaginum *Materiem*, *Formam*, *Locum*, *Usum*. Quæ singula, aliorum etiam Testimoniis illustrabimus & amplificabimus. Fiebant itaquè ex *Cera* ut plurimum, adeò

vulgatâ Materie, ut Imagines illæ non cereæ, sed μετωνυμικῶς ipsæ *Ceræ* dicerentur. Ovid. 1. Fast.

Perlege dispositas annosa per atria Ceras.

Iuvenal. Sat. VIII.

Tota licet veteres exornent undiquè Ceræ,
Atria ———

Ovid. Amorum 1. Eleg. 8.

Ne te decipiant veteri cincta atria Cerâ.

Dixi, utplurimum, quia leguntur eædem & ex *ære* factæ, quanquàm rarius. Idem Ovid. VI. Fast.

Vidimus, inquit, *ornatos ærata per atria, picta*
Veste, Triumphales occubuisse Senes.

Et Statius II. Thebaid.

— — — *læto regalia cœtu*
Atria complentur, species est cernere avorum
Cominus, & vivis certantia vultibus æra.

Quorum locorum lectio adeò sibi constare videtur, ut frustrà ibi pro *Ærata*, *Cerata*; Et hic pro *Æra*, *Ora*, substituisse Lipsius videatur in Elect. 1, 29.

Formam exprimunt Plinii hæc verba, *Expressi cerâ vultus.* Non enim tota corporis effigies statuebatur, membris omnibus, à vertice ad pedes, justa magnitudine efformatis; sed solum caput fiebat humerorum tenus. Quis enim locus, quæ domus tanti exercitus capax, si totis integrisquè simulacris Majorum, avorumquè replenda fuisset, præcipuè cum ex Imaginum multitudine censeretur omnis nobilitas? Probo insuper authoritate Polybii VI, 51. *Est hæc imago, ait, vultus similitudo quàm accuratissimè expressa.* Cic. in Bruto. *Ex quo tanquam ex ore imago exprimatur.* Talis etiam erat imago Pompeii M. in triumpho ejus translata, de qua Plinius XXXVII, 2. *Imago Cn. Pompeii è margaritis, illa regio honore grata, illius probi oris venerandiquè per cunctas gentes.* Et deindè. *Hinc fieri tuos vultus? sic te preciosum videri?* Et rursum. *Clarèque intelligi posset, jam tum illud caput orientis opibus sine reliquo corpore ostentatum.* Nec obscura res est, quam etiam arguere possunt hodiequè ex antiquissimis seculis reservatæ apud Romanos, alibiquè in Italia vete-

veterum effigies, hac formâ ex ære & vario marmore expressæ. *Locum* porrò duplicem assignat Plinius, unum communem *Atrium* nimirum, àlterum proprium *Armaria* quædam, sivè *thecas*. In *atrio* itaquè collocabant. Seneca de benefic. III, Cap. 28. *Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine, & multis Stemmatum illigata flexuris in parte prima ædium collocant, noti magis quam nobiles sunt.* Martial. II, 90.

Differat hoc, patrios optat qui vincere census,
Atriaquè immodicis arctat imaginibus.

Causam cur ibi ponerentur, eleganter Valerius Maximus exponit V, 8. ubi, cum T. Manlium Torquatum dixisset filium suum ob malè administratam Provinciam condemnasse, *Videbat*, inquit, *se in eo atrio consedisse, in quo illius imperiosi Torquati severitate conspicua imago erat: Prudentissimoquè viro succurrebat, Effigies Majorum cum titulis suis idcircò in prima ædium parte poni solere, ut eorum virtutes posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur* Erat enim, ut vides, atrium prima ædium pars, spatiosa & patens, in qua Prisci aperto ostio epulabantur, ut Cato ait; ubi quoquè fœminæ suas operas exercere, nere, telas texere, suere solebant, *industrias testificantes suas*, ut Arnobius II. adv. Gent. inquit. Vt indè manifestum sit, ideò etiam hæc decora in atriis domorum statui solita, ut conspicua essent, & transeuntium aut ingredientium oculis sese commodùm ingererent. Quibusdam tamen præclarè de Rep. meritis viris, peculiari quodam privilegio indultum fuit, ut imagines illorum publicè in templis & curia ponerentur, tanquam atrio tam illustri maximè dignis. Valerius Maximus VIII, 15. De P. Africano Majore, & M. Catone Censorio. *Superior Africanus*, inquit, *imaginem in cella Iovis Optim. Maxim. positam habet, quæ quotiescunquè funus aliquod Corneliæ Genti celebrandum est, indè petitur, uniquè illi instar atrii Capitolium est. Tam herculè, quàm Curia superiori Catoni; undè effigies illius, ad ejusdem generis officia expromitur.* Causam adnectit, *Gratum ordinem qui utilissimum Reip. Senatorem tantum non semper secum habitare voluit.* Cur autem Scipionis imago sola in

Capitolino poneretur, diu frustra quæsivi, donec tandem causam aperiret mihi Appianus, lib. de bell. Hispan. qui ita hac de re loquitur. *Capta Carthagine* novâ scilicet, & Hispanâ illâ, *summis laudibus Scipio efferebatur ab omnibus mortalibus, quibus persuasum erat, eum omnia instinctu divino potius, quàm humano consilio gerere. Quin & ipse idem sibi persuaserat; ac cum eo, tum reliquo omni suæ vitæ tempore ejusmodi opinionem, sumpto ex ea re initio, fovere studuit. Ejus rei causa in Capitolii templum sæpenumero solus ingredi consueverat, foresque claudere, quasi à Deo docendus. Ex quo etiam hodiè in publicis pompis sola Scipionis Imago ex Capitolio trahitur.*

Armariis quibusdam præterea, ut dixi, includebantur, quæ ligneæ ædiculæ sunt Polybio. Quod cur fieret, non obscurum esse potest. Nam & veneratio quædam his rebus intercessit, & ita cauto opus erat, ob lubricam mollemquè ceram, quæ lædi & corrumpi vel levissimo attritu potuit. Nec aliter fieri conveniebat, ob sordes pulveris, tenaci materiæ infestas. Ædiculæ verò istæ diebus festis & temporibus lætis aperiebantur. Vopiscus in Floriano. *Tantum illud dico, Senatores omnes eâ esse lætitiâ elatos, ut domibus suis omnes albas hostias cæderent, imagines frequentes aperirent, albati sederent, convivia sumptuosiora præberent.* Nuptiis præsertim. Ita colligo ex Senec. Rhet. l. III. Controv. 21. Vbi simul innuit ad tristia solere easdem claudi. *Certum habeo,* inquit, *si habuisset Tyrannus Filiam, non scripsisset edictum. Indicit festum diem, aperire jubet Majorum imagines, cum maximè tegendæ sunt.* Aperiebant & qui grave aliquod crimen publicè diluissent, in Testimonium innocentiæ. Cic. pro P. Sylla. *Nam ipse quidem*, inquit, *si erit vestro judicio liberatus, quæ habet ornamenta, quæ solatia reliquæ vitæ, quibus lætari & perfrui possit? Domus erit, credo exornata, aperientur Majorum Imagines, ipse ornatum ac vestitum recuperabit.*

Restat ut de harum Imaginum *Vsu*, quem Plinius indigitat, aliquid dicamus. Fuit ille præcipuus in pompis nobilium funebribus. Quotiescunquè ex domesticis quispiam esset mortuus, ad funeris elationem eas extulêre. Horat. Epod. VIII.

> *Esto beata, funus atquè imagines*
> *Ducant triumphales tuum*: ad quod Porphyrion,

In funere nobilißimis quibusquè solebant præferri imagines Majorum. Cic. II. de Oratore. *Cum casu funere efferretur anus Junia: Tum Crassus. Brute quid sedes? quid illam anum Patri vis nunciare tuo? quid illis omnibus, quorum Imagines duci vides?* Epitome Livii XLVIII. de Lepido. *Præcepit filiis, lecto se strato sine linteis, sine purpura efferrent; Imaginum specie, non sumptibus nobilitari maximorum virorum funera solere.* Germanico itaquè quod peregrè mortuus esset (Antiochiæ enim obiit, ibiquè crematus est) hic honor Imaginum haberi non potuit. Tacit. II. Annal. *Funus sine Imaginibus & Pompa, per laudes & memoriam virtutum ejus celebre fuit.* Hinc & postquam reliquiæ ejus Romam relatæ essent, illa populi querela de Tiberio, justos debitosque honores illis negante, cum tamen Druso patri ejus Augustus magnifica fecisset. In cujus funere, inquit, *circumfusas fuisse Lecto Claudiorum Juliorumquè Imagines.* Cœterum observabatur vulgo ut solæ gentilitiæ Imagines expromerentur. Plinius laudato loco. *Vt essent Imagines, quæ comitarentur gentilia funera; semperquè defuncto aliquo, totus aderat familiæ ejus, qui fuerat unquam, populus.* Si verò Principibus justa fierent, non tantum Gentilitiæ, sed aliorum insignium virorum Imagines anteferebantur. Dio. lib. LVI. ubi de funere Augusti. *Post has, inquit, avorum ipsius, ac cognatorum vita functorum (exceptâ Iulii Cæsaris, qui inter Semideos erat relatus) aliorumquè qui Romæ unquam factis suis præclari fuissent, Imagines, initio à Romulo facto ferebantur. Inter quas Pompeij quoque Magni Imago cernebatur.* Tacit. IV. Annal. de funere Drusi. *Funus Imaginum Pompa maximè illustre fuit, cum origo Iuliæ Gentis Æneas, omnesque Albanorum Reges, & conditor Vrbis Romulus, post Sabina nobilitas, Atta Clausus, cæteræquè Claudiorum effigies, longo ordine spectarentur.* Hoc verò attendebant, ne illorum proferrentur Imagines, qui hostes Reip. fuisse videbantur vivi. Vnde Plutarchus tanquam insolens quid notat in Julio Cæsare, quod in funere Iuliæ Amitæ suæ, Marii, ejus Mariti Imagines præferre ausus fuerit, quæ tum primum post Syllæ dominatum conspiciebantur, ex quo Marius Reip. hostis fuit judicatus. in vita Iul. Cæs. Cap. VII. Tacitus XII. Annal. ubi de funere Iuliæ, C. Cassii uxoris agit. *Præfulgebant*, inquit, *Cassius atque Brutus, eo ipso quod effigies eorum non visebantur.* Aliàs enim viginti clarissimarum familiarum

Imagines antelatæ fuêre. Id. 11. Annal. *Tunc Cotta Messalinus, ne Imago Libonis exequias posterorum comitaretur, censuit.* Ex eo more est quod de P. Clodii cadavere, sine Imaginibus & pompa ambusto, Cicero pro A. Milone dicit. *Non fuisse fas credo, clarissimorum virorum formas illi teterrimo parricidæ aliquid decoris afferre.* Quin & placuit interdum ad hæc officia non adhibere Imagines consecratorum, honoris causa. Dio Cassius, præter locum modò citatum, alibi eodem libro idem repetit. *Decretum est*, inquit, *ne Augusti Imago in cujusquam Exequiis duceretur.* Et iterum lib. XLVII. De Imagine Divi I. Cæsaris. *Dixerunt porrò, ne in funeribus eorum, qui Cæsari sanguine juncti essent, Cæsaris, nimirum qui verè Deus existeret, ulla Imago gestaretur.* Hic malæ fidei nostrum Dionem arcessit Doctissimus Lipsius, Epistol. Quæst. IV, 3. quasi confinxerit ea, quæ decreta esse tradit in honorem I. Cæsaris & Augusti, ne videlicet Imagines illorum, utpote jam divorum, in exequiarum pompis, sicut reliquæ Majorum traducerentur. Ego verò constanter credo, iniquè hic perstringi à Lipsio Dionem. Nullam enim habuit causam adulationis, etenim procul temporibus primorum Imperatorum vixit. quippè qui Alexandro Augusto, Mammeæ filio imperante floruit, nec hallucinari poterat, cum idem tribus diversis in locis repetiverit; aut quisquam est, qui ex mera mentiendi libidine, atquè adeò impudenter ausum credat Historicum ea prodere, quæ publicè à Senatu decreta & quidem de summis summorum principum honoribus tradit? quibus ex vero vulgandis noverat, tot illustrium Scriptorum ingenia sudare, tot manus admoveri, ut illorum temporum gestis in tanta Auctorum luce, fraudem fieri mendacio impunè non posse, facile intellexisse mihi videatur. Quod Tacitus nullam ejus rei mentionem fecerit, non eò valet, ut alterius fidem elevet. Tacito enim I. Cæsaris & Augusti historiam tradere constitutum non fuit, sed tantum ut ipse I. Annal. Materiem operis disponit, *Consilium ipsi fuit, pauca de Augusto & extrema tradere. Mox Tiberii principatum*, ut ita de singulis præcedentium temporum actis rationem abs illo exquirere velle, nequicquam tale quid pollicito, planè sit iniquum. Deindè quod Lipsius aliorum Divorum ut Æneæ & Romuli Imagines adhiberi ornandæ funebri

nebri pompæ solitas, & nominatim in Drusi funere ex Tacit. IV. Annal. ostendit, nihilomagis nostri historici fidem enervat. Quis enim ignorat multo exquisitiores honores Imperatorum nuper consecratorum statuis, quam Deorum Simulacris fuisse impensos? Vel quisquam nè est, qui legerit unquam imaginem Dei annulo insculptam latrinæ inferre, capitale fuisse? Cum tamen factum ejusmodi circa Imperatorum Imagines nonnullis ingenti periculo constiterit? Quapropter sic existimo, cum principes illos primos I. Cæsarem & Augustum, Deos fieri necesse erat, sive illud successorum imperia, sivè adulatio Senatus sanxit, oportuisse nascenti Divinitati, effusâ, quantum potuit, honorum impensâ magnificisquè decretis munimentum aliquod strui, nè turbari, & inter incunabula sua everti facilè posset. Quod pretium curæ non videbatur, circa reliquos & antiquos Deos, quippè quorum Divinitas jam longo animorum seculorumquè consensu, roborata esset. Hæc Dionis causa non silenda esse arbitratus sum, cujus diligentiæ industriæquè multa certè ex antiquitatis notitia debemus, aliàs forsan æternùm ignoranda. Imò ipsi Lipsio, quem ejus Authoritate, & firmâ & constanti uti passim, suasquè indè antiquitates & ritus nimis quàm frequenter stabilire video, quemquè alicubi veritatis indubiæ testimonium nostro Dioni tulisse memini. Quorsum aliàs illud in Poliorcet. I, 5. *Quod pretium Dioni mentiendi*? nisi salvandæ tanti viri fidei? Et sanè tantis laboribus, quantos ille scriptor, digerendis Romanis rebus insumpsit, ingratam gratiam refert, qui Auctorem sine causa, sine probatione ulla, sine testimonio vanitatis & mendacii insimulat. Vt ad Imagines redeam in lectulis quibusdam præferri solere putat I. Kirkmann. de fun. Rom. II, 7. Hoc loco Tacit. lib. XVI. adductus. *Tres modò lectulos ad suprema retineri jubet.* Et illo Servii, qui ait, *in funere Marcelli Augustum sexcentos lectos præferri jussisse*, eos videlicet ad hunc usum comparatos, ut in illis paternæ maternæquè gentis Imagines collocarentur. Certum tamen aliquid constituere eâ de re non audet, cum interim illud certius aliquantò constet, in oblongis perticis, sivè hastis, ad instar ferculorum triumphalium fuisse prælatas, præeunte nobis ad hanc sententiam Silio Italico. Lib. X. ubi de funere Pauli,

Non

Non conjunx, ait, *nativè aderant, non juncta propinquo*
Sanguine turba virum; aut celsis de more feretris,
Præcedens prisca exequias decorabat Imago.

Nisi *feretri* appellatione, præter communem significationem intelligi etiam *lectos capulosquè velis*, quibus mortui efferebantur. Ejusmodi feretri meminit Varro apud Plin. VII, 52. Vbi dicit vigintiviris agros dividentibus Capuæ, quendam qui efferretur feretro, domum remeasse pedibus. Vbi feretrum pro Capulo accipi debere nemo non videt. Ante lectum verò mortualem, ipsa quoquè defuncti Imago ferebatur. Tacit. III, Annal. *Vbi illa veterum instituta? præpositam thoro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina, & laudationes & lachrymas?* Et cum ad forum ventum esset, ubi funebres laudationes haberi solebant, illa pro rostris erecta statuebatur, ut à populo conspici posset. Ita Ioh. Kirkmannus. lib. II, Cap. 18. de funer. Rom. accipi posse suspicatur hunc Polybii locum ex Lib. VI, Cap. 51. cujus hic est sensus. *Quoties aliquis vir illustris apud illos migravit de vita, is, cum funus effertur, præter reliquos honores, quibus ornatur, in forum ad rostra ut vocant, solet efferri, stans interdum, ut sit omnibus conspicuus, rarius jacens.* Ac interdum non singulæ defunctorum, sed plures ferebantur; nec eæ ex cera tantum, sed & de reliqua materie, in funeribus videlicet Imperatorum. Dio Cassius Lib. LVI. de Augusti funere. *Imago*, inquit, *ejus cerea, habitu Triumphali conspiciebatur. Hanc à Palatio ducebant Consules designati. Altera aurea ex curia. Tertia in curru Triumphali ducebatur.* Ecce & Statuas ibi antelatas. Hinc lucem fœneror Appiano, qui Lib. de Bell. Hispan. dicit in pompis publicis Imagines ex foro trahi consuevisse. *Sola*, inquit, *Scipionis Imago in publicis pompis ex Capitolio trahitur, cum aliorum Imagines ex foro trahantur*, ita ut in Magnatum Exequiis jam non solum ex atriis, sed aliundè ex Curia, ex templis depromptas Imagines & Statuas & ante lectum latas credam; Imò ex foro, ut hic Appiani locus docet, quod haud temerè apud alium reperies. Nec eorum solum quibus funus fiebat, sed & aliorum Illustrium virorum ut Imagines, ita statuæ quoque transvehebantur. Nisi solis consecrandis potius hoc datum existimemus. Vt in funere Pertinacis, qui consecrandus erat, factum discimus ex Xiphilin. compend. Dion. Lib. LXXIV. *Transierunt statuæ omnium vete-*

rum Romanorum Illustrium. in græco habes ἀνδριάντας, quod pro cereis Imaginibus accipi nemo Grammaticorum dicet. Alioquin ipsa cerea defuncti Imago non negligebatur, quemadmodum in hoc eodem funere. *Extructum*, ait Xiphil. *erat in foro Romano tribunal ligneum superquè eo fuit ædificium, quod columnæ undiquè sustinebant, eratquè Ebore variè ornatum & auro. Eò allatus fuerat lectus consimilis, in quo posita erat Imago Pertinacis cerea, ornatu triumphali.* Similia vide apud Herodianum I V, 2. Vbi ex occasione consecrationis Severi Augusti, totum ritum omnium fusissimè & optimè describit. Hoc tantum ex Xiphil. addendum, propinquos illam Imaginem, posquam rogo imposita esset osculari solitos. *Severus*, inquit, *& propinqui Pertinacis, Imaginem ejus osculantur.* Interim de Imaginibus hoc observandum est, quod illis, quoties quispiam ex domesticis efferendus erat, adderetur reliquus corporis truncus, ut magnitudine etiam quàm similimæ apparerent, exornabantur item vestibus, pro honore, officio, gradu & dignitate, quam quisquè in Rep. dum vixit, obtinuit. Consularium, Prætoriorumquè prætextatæ fuere; Censoriorum purpureæ; Triumphalium auro intextæ. Tum etiam pingebantur, ad decorem venustatem & vivi hominis similitudinem; Quippe magnam curam adhibebant, ut in eò quoque quàm similimæ efficerentur. Postquam verò funus ductum esset, in atriis suis eas deponebant. Sic fieri consuevisse narrat Polybius Lib. V I, Cap. 51. *Vbi cadaver sepelierunt, & justa peregerunt, Imaginem Defuncti in celeberrima ædium parte ponunt, Lignea quadam ædicula circumtectam. Est autem hæc Imago vultus similitudo quàm accuratissimè expressa, tum de formatione Figuræ, tum & pigmentis. Has Imagines per solennitates publicas aperiunt, & cum studio exornant. Cum autem illustris vir aliquis, ex eadem Gente vel Familia diem clausit ultimum, ad funeris elationem eas proferunt, & ut quàm similimæ sint Defuncto, reliquum etjam corporis truncum adjiciunt. Hæc porrò Simulacra togas assumunt, si vir Consularis aut Prætorius quis fuerit, prætextas, si Censorius, purpureas, si Triumphalis, aut simili quodam alio honore functus, auro radiantes, & hi quidem curru vecti procedunt, at fasces & secures, & quæcunquè alia Magistratus comitari solent insignia, ibi quoquè præcedunt, pro honore & dignitate, quam quisquè in Rep. dum viveret, obtinuit.*

Putas

Putat Clarissimus Meursius Lib. de funere, Cap. XVII. tum etiam positas esse statuas, cum funus fieret; adductus auctoritate Taciti IV. Annal. ubi de Lucilio longo Senatore, Tiberio unicè charo, *Quanquam*, inquit, *novo homini Censorium funus, effigiem apud forum Augusti, publicâ pecuniâ patres decrevêre*; atquè indè existimat *Imaginarium* funus idipsum, quod positâ statuâ fieret, appellari apud Iul. Capitolinum Pertinace Cap. XV. ubi ait, *Funus Imaginarium Pertinaci, & Censorium ductum est.* Sed longè aliter capiendum esse & Tacitum & Capitolinum facile intelliget, qui rem paulò intentius examinaverit. Non enim hoc, quod Meursius vult, Taciti locus probat, eodem videlicet tempore & funus ductum Lucillio, & effigiem in foro Augusti positam; sed honores à patribus decretos tantummodo recenset, qui simulnè, an diversis temporibus redderentur, hinc quomodo cognosci queat, non video. Multò minus indè *Imaginarium funus* dici posse liquet; esset illud nimis improprium; Imaginarium enim idem est, quod Assimilatum non verum; Cum videlicet aliquid fit ad veri speciem; sic *Imaginarium prælium* dicitur *Imaginaria venditio*, Iurisconsl. Floro II, 14. dicitur, *Imaginarius Rex.* Et III, II. *Imaginarium Ius.* Suetonio in Claudio, *Imaginaria Militia.* &c. Quapropter ita sentiendum est Pertinacis corpus antea quidem sepultum fuisse sub Iuliano, sed Severum, postquam imperio admotus esset, denuò Imaginariâ quadam pompâ Exequias illius iterasse, & consecrationem peregisse. Clarè idipsum docet loco eodem Capitolinus. *Iulianus*, ait, *successor illius, corpus ejus quanto potuit honore funeratus est, cum id in Palatio reperisset.* Et mox deinceps, *Sub Severo Imperatore cum Senatus ingens testimonium habuisset Pertinax, funus Imaginarium ei, & Censorium ductum est.* Id innuit & Xiphil. Compend. Dion. LXXIV. *Huic funus*, inquit, *etsi dudum obierat, ita factum est.* Et Herodianus Lib. IV. ubi de consecrationis ritibus agit, cum dicit, *Quippè functum vitâ corpus ritu hominum sumptuoso funere sepeliunt; sed ceream Imaginem defuncto quàm simillimam fingunt*, haud obscurè indicat, consecrandorum corpora primum sepulturæ tradita, more reliquorum fuisse, deindè verò subsecutam consecrationem, pompæ funebris instar. Ex quibus verisimile mihi fit, verba illa Capitolini de priori & vero Pertinacis funere, clausis

oculis transmissa à Meursio, ut evenire sæpè doctissimis viris inter profunda cogitationum solet, & huic nostro accidere jam potuit in restauranda cùm Græca tùm Romana antiquitate, occupatissimo. Quapropter etiam Capitolinum hoc loco notâ ἀκυρολογίας tutò liberamus, cujus periculum Iudicio Meursii hactenus sustinuit. Vt tandem finem capiti huic imponamus, breviter, post infinitos alios ostendemus fuisse præterea etiam Imaginum, de quibus dicere cœpimus, usum, monstrandæ nobilitatis. Etenim qui Majorum suorum Imagines habuere, nobiles erant. Tacit. I I. Annal. de Libone Druso Scriboniano. *Proavum Pompejum, amitam Scriboniam, quæ quondam Augusti conjunx fuerat, Consobrinos Cæsares, plenam Imaginibus domum ostentat* Liv. Lib. I. Cap. XXXIV. dicit, *Ancum Martium nobilem una Imagine Numæ.* Et, *Appium Claudium honoratissimæ Imaginis ad posteros.* Valer. Maxim. I I, 10. *Catoni*, inquit, *paterni generis una Imago.* Vnde Imagines sæpissimè pro ipsa nobilitate ponuntur ab Authoribus. Horat. ad Pison.

Nam quid Imaginibus, quid Avitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroso consule fasti
Profuerint, si vita labat. ——— ———

Marius apud Sallust. bell. Iugurth. de nobilibus Romanis. *Majores eorum omnia quæ licebat, illis reliquère, divitias, Imagines, memoriam sui præclaram; Virtutem non reliquère, nequè poterant.* Quibus autem nullæ Majorum Imagines erant, ignobiles dicebantur & obscuri. Suet. Vespasian. Cap. I. *Imperium suscepit, firmavitquè tandem Gens Flavia; obscura illa quidem ac sine ullis Majorum Imaginibus. Sed tamen Reip. nequaquam pœnitenda.* Quapropter in adeundis honoribus tales plerumquè cedebant, ut de hoc eodem Vespasiano Tacit. I I. Hist. testatur, quem cum Mucianus ad imperium vocaret, moneretquè ne ultra torperet, *Ante*, inquit, *cessisti etiam Galbæ Imaginibus.* Qui verò ipsi primi Imaginem sui prodere poterant, illi *novi homines* dicebantur. Ex quibus, tanquam fonte quodam in reliquam posteritatem nobilitas deinceps derivabatur. Plutarch. Caton. Major. Cap. I. *Quia Romani eos, qui obscuris orti Majoribus per seipsos innotescere cœpissent, novos homines vocare solebant, se novum esse, quod ad Magistratus & gloriam consequendam attineret, præclaris autem Avorum factis & virtutibus antiquissimum asserebat.* Idem Marius

apud Sallust. *Nunc videte quàm iniqui sint. Quod ex aliena virtute sibi arrogant, id mihi ex mea non concedunt. Scilicet quia Imagines non habeo, & quia mihi nova nobilitas est: quam certè peperisse melius est, quam acceptam corrupisse.* Et deinceps; *Non possum fidei causa, Imagines, nequè triumphos, aut consulatus Majorum meorum ostentare; at si res postulet, hastas, vexillum, pharetras, alia dona militaria, præterea cicatrices adverso corpore. Hæ sunt meæ Imagines, hæc nobilitas, non hæreditate relicta, ut illis, sed quæ ego plurimis meis laboribus & periculis quæsivi.* Concedebatur verò illis solis, qui Magistratus Curules gessissent, non omnibus promiscuè, & tum dicebantur *Imaginis ponendæ Ius* adepti. Cic. Verr. v. Cum ædilis Curulis designatus esset, *Nunc*, ait, *sum designatus ædilis. Habeo rationem quid à Populo Romano acceperim; Ob earum rerum laborem & sollicitudinem fructus illos datos. Antiquiorem in Senatu sententiæ dicendæ locum, togam, prætextam, Sellam Curulem, jus imaginis ad memoriam posteritatemquè prodendam.* Et pro Rabirio Posthumo; ubi de iis agit, qui ob gestos Magistratus in Senatum lecti essent. *Delectat*, inquit, *Imago ad posteritatis memoriam prodita.* Quin Magistratus ipsi & honores titulis additis indicabantur. Itemquè si mutati, auctivè essent. Livius xxi, 31. de Fabio ait, *Res indè gestas, gloriamquè insignem ducis, & augendæ Titulum imaginis posteris, ut dictator pro prodictatore diceretur facilè obtinuisse.* Hoc. sensu dicuntur & *Senatoriæ Imagines*, apud Sueton. August Cap. IV. *Balbus*, ait, *paterna stirpe Aricinus, multis in familia Senatoriis imaginibus.* Valer. Maxim. IV, 4. *Valerius Publicola tres consulatus acceptissimos Populo Romano gessit; & plurimorum ac maximorum operum prætextu, titulum imaginum suarum amplificavit.* Livius x, 7. *Cujus imaginis titulo consulatus Censuraquè & triumphus æquo animo legetur, si auguratum aut pontificatum adjeceritis, non sustinebunt legentium oculi?* Sic honores significabantur. Neque omittebatur in illis adscribi, si quid indignum patria, & Majorum virtutibus quispiam commisisset, nihilò magis quàm quod præclarè gestum esset. Valer. Maxim. II. 9. de Catone, qui L. Flaminium censoriâ notâ perstrinxit, quod

damna-

damnatum quendam ad Meretricis arbitrium tempore Electo securi percusserit. *Nec pensi*, ait, *duxerat, iisdem imaginibus adscribi meretricis oculos humano sanguine delectatos, & Regis Philippi supplices manus.* Alterius illius T. Flaminii res in Macedonia gestas innuit, ad quem veniens Philippus Rex, quanquam prælio superior, supplices manus tetendit, & pacem poposcit. Cic. pro L. Sylla. *Si quæris qui sint Romæ regnum occupare conati, ex domesticis imaginibus invenies.* Cœterum reperio etiam usitatum fuisse, ut qui illud jus imaginis acciperent, publicis Orationibus gratias agerent. Cic. de Lege Agraria contra Rullum. *Est hoc in more positum*, ait, *Quirites; institutoquè Majorum, ut ii, qui beneficio nostro imagines Familiæ suæ consecuti sunt, eam primam habeant Concionem, quâ gratiam beneficii vestri cum suorum laude conjungant; qua in Oratione nonnulli aliquando digni Majorum loco reperiuntur.* In universum autem sciendum est, sic olim cum Imaginibus Majorum fuisse comparatum, ut hodiequè sese jura insignium habent, quæ non cognita Romanis antiquis, primum bello sacro nata videntur. Gramajus tamen author est, Clodulfum Austriæ Mosellanicæ ducem, longo antè tempore insignia ea habuisse. Aliquam tamen istiusmodi insignium speciem apud Romanos fuisse ex Vegetio constat; quanquam alium ad usum. Nam antiquis temporibus scuta signis quibusdam dictincta ille tradit. Et Servius ad hunc Vers. VI. Æneid.

Ense levis nudo, parmâquè inglorius albâ.

Docet insignium virorum scuta picta, ignavorum autem fuisse pura, & sine signis. Et hodiequè eum in finem talia observantur, ut qui ejusmodi insignibus avorum præ aliis gaudent, dum in illa intuentur, sedulò virtutibus Majorum insistendum sibi esse discant, nec patiantur desidiâ suâ, vitiisquè gloriam avitam obsolescere. Vt olim Romani, qui sic imaginibus relictis Virtutem Nepotum excitabant. Elegantissimus est hanc in rem Salustii locus in bell. Iugurth. quem adscribam. *Sæpè*, inquit, *audivi Q. Maximum, P. Scipionem, præterea Civitatis nostræ præclaros viros solitos ita dicere, cum Majorum imagines intuerentur, vehementissimè sibi animum ad virtutem accendi. Scilicet non ceram illam, nequè figuram tantam*

vim in se habere, sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari quam virtus eorum famam atque gloriam adæquaverit Habebant itaquè Imagines virtutis, non sceleris incitamentum, ut Firmius Catus, qui Libonem Drusum obtentu Imaginum ad luxum hortatur. ut est apud Tacit. II. Annalium.

Porrò de Imaginibus aliqua notarunt Lipsius Elect. I, 29. Rosinus Antiqq. Rom. I, 19. Alexander ab Alexandro, Genial. Dier. V, 24. Sigonius de Antiquo Iure Civ. Rom. II, 20 Marcellus Donatus in Sueton. August. Cap. XXXI. Et in Vopisci Florianum. Matth. Raderus ad Mart. lib. II. Epig. 90. Vossius Theolog. Gentilis IV, 91. Kirkmannus de Funerib. Rom. II, 7. Meursius de funer. Cap. 19. & alii Complures, quos Consule, si lubet: Nos aliò transimus.

CAPUT XII.

Statuarum causæ, quot generum? Honoris ergo ob insignia merita, & personis illustribus datæ. Initiò apud Romanos rarus hic honos admodum. Quid in hoc egerint Græci: In Regibus ac Imperatoribus potius dignitas officii, quàm merita sola spectata. Res bello benè gestæ causa præcipua communiter. Unde Triumphatores Statuis simul ornati. Statuæ pro Triumpho datæ, desito more Triumphandi; Statua illustris: Triumphalis. Tyrannorum osores & percussores statuis donabant Romani simul ac Græci. Negatus ille honos hostibus & victis; in Hannibale & Cleopatra, ab hoc more discessum.

CAusas nunc propius investigabimus, ob quas publico decreto positæ fuerint statuæ. Quas tantum scire interest, ut ad honoris aliquod detrimentum illarum ignorationem pertinere videatur existimasse, gravis ille rerum morumquè ac temporum censor Cato. Plutarchus Politico; *Cato cum jam tum statuis Roma oppleretur, nullam sibi passus est poni, quod diceret malle quæri, cur non, quam cur ipsi statua posset collocata?* Sed dum causas in universum considero, reperio esse duorum generum. *Aut* enim spectantur à parte eorum, quibus statuæ positæ fuerunt; Vt est honor ob virtutem aliquem insignem, aut quodvis factum meritumquè dignum quod tali præmio remunerаretur. *Aut* alios respiciunt,

puta

puta posteros, amicos, & quoscunquè, quibus talis honos sive ad Æmulationem virtutis, sive memoriam formæ, sive solatium doloris ex defunctis prodesse poterat. Singula hæc singulis authorum testimoniis vel exemplis probata dabimus. Statuas honoris causa dari solere manifestum est, & disertè tradunt Scriptores. Dio Chrysost. Orat. XXXI. *Imagines sunt honores.* & postea. *Imago solum in se honestatem habet & honorem.* Sex. Aurel. Vict. de Vir. Illust. c. XII. *Statua Mucio Scævolæ honoris gratiâ constituta est.* Ille verò honor conferebatur ob merita. Tertullianus lib. de Anim. c. XXXIII. *Ob merita vitæ, imagines, statuæ & tituli rependuntur.* Dio Chrysost. oratione laudata. *Æneum stare, magnum esse videtur generosis viris, & digna virtutis merces, non unà cum corpore perire nomen, neque in eadem conditione esse, cum his, qui nunquam sunt nati.* Nec ob quævis merita, Sed magna quæquè & illustria. Plin XXXIV, 4. *Effigies hominum non solebant exprimi, nisi aliqua illustri causâ perpetuitatem merentium.* Cic. Philipp. V. de statua Equestri Lepido decernenda. *Qui honos*, inquit, *mihi maximus videtur, primum quia justus est; non enim solum datur propter spem temporum reliquorum, sed pro amplissimis meritis redditur.* Damascenus de imaginibus Orat. III. *Vnum imaginis genus est, quod pro eorum, quæ mirabiliter aut ex virtute gesta sunt, memoria conservanda ad gloriam & honorem & monumentum illorum, qui strenuè se gesserunt, & in virtutibus excolendis excelluerunt, spectandum proponitur.* Citato loco Dio Chrysost. dicit etiam statuas dari *non propter facta mediocria, sed quantum possibile est, propter maxima.* Hinc frequentes in titulis & inscriptionibus formulæ illæ, OB. MERITA. EIVS. OB. EGREGIA. MERITA. Appellaturquè in vetusta inscript. Petronii Maximi Romæ, *Statua meritorum perenne monumentum* & *Censores remuneratoresquè virtutum* qui tali honore benemeritum ornarunt. Quid, quod meritorum adeo grata recordatio interdum extiterit, ut & ob ea, quæ majores benè fecerint, statuas posteri nanciscerentur. Sic parentum Merita, profuisse filiis interdum legimus Plin. Nep. II. Ep. 7. de Spurinna *Filio ejus Cottio, quem amisit absens, habitus est honor statuæ. Rarum id in Iuvene. Sed pater hoc quoquè merebatur.* Non itaquè communicatus ille honor immeritis. Quod si quandoquè fieret, in dedecus magis cedebat; Mecœnas Augustum informat,

 apud

apud Dionem Cassium. Lib. LII. *Tibi*, inquit, *si bonus sis, ac rectè imperes, universa terra templum erit, pro delubris omnes urbes, omnes homines pro statuis. Quorum in animis semper cum gloria insidebis. qui verò imperium summum malè gerunt, eos ista ornamenta, quanquam in omnibus urbibus posita, tantum abest, ut decorent, ut etiam reprehensionibus hominum exponant, quum sint trophæa quædam malitiæ eorum ac injustitiæ monumenta.* Nequè plebeis. Iul. Capitolin. M. Antonino Philosoph. cap. XIII. *Procerum amplissimis Antoninus statuas collocavit.* Dio Chrysost. orat. prædictâ ad Rhodios. *Quid vobis vultis plebejos colendo statuis? præsertim cum vobis facultas sit, alio modo illorum curam gerere, etenim munera plura, hospitalia, & liberalitas in excipiendo, plebeis sufficit, etiam si sit quis præstantior. Præterea & decretum sufficeret simplex, ut vel in Prytanejum vel consessus honorabilem locum vocaretur.* Nisi valdè insigne meritum suaderet. Hoc videlicet justam & honestam causam habere putatum. Cujusmodi fuit illud, quod Cræsus auream statuam Pistrici suæ Delphis posuerat, eò quod venenum, quod insidiata Cræso noverca pistrici datum, mistumque pane jusserat privigno offerri, ipsa re clanculum Cræso indicatâ, in perniciem filiorum novercæ verterit, ut tradit Plutarchus in De Pythiæ Oracul. XXI. Rarus ergo ille apud veteres præsertim Romanos honor, cum pauci ad tantam meritorum gloriam adsurgerent, ut eo digni possent judicari. Quintilian. III, 7. *Rara hæc occasio est, ut referri possint & divini honores, decreta, ut statuæ publicè constitutæ.* Nec dubium eos in eo imitatos fuisse Græcorum veterum mores, qui adeò etiam parci, ut cum patri posuissent, filio quamvis benemerito statuam negarent, idque ad tempora Timothei: Æmil. Prob. *Timotheo publicè statuam in foro posuerunt. Qui honos huic uni ante hoc tempus contigit, ut cum patri populus statuam posuisset, filio quoquè daret.* Nos vero, veteres simul & citeriores populi Romani mores considerantes, nullo temporum discrimine, cum non maxima tantum, sed & mediocria merita isto honore pensata videmus, in duas illa classes digeremus, ut sic fuerint aut *Res benè bello gestæ*, aut, *Aliæ virtutes, artesquè pacis, quæ in Rep. publicè vel privatim aut prodesse aut delectarè poterant.* Delectare,

re, inquam, quoniam voluptatum etiam ministris dati sunt interdum illi honores, magis indulgentia Magistratuum, quàm jure meritorum, ut suo loco dicemus. Ante omnia de Regibus & Imperatoribus hoc sciendum est, quod quanquam illi administrando Rempublicam, quâ bello, quâ pace, variis & multis modis bene meruerint, ut vel in ipso Regis vel imperatoris nomine omnem omnium meritorum summam esse conclusam facile intelligamus; Tamen celsitudo muneris, officiiquè dignitas, quæ supra vim meritorum in illis assurgit, hoc statuarum honore tanquam peculiari quodam majestatis publicæ redhostimento remunerari sæpius voluisse visa est. Ideoque haud dubie per statuas, civitatis primates significari Oneirocritæ dicunt. Artemidor. III, 64. *Insuper & primates civitatis per statuas significantur, quidquid igitur faciunt & patiuntur, eadem urbis principes facturos aut passuros esse significant.* Sæpe dedit adaladulatio. Tacit. XIII. Annal. de Nerone cum Parthi hostes sponte abscessissent Armeniâ. *Apud senatum omnia in majus celebrata sunt, sententiis eorum, qui supplicationes, & diebus supplicationum, vestem principi triumphalem, utquè ovans urbem iniret, effigiesquè ejus pari magnitudine ac Martis ultoris, eodem in templo censuere. Præter suetam adulationem læti, quod Domitium Corbulonem retinendæ Armeniæ præposuerat.* Et aliæ subinde causæ. Verum inter eos quorum meritis ac virtutibus ille honor tanquam præmii vice retributus legitur, facile primas obtinent illi, quibus ob res bello præclarè gestas obtigit. Plinius XXXIV. 5. cum rem ut non satis æquam notâsset, publico statuarum honore ornari augurem & legem interpretem illam causam legitimam justioremquè censet, ob quam Horat. Coclti statua decreta fuit. *Alia causa, & alia authoritas*, inquit, *in Horatii Coclitis statua, quæ durat hodiequè, cum hostes à ponte sublicio solus arcuisset.* Et ut magnum dignumque satis illud meritum notat Liv. II, 10. *Grata erga tantam virtutem civitas fuit, statuâ in comitio positâ.* Fortibus itaquè viris hoc decus tributum. Festivè hoc indicat Plaut. Curcul. sc. 1. Act. III. Comicum acumen in militem Therapontigonum stringens suo more.

Curc. *Ibi nunc statuam voli dare auream*
Solidam faciundam ex auro Philippæo, quæ fiet
Septempedalis, factis monumentum suis.

Lyc. *Quamobrem istuc?* Curc. *Dicam, quia enim Persas, Paphlagonas,*
Sinopeas, Arabas, Caras, Cretanos, Syros,
Rhodiam, atquè Lyciam, Perediam & Perbibesiam,
Centauromachiam, Elotiam, Vnomammiam,
Lybiamquè, & oram omnem Conterebromiam,
Dimidiam partem nationum usquè omnium
Subegit solus intra viginti dies.

Id patet etiam ex Sen. Rhetor. Controverſ. lib. x. Controv. 2. Dio Chryſoſt. Orat. XXXI. *Multitudo statuarum non solum ornatum adfert, sicut alia Diis consecrata donaria, sed etiam civitatis fortitudinem maximè declarat, & mores.* Quid ergo, inquies, & quantum præſtare oportuit ad illum honorem conſequendum? Id certè non lege ulla definitum, nequè enim potuit; Merita enim hominum exactè ad ſtateram examinari non poſſunt, ſed ſolo arbitrio eorum, quibus decernendi poteſtas, æſtimatum video, & quidem ſingulorum meritis convenienter; niſi poſtquam Imperatorum luxus & damnoſi mores omnia conturbavere; Tunc meritis ſimul ac immeritis ex æquo præmium. Quod indignè habitum. De ſui ævi moribus Plinius Iunior Epiſt. 7. lib. II. *Heri à Senatu Vestritio Spurinnæ principe Authore, triumphalis statua decreta est. Non ita ut multis, qui nunquam in acie steterunt, nunquam castra viderunt, nunquam deniquè tubarum sonum nisi in spectaculis audierunt; Verum ut illi, qui decus istud sudore & sanguine & factis assequebantur.* Obſervare ergo juxta licet, olim obtinuiſſe, ut ob quas cauſas triumphos decreviſſent, ob eaſdem etiam ſtatuæ ponerentur. Vnde triumphantibus ſimul & ſtatuæ datæ. Liv. IX, 43. de Marcio Tremulo *Marcius de Hernicis Triumphans, in urbem rediit, statuaquè equestris in foro decreta est.* Et quibus triumphare non licuit ſtatuæ pro triumpho dabantur. Tacit Agric. *Igitur*, inquit, *Triumphalia ornamenta, & illustris statuæ honorem, & quidquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata decernit.* Notanter appellatur ab

accu-

accurato ſcriptore *illuſtris ſtatua*, quia pro triumpho; Eadem & *triumphalis* Plin. Nep. dicitur loco mox adducto, ubi & merita ejus viri recenſet, ut non dubites pro triumpho datam. *Nam Spurinna*, inquit, *Bructerum Regem vi & armis induxit in regnum, oſtentatoque bello ferociſſimam gentem, quod eſt pulcherrimum victoriæ genus, terrore perdomuit, & hoc quidem virtutis præmium accepit.* Statua itaquè pro triumpho hoc ævo donabatur ducibus; Nam poſtquam Imperatores Romani ſolis ſibi jus triumphandi regum antiquorum exemplo vendicabant, cœteri bellorum duces abſtinuere triumpho, ſolis triumphalibus ornamentis contenti. Fuere illa ſupplicationes, appellatio Imperatoris, laurea corona, prætexta ſive trabea triumphalis, Sceptrum, Sacrificia, STATVA &c. vid. Onuphr. Panvin. de triumph. Quod verò deſierit in ducibus triumphandi honor ſub Imperatoribus, & ſingulatim ſub Auguſto, diſcimus ex Dione Caſſio Lib. LIV. qui Agrippam ob ſubactos Boſphoranos triumphum ſibi decretum non duxiſſe tradit, ſolis ornamentis triumphalibus contentum. Vnde lex quaſi & imitamentum cæteris. Verba Dionis ita habent interprete Xylandro. *Ob hæc ſupplicatio Agrippæ nomine fuit*, necuè tamen is triumphum, *etſi ſibi decretum, duxit, ſicut nequè initio quicquam de his rebus geſtis ad Senatum perſcripſit, cujus exemplum pro lege quadam acceptum poſteriores imitati, ne ipſi quidem Senatum per literas de re geſta certiorem fecerunt, nequè triumphum duxerunt; Ideoquè, ut ego cenſeo, nulli etiam alii, qui ejus ſimilis eſſet, triumphus conceſſus deinde eſt, ſed ſolis triumphalibus honoribus ſunt ornati.* Cœterum non ſolum ob profligata bella, aut domitas gentes; ſed & interdum ob alia fortia facta, quæ triumphorum meritis, haud malè accenſueris, ſtatuas poſitas legimus. Vt Bruto contigit ob liberatam tyrannide patriam. Plutarch. in Bruto *Iunio Bruto priſci Romani in Capitolio mediam inter Reges poſuere ſtatuam ex ære, quæ ſtrictum tenet enſem, quod fortiſſimè regno pepuliſſet Tarquinios.* Haud dubiè exemplo Athenienſium, qui Harmodio & Ariſtogitoni, ob ſimilem cauſam ſtatuarum honorem detulere. De quib. Plin. XXXIV, 4. & Val. Max. II, 5. Alias cauſas & exempla hic coacervare nolo, Innumera ſe legentibus veterum ſcripta offerunt; Ex quibus liquet, fortibus viris, qui hoſtes patriæ quavis ratione depulerint, aut ſecuritatem publicam militaribus geſtis ſtabiliverint,

hoc honore ornatos. Non igitur hostibus ponere licebat. Vnde Bœotos, ob positam Antiochi statuam, verbis castigabat Consul ap. Livium XXXVI, 20. Et indignatur id factum Annibali Plinius XXXIV, 6. *Adeò*, inquit, *discrimen omne sublatum, ut Annibalis etiam statuæ, tribus locis visantur in urbe, cujus intra muros solus hostium emisit hastam* Sed condonandum id fuit ejus virtutibus, quas etjam in hoste miramur. Cœterum ut hostibus, ita victis captisquè ille honor denegari solebat. Quare ut insolens illud, & inusitatum notat Dio Cassius de aurea Cleopatræ statua, quam Augustus in Veneris templo post triumphum de Ægypto subacta collocârat Lib. LI. *Ita Cleopatra, quamquam victa & capta, gloriam tamen consequuta est, cum ejus ornamenta in templis nostris affixa sunt, & ipsius aurea imago in templo Veneris conspiciatur.*

CAPUT XIII.

Ob Remp. & Magistratus bene gestos Statuæ datæ. In legationibus, sive morbo defunctos, sive vi interfectos, quantoperè honorare Romani consueverint. Plinius notatus. Alia quædam beneficia statuis pensata, eaquè obiter recensita. Viarum instauratoribus ad utrosquè viarum, quas muniverant, terminos positæ Statuæ. Civitatum, Coloniarum & Provinciarum consuetudo adsciscendi aliquem ex Romanorum Magistratibus Patronum, eumquè Statuis honorandi. Patronorum de Clientibus merita quæ? L. Antonii insolentia Ciceroni notata. Collegiorum & Corporum Patroni. Fœminarum publica beneficia non neglecta; Ut nec privata quorumvis, sed ea tamen non nisi insignia. Literatorum omne genus in hoc etiam censu positum; quod per plures partes ostensum, in sacrorum interpretibus, jurisperitis, Medicis, Philosophis, Rhetoribus, Oratoribus, Poëtis, Grammaticis. Qui voluptatibus populi inserviebant, similiter interdum honorati, Ludii videlicet, Histriones, Aurigatores; honestior causa in ludorum exhibitoribus. Tum iis qui Spectacula desita restituerint, aut ludos suis sumptibus, exstruxerint. Diversa Romanorum & Græcorum circa ludos instituta, quod hic laudatum, illic habitum infame. Turpiter sæpè etiam Scorta, Eunuchi, Magiquè statuis donati.

SED nè solum bellica gesta meruisse statuas credamus, ad cœtera etiam reip. commoda generosâ quadam animi contentione procurata, præmii loco isthunc honorem Romana gratitudo applicuit. Qui Remp. & magistratus benè gesse-

gesserunt, sic remunerabantur. Plutarch. de Catone Majore, in ejus vita. *Populus mirifice approbasse ejus censuram videtur. Nam in æde salutis statuam Catoni ponens non præturam, nequè consulatum ejus inscripsit, sed quod Romanorum Remp. inclinatam, & in pejus vergentem, censor ille disciplinâ honestâ, exercitationibus temperantiæ in integrum restituisset.* Idem in suo Politico iterat. Quod non inscriptum, consulatum, aut præturam Plutarchus dicit, non ideo credendum est, non consueuisse etiam statuas poni consulibus & prætoribus; sed censuram ejus cum reliquis gestis Magistratibus comparat, & quod plus ex illa commodi Resp. senserit, ideo etiam ejus honoris titulum tanquam memorabiliorem præferri cœteris, & extare ad posteritatem debere populum censuisse indicat Non absimile est meritum Lepidi, de quo Cic. Philipp. V. quem vide. Idem honor illis habebatur quibus contigit injuriâ, & ob Remp. interfici. Sic me docet Tullius Orat. pro P. Sextio. *Ac*, inquit, *si tunc P. Sextius, judices, in templo Castoris animam, quam vix retinuit, edidisset, non dubito, quin si modo esset in Republ Senatus, si Majestas populi Romani revixisset, aliquando statua huic ob Remp. interfecto, in foro statueretur.* In legatione verò mortuis, solenne fuit statuas poni; Tum iis, qui ex morbo interierant, tum etiam quibus contra jus gentium in legatione interfici contigit. De illis qui morbo decesserant, quanquam dubitatum est, an sufficiens esset ad statuæ honorem causa, ita tamen contra P. Servilium censet Cic. Philipp. IX. Cum ille honorem statuæ nemini tribuendum censeret, nisi qui ferro esset in legatione interfectus. *Ego autem*, inquit, *sic interpretor sensisse majores nostros, ut causam mortis censuerint, non genus esse quærendum. Etenim cui legatio ipsa morti fuisset, ejus monumentum extare voluerunt, ut in bellis periculosis obirent homines legationis munus audacius. Non igitur exempla majorum quærenda, sed consilium est eorum, à quo ipsa exempla nata sunt, explicandum.* Servio itaquè Sulpicio qui in legatione ad Antonium mortuus est, ex S. C. statua posita fuit, additâ ibi causâ. *Quod ob Rempubl. in legatione mortem*

mortem obierit. Nam ita consuevisse Majores dicit, *iis enim*, inquit, *Majores nostri, qui ob Remp. mortem obierant, pro brevi vita diuturnam memoriam reddiderunt.* Illis verò qui in legatione cœsi fuere, sæpius hic tributus honos. Plin. XXXIV, 6. *Inter antiquissimas sunt & Tulli Cælii, L. Roscii, Sp. Nautii, C. Fulcinii in rostris, à Fidenatibus in Legatione interfectorum; Hoc à Romano populo tribui solebat injuriâ cæsis; sicut & P. Iunio, & T. Coruncano, qui ab Teuca Illyricorum Regina interfecti erant.* Quatuor illorum, quanquam diversitas aliqua est in nominibus, meminit & Cic. Philip. IX. *Atqui & huic*, inquit, (Octavium intelligens) *& Tullo Cluvio, & L. Roscio, & Sp. Antio* (Nautium Plinius vocat) *& C. Fulcinio, qui à Vejentum Rege Cæsi sunt, non sanguis, qui profusus est in morte, sed ipsa mors, ob Remp. obita honori fuit.* De illo Octavio, quem modo subindicavi, extat Plinii testimonium. d. l. *Non prætenbo*, inquit, *C. Octavium ob unum verbum.* Hic Regem Antiochum *daturum se responsum dicentem, & virgâ, quam tenebat forte, circumscripsit, & priusquàm egrederetur circulo illo, responsum dare coëgit. In qua legatione interfecto, Senatus statuam poni jussit, quàm oculatissimo loco in rostris.* Quo in loco Plinius memoria lapsus est, cum Octavio, huic factum C. Popilii tribuit, de quo vid. Liv. lib. XLV. Cap. 12. Popilius enim Antiochum Regem circumscripsit virga. Sed imposuit Plinio nomen Antiochi, pluribus Regibus commune. Alius enim fuit Antiochus, qui antea cum Romanis bellum gesserat, ad quem Octavius videtur missus. Alius hic nimirum Antiochi superioris nepos. Deinde Popilius ad Leusinen prope Alexandriam Ægypti suum Antiochum convenerat, Liv. d. l. nec ille interfectus legitur; Octavius verò Laodiceæ in Gymnasio est interfectus, ut Cic. Philipp. IX. indicat. Expungenda itaquè ex illo Plinii loco ea, quæ perperam adducta sunt de Octavio, ut fides historiæ constet, quod etiam olim monuit in suo Legato Paschalius cap. ultimo. Sed & ob peculiaria quædam beneficia ac commoda, sive à Magistratibus, sive ab aliis cujuscunquè ordinis aut sexus hominibus, ad publicam sive privatam utilitatem publicè collata, Statuæ multis positæ leguntur. Ob tradita Romanis castra, multiplici opulentia plena, Statuam Porsenæ Hetruscorum Regi Romani posuere. Plutarchus in Poplicola. *Porsena, ut cum Romanis in gratiam rediit, cum*

aliis

aliis in rebus suam Civitati magnificentiam demonstravit, tum suis praecepit, ut nullâ aliâ re, quàm armis acceptis secum, castris excederent. Eaquè cibariis & omnis generis bonis repleta Romanis tradidit, itaquè etiam hodiè cum bona publica venduntur, primò omnium Porsenæ bona proclamantur, ad perpetuam conservandam memoriam ejus viri beneficiorum. Posita quoquè fuit juxta curiam statua ejus, simpliciter & antiquo modo facta. Mario Gratidiano, ob legem latam de justa ratione miscendi æris, ad usum denariorum, vicatim dicabat statuas plebes. Plin. XXXIII, 9. *Igitur ars facta denarios probare, tàm jucundâ Lege plebi, ut Mario Gratidiano vicatim totas*, vetus codex legit togatas, *statuas dicaverit.* Augusto ob insigne exemplum benevolentiæ, quam in publico judicio erga Apulejum & Mecœnatem declaravit, Statuas datas tradit Dio Cassius Lib. LIV. *Quum aliquando, in Iudicio de adulterio Apulejus, & Mecœnas malè audirent, non quòd ipsorum esset crimen, sed quia reo studiosè patrocinabantur, venit in curiam Augustus, ac pro tribunali sedens, nullo alio acto, quam quod accusatori edixit, ne suos cognatos amicosquè traduceret, surrexit: Ob hæc & alia ejus facta, eum, collata ad id pecunia, Statuis honoraverunt.* Tum annonæ vilitas procurata nonnullis statuæ causa fuit. De L. Minutio, Annonæ Præfecto Livius IV, 16. *L. Minutius bove aurato extra portam trigeminam est donatus, ne plebe quidem invitâ, qui frumentum Melianum assibus in modios æstimatum plebi divisit.* Sed Plinius XVIII, 3. Statua donatum dicit & simile de Trebio Ædile addit. *Minutius Argurinus, qui Sp. Melium coarguerat, farris pretium in tribus nundinis ad assem redegit, undecimus plebis Tribunus; quâ de causa statuam ei extra portam trigeminam à populo stipe collata statuta est. Trebius in ædilitate, assibus populo præstitit frumentum; Quam ob causam & ei Statuæ in Capitolio ac Palatio dicatæ sunt.* Recens ejus generis exemplum præbet statua Leonis X. in Capitolio, cui teste Iovio lib. 3. ob imminutum satis vectigal, aliaquè benefacta Marmoream Statuam eo in loco Romani dedicavere, cum hac inscriptione.

OPTIMI. LIBERALISSIMIQVE. PONTIFICIS. MEMORIÆ. S. P. Q. R.

Porrò ob operum quoquè publicorum structuram vel refectionem Statuæ decernebantur. Dio Cassius tradit ob vias munitas

Augu-

Augusto Cæsari statuas fuisse decretas. Lib. LIII. *Flaminiam*, inquit, *quoniam ea ducturus erat exercitum, ipse procuravit, estquè ea statim instaurata, ac ob id statuæ Augusti sunt supra aras in ponte Tiberis & Arimini positæ.* Vbi noto Statuas, munitarum viarum causa decretas, poni consuevisse ad utrosquè viarum terminos. Arimini enim viâ Flaminia terminatur, nec ultra procurrere in longitudinem potest, ob sinus Adriatici objectum. Statuas illas fuisse tum Equestres tum Curules Quadrijugas tradit Goltzius, nec falli ea in re potuit, quam ipsũ docuêre manifestæ veterum nummorum inscriptiones, tituliquè cum statuis, eatundemquè forma varia, ut in Augusti nummis ab ipso editis videre licet pag. XLVII. nn. 13. 15. 22. 24 Hic autem prætermittendum non est, quod solenne fuerit etiam Patronis publicè statuas poni a Clientibus, ob patrocinium: Magistratûs Hypatæ civitatis in Thessalia Apulejum ita alloquuntur. Metam. III. *Ac tibi civitas omnis pro ista gratia honores egregios offert. Nam & Patronum scripsit, & ut inære stet Imago Tua, decrevit.* Mos erat veterum, ut unaquæquè Civitas patronos suos Romæ ex Magnatibus haberet. Ita Bononienses in Antoniorum, Lacedæmonios in Claudiorum, Clientela fuisse Beroaldus ad Suet. & ad Apulej notat. Occasionem huic rei præbuit, quod semel atque iterum permissum fuerit exteris Romæ statuas ponere; quemadmodum C. Ælio Tribuno plebis, & deindè Fabricio posuere Thurini. *Passimq;* inquit Plinius XXXIV, 6. *Clientes in Clientelas ita recepti.* Sic Ciceronem patronum habuere Capuani, & statuam ipsi inauratam posuere, ipse in Pisonem. *Quorum Capuæ*, inquit, *te prætextatum nemo aspexit, qui non gemeret desiderio mei, cujus consilio, cum Remp. universam, tum illam ipsam urbem meminerint esse servatam. Me inaurata statua donârunt, me patronum unum asciverunt, à me se habere vitam, fortunas, Liberos arbitrabantur.* Idem etiam pro P. Sestio testatur. Tum Verr. IV. Siculos Marcellis statuas posuisse, ut patronis innuit, cum Verres Sopatrum ad statuam, C. Marcelli deligâsset, tanquam ad patibulum, *Illud verò*, inquit, *quid sit iam non queo dicere, quo nomine appellem, nescio. quod in C. Marcelli statua? quid est hoc? Patronusne quod erat?* Et post, *Detrahere videlicet aliquid te de amplitudine Marcellorum*

rum putasti? Itaque num Siculorum Marcelli non sunt Patroni? Sic Coloniarum Patronis, positas videbis. Idquè sæpè singularibus his literis notatum, P. C. id est, *Patrono Coloniæ*. Vtè Gruteri Inscripp. pag. CCCCXLVI. 1. 2. & CCCCXC. 1. 2. 3. liquet. Nec Civitates & Coloniæ solum, sed & totæ provinciæ sic scripserunt Patronos, & Statuas illis posuere. Manlium Theodorum Africæ Procos: ita honoratum à Cliente Provinciâ discimus ex Claudiano, in panegyr. de ejus Consulatu.

Hic te pars Libyæ moderantem jura probavit
Quam nunc tota probat, longi sed pignus amoris
Exigua peperêre mora, populumquè Clientem
Publica mansuris testantur vocibus æra.

Et plures populi, unius Patroni Clientes, statuam posuisse junctim leguntur. Romæ in Divi Basilii.

P. TETTIO PERPETVO. ARZYGO. V. C. CONSVLARI. TVSCIÆ. ET. VMBRIÆ. OB. SINGVLARIA. EJVS. ERGA. PROVINCIALES. BENEFICIA. ET. OB. MODERATIONEM. PRO. DOCVMENTO. ET. JAM. POSTERIS. RELINQVENDAM. ÆTERNAM. STATVÆ. MONVMENTVM. TVSCI. ET. VMBRI. PATRONO. PRÆSTANTISS. CONL. ÆR. P.

Ex quibus cõstat illos præcipuè institutos patronos, qui aliquo insigni Magistratu & munere functi apud Clientes essent, ut sic ob aliquam virtutẽ aut beneficiũ cogniti, jure aliquo Clientũ benevolentiã provocare possent. Vnde in rem tanquã indignissimam invehitur. Cic. Phil. VI. quod L. Antonius statuam sibi, tanquam populi Romani Patrono, poni curavit. *Adspicite, inquit, à sinistra illam equestrem statuam inauratam, in qua quid inscriptum est? Quinq; & Triginta Tribus Patrono. Populi Romani igitur est Patronus L. Anton.? Malam quidem illi pestẽ.* Et deinceps. *Sed hæc una Statua, altera equitũ Rom. equo publico. qui item adscribunt PATRONO. Quem unquam iste ordo Patronum adoptavit.* Cœterum ad Vrbium provinciarumquè exemplũ, etiam collegia & corpora Patronos habuerunt, suos plerumq; præfectos, iisquè qui insigniter de ipsis meruissent, statuas dedere, ut ex innumeris titulis constat, quorum nonnullos supra adduximus, ut hic plures congerere præter rem esse videatur.

Dixi nulli sexui negatum statuarum decus. Fœminæ ergo simul illud consecutæ fuere interdum ob publicum aliquod beneficium. De Taracia Caja sive Sufetia Plinius XXXIV. 6. *Meritum ejus ponam in ipsis Annalium verbis. Quod campum Tiberinum gratificata esset ea populo.* Sed & Privata quorundam ac eximia virtus ita compensata fuisse reperitur. Amphinomo & Anapo fratribus ob insignem in parentes pietatem, quos humeris per medios Æthnæ ignes portarunt, positas statuas fuisse ex Claudian. Epigram. constat, quod quia alibi adducimus, hic afferre operæ precium non putamus. Historiam tradunt, Senec. de Benef. Lib. III. & VI. Arist. de Mundo. Apulejus de Mundo. Plutarch. Oratione ad Apollon. Valerius V. 5. aliique. Pietatis titulum præfert antiqua inscriptio Exonæ in Cathalonia.

STATVA. FOVENS. MEMORIAM. PIETATIS. HONORAVIT.

Cœterum & illi qui Liberalium artium cognitione, cultuquè celebres fuêre, suæ industriæ præmia non raro in statuis consecuti traduntur. Nec ulla ferè artis ingenuæ professio isto honore vacavit. Adeoquè uerum est illud Sidonii Apollinaris Epist. 5. Lib V. *Statuas literæ dederant, si trabeæ non dedissent.* Georg. Alexandrinus in vita Iohannis Chrysostomi de Anthemio quodam. *Athenis quidam*, inquit, *nomine Anthemius, vir universâ literarum peritiâ excellens, ut etiam hac de causa Athenis ei Statua erecta fuerit.* Val. Max. VIII, 15. 2. in Externis. *Gorgiæ Leontini, studiis Literarum, ætatis suæ cunctis præstantis, adeò ut primus poscere, qua de re quisquè audire vellet, ausus sit, universa Græcia in templo Delphici Apollinis, Statuam solido ex auro posuit, cum cæterorum ad id tempus auratas collocaßet.* In hunc ergò censum venêre primo Sacrorum Interpretes. Vt Pontifices, Flamines, Augures. De Actio Navio Augure, ut unum hoc sufficiat, vide Plin. XXXIV. 5. Tum Iurisperiti & Legum interpretes. Plin. ibidem. *Fuit & Hermodori Ephesii in comitio Legum, quas Decemviri scribebant, interpretis publicè dicata.* Tum Medici. Suetonius de Antonio Musa, Medico Augusti Cap. 59. in ejus imp. vita. *Medico Antonio Musæ; cujus operâ ex ancipiti morbo convaluerat, Statuam ære collato, juxta signum Æsculapii statue-*

statuerunt. Et deniquè Philosophi. Arnobius Lib. I. adversus gentes, ubi Zelo quodam fidei Christianæ incitatus, expostulat cum gentibus, quod paganis philosophis (quos more S. S. Patribus solenni, vehementi & acerbo judicio perstringit) majorem quàm Christo honorem haberent, Statuas ipsis donando, librosque eorum inBibliothecis suis collocando. Verba ejus hæc sunt. *Illos omnes admirantes, plaudentes ad cœli sustollitis sydera, Bibliothecarum reponitis in arcanis, quadrigis & statuis muneramini, & quantum est in vobis, velut quadam æternitate donatis, immortalium testificatione titulorum.* Item Rhetores. Author Dialogi de causs. corruptæ Eloquentiæ. *Minimum inter tot ac tanta locum obtinent Imagines ac tituli & Statuæ, quæ neque ipsa tamen negliguntur, tàm hercule, quàm divitiæ & opes, quas facilius invenies qui vituperet, quàm fastidiat. His igitur & honoribus & ornamentis & facultatibus refertas domos eorum videmus, qui se ab ineunte adolescentiâ causis forensibus & oratorio studio dederunt.* Sic Trajanus Celso Rhetori statuam posuit. Xiphil. lib. LXVIII. *Sossio quoquè, & Palmæ, & Celso statuas posuit.* De isto honore loquitur Plinius in Panegyrico. *Quem honorem dicendi Magistris, quàm dignitatem sapientiæ doctoribus habes &c.* Et Maternus ibidem, *jam me dejungere à forensi labore constitui, nec comitatus istos & egressus, aut frequentiam salutationum concupisco, non magis quam æra & Imagines, quæ etiam me nolente in domum meam irruperunt.* De Cornelio Frontone Rhetore, M. Antonini Magistro, Capitolinus in M. Antonino. *Oratoribus usus est Græcis Annio Marco, Caninio Celere & Herode Attico. Latino, Frontone Cornelio. Sed multum ex his Frontoni detulit, cui & Statuam in Senatu petiit.* Sic Theodosius junior suos Rhetores laudumquè præcones honoravit. Sozomenus præfat. hist. Ecclesiast. *Ipsos Orationum authores, tum tui judicii approbatione, tum plausu, tum aureis imaginibus, cum statuis erectis, tum donis, tum honoribus, cujuscunquè generis remuneraris.* Sic Aristidi Smyrnenses. Aristides I. Sermon. sacr. & Themistio Constantius. Themist. Orat. XIII. Quod etiam statuæ darentur Poëtis, ex Iuven. Sat. VII. clare apparet, ubi ait,

Frange Miser calamos, vigilatâquè prælia dele,
Qui facis in parva sublimia carmina cella,
Vt dignus venias hederis & Imagine macra.

Et quod Homero Ptolomæus Philopator statuam simul & templum fecerit, notat. Ælian. XIII, 22. Claudinus Poëta elegantissimus, cum hac inscriptione statuam accepit, quæ erecta fuit in domo Pomponii Læti Romæ.

C. CLAVDIANI. V. C. CL. CLAVDIANO. V. C. TRIBVNO. ET. NOTARIO. INTER. CÆTERAS. INGENTES. ARTES. PRÆGLORIOSISSIMO. POETARVM. LICET. AD. MEMORIAM. SEMPITERNAM. CARMINA. AB. EODEM. SCRIPTA. SVFFICIANT. AD. EVM. TESTIMONII. GRATIA. OB. IVDICII. SVI. FIDEM. D. D.N.N. ARCHADIVS. ET. HONORIVS. FELISISSIMI. AC. DOCTISSIMI. IMPERATORES. SENATV. PETENTE. STATVAM. IN. FORO. DIVI. TRAIANI. ERIGI. COLLOCARIQVE. IVSSERVNT.

Et L. quidam Valerius, ut monstrat hæc Histoniensis inscriptio.

L. VALERIO. L. F. PVDENTI. HIC. QVOM. ESSET. ANN. XIII. ROMÆ. CERTAMINE. SACRO. IOVIS. CAPITOLINI. LVSTRO. SEXTO. CLARITATE. INGENII. CORONATVS. ET. INTER. POETAS. LATINOS. OMNIBVS. SENTENTIIS. IVDICVM. HVC. PLEBS. VNIVERSA. MVNICIPVM. HISTONIENSIVM. STATVAM. ÆRE. CONLATO. DECREVIT. CVRATORIB. R. P.

Nec immunes ejus honoris relinquiebantur Grammatici. Suet. de illustrib. Gram. *Orbilii statua Beneventi ostenditur.* Idem de Verrio Flacco. *Statuam habet Præneste, in inferiore fori parte.* De fabulatore Æsopo Phædrus subfin. II. lib. Fabul.

Æsopo ingentem statuam posuere Attici,
Servulumquè collocarunt æterna in basi

Eas

Patêre honoris scirent ut cuncti viam,
Nec generi tribui, sed virtuti gloriam.

Verum qui hæc mirabitur, qui noverit etiam ob ludicrarum artium peritiam solitas dari Statuas? Non enim illi solum, qui ludis exhibitis populo immensos sumptus sustinuêre, sed & ipsi Ludii, Histriones, Aurigatores, aliiquè Circensium certaminum victores, statuas accepêre. De Ludorum exhibitoribus constat ex inscriptionibus vetustis, inter quas una est Romæ.

T. ANCARIO. T. F. PAL. PRISCO. ÆD. QVÆST. II. VIR. QVÆST. ALIMENT. HVIC. PRIMO. II. VIR. BIGA. POSITA. OB. EXIMIAS. LIBERALITATES. ET. ABVNDANTISSIMAS. SINE. EXEMPLO. LARGITIONES. ET. QVOD. EX. INDVLGENTIA. AVG. OCTIE. SPECTACVLVM. — — GLADIATOR. EDIDERIT. AMPLIVS. LVDOS. FLORALES. OB. HÆC. MERITA. PLEBS. VRBANA. — — — — CVIVS. DEDICATIONE. T. ANCHARIVS. PRISCI. FIL. ÆDILIS. QVÆSTORE. ADSEDENTE. PATRE. GLADIATORVM. PARIA. TRIGINTA. ADIECTA. VENATIONE. — — — LEGITIMA. EDIDIT. L. D. D. D.

Et altera Neapoli.

VERATIO. A. F. PAL. SEVERIANO. EQVITI. ROMANO. CVR. REIP. TEGIANENSIVM. ADLECTO. IN. ORDIN. DECVRION. CIVI. AMANTISSIMO. QVI. CVM. PRIVILEGIO. SACERDOTI. CÆNINENSIS. MVNITVS. POTVISSET. AB. HONORIB. ET. MVNERIB. FACILE. EXCVSARI. PRÆPOSITO. AMORE. PATRIÆ. ET. HONOREM. ÆDILIT. LAVDABILITER. ADMINISTRAVIT. ET. DIEM. FELICISSIM. III. ID. IAN. NATALIS. DEI. PATRI. N. VENATIONE. PASS. DENIS, BESTIS,

ET. IIII. FERIS. DENT. ET. IIII. PARIBVS. FERRO. DIMICANTIB. CAETEROQVE. HONESTISSIM. APPARATV. LARGITER. EXHIBVIT. AD. HONOREM. QVOQVE. DVVMVIRATVS. AD. CVMVLANDA. MVNERA. PATRIAE. SVAE. LIBENTER. ACCESSIT. HVIC. CVM. ET. POPVLVS. IN. SPECTACVLIS. ADSIDVE. BIGAS. STATVI. POSTVLASSET. ET. SPLENDIDISSIM. ORDO. MERITO. DECREVISS. PRO. INSITA. MODESTIA. SVA. VNIVS. BIGAE. HONORE. CONTENT. ALTERIVS. SVMPTVS. REIP. REMISIT. L. D. D. D. C. I.

Extat & alia L. Iulii Aciliani, in quâ hæc verba leges.

QVI. ROGATVS. AB. ORDINE. PARITER. AC. POPVLO. VT. GLADIATORII. MVNERIS. PVBLICI. CVRAM. SVSCIPERET. FECIT. ET. EXPLICITO. QVOD. PROMISERAT. IMPENDIVM. BIGAE. ETC. REMISIT.

Illi verò interdum ſtatuam ſibi decretam ad honorem Principum verterunt, forte levis & exigui meriti conſcientiâ. Ita in Peruſina inſcript. Egnatius Feſtus ſtatuam ſibi ob editionem decretam, neglexiſſe, ejuſquè vice D. Antonino Pio principi poſuiſſe legitur. Deinceps etiam eum qui ſpectacula jam deſita reſtituit, quæ vanarum rerum cupido eſt, ſic honoratum loquitur alia inſcriptio Neapolitana.

L. EGNATIO. INVENTO. PATRI. L. EGNATI. POLLION. RVFI. HONORATI. EQVO. P. AB. IMPERATORIB. ANTONINO. ET. VERO. AVG. HIC. OB. LITERATO. MVNERIS. SPECTACVLO. IMPETRATA. EDITIONE. AB. IN-

INDVLGENT. MAX. PRINCIPIS. DIEM. GLADIATORVM. ET. OMNEM. APPARATVM. PECVNIA. SVA. EDIDIT. COLONI. ET. INCOLAE. PVTEOLAN. OB. MVNIFICENTIAM. EIVS. L. D. D. D.

Et qui præterea ludum gladiatorium suâ impensâ exstruxit. Inscriptio Prænestina.

CN. VOESIO. CN. FIL. APRO. QVÆSTORI. ÆDILI. II. VIRO. FLAMINI. DIVI. AVG. VI. VIRO. AVGVSTALI. CVRATORI. ANNON. TRIENNIO. CONTINVO. CVRAT. MVNERIS. PVBLICI. GLADIATORI. III. QVOT. IS. TEMPORE. HONORVM. CVRARVMQVE. SVARVM. PLENISSIMO. MVNIFICENTIÆ. STVDIO. VOLVPTATIB. ET. VTILITATIBVS. POPVLI. PLVRIMA. CONTVLERIT. LVDVM. ETIAM. GLADIATORIVM. ET. SPOLIAR. SOLO. EMPTO. SVA. PECVNIA. EXTRVCTVM. PVBLICE. OBTVLERIT. CVIVS. MERITIS. POSTVLANTE. POPVLO. STATVAM. PVBLICE. PONI. PLACVIT. D. D.

De Ludiis autem discimus ex Sexto Pompejo. *Statua*, inquit, *est Ludii ejus, qui quondam fulmine ictus in circo, sepultus est, in janiculo, cujus ossa postea ex prodigiis, oraculorumquè responsis Senatus decreto intra urbem relata in Volcanali, quod est supra comitium, obruta sunt, superquè ea columna, cum ipsius effigie posita est.* De Histrione Mnesthere Dio Cassius Lib. LX. *Caji memoriam ægrè ferentes omne æreum numisma, quod ejus imaginem haberet, conflari jusserunt, id quidem factum, non tamen æs in meliorem usum conversum, quia Messalina ex eo Mnestheris Histrionis statuas fecit.* Et Martialis de Aurigatoris Scorpi statuâ equestri monet bis, lib. IV. Epigram. 67.

& lib. v. Epigr. 26. Longè verò aliam, quàm apud Romanos, & plane honestam rationem habet, quod Hieronicis suis Græci, tale virtutis præmium retulerint. Honoratissimi enim illi hominum fuerunt. *Magnis*, ait Corn. Nep. in præf. Libr. de vit. Excell. Imperat. *laudibus totâ fuit Græcia, victorem Olympiæ citari, in scenam verò prodire & populo esse spectaculo, nemini in iisdem, gentibus fuit turpitudini, quæ omnia apud nos.* h. e. Romanos, *partim infamia, partim humilia, atquè ab honestate remota ponuntur.* Quippe quorum ex numero, exercituum Duces interdum lecti, & rei gerendæ præfecti memorantur. Cujusmodi ille Phrynon Olympionices erat, quem Athenienses, præfectum Classi miserunt, ad occupandum Sigæum, de quo Strabo lib. XIII. Illis itaquè statuæ dabantur, & si quis esset τρισολυμπιονίκης, vel ter victoriam adeptus, iconicam accepit, Plinius XXXIV, 4. *Olympiæ omnium qui vicissent statuas dicari mos erat. Eorum verò, qui ter ibi superavissent, ex membris ipsorum similitudine expressa, quas iconicas vocant.* vide & Lucian. de Imaginibus. Atquè adeò frequens fuit hæc res apud Græcos, ut Cursorum, Luctatorum, pugilum & pancratiastarum statuis effingendis omnes plerumquè occupati essent artifices, & officinæ, ut ex Xenophonte Memorab. III. patet. Ad hoc exemplum veteris Græciæ, Imperatores quoquè Orientis Constantinopoli in Hippodromo infinitas pugilum, Luctatorum, Aurigatorumquè statuas posuere, ut P. Gyllius Topogr. Constantinop. lib. II, Cap. 15. memorat. In talibus itaquè ornandis, haud nimium imminui potuit decus honoris tàm solidi. Quid verò, si audias Scortorum & Eunuchorum turpi memoriæ consecratum? De Floræ meretricis Imaginibus vide Plutarch. Pompejo cap. III. & Græcos justè reprehendit Crates, quod Phrynes Meretricis, sive quod genuinum nomen erat, Mnesaretæ imaginem statuerant auream Delphis, dicens. *Trophæum de intemperantia Græcorum esse eam statutam.* Eodem Plutarcho teste in libro de Pythiæ oraculis. De Eunuchis, quos nova Roma Constantinopolis habuit, quia rarior illorum notitia Romanis, vide modo nominatum, P. Gyllium dicto loco, qui ibi præter Regum, Principumquè statuas, fuisse etiam Eunuchorum complures ait. Et inter illas statuam cujusdam Platonis Eunuchi, cubicularii Regii, qui imperante

te Basilisco exustus est. Illiberale certè visum est, ita sinere fœdari æstimatos olim honores. Illud verò funestum erat, Magos & Dæmonum mancipia in ejus decoris societatem adsciscere, quod factum fuisse Iustini. Martyr. Apolog. pro Christ. 11. docet. *Simon quidam*, inquit, *Samaritanus, in vico cui Gitthon nomen est, natus, qui sub Claudio Cæsare efficacium Dæmonum arte, in imperiali urbe vestra Roma, propter Magicas, quas exhibuit virtutes, Deus habitus est, & Statuâ apud Vos, velut Deus honoratus, quæ statua in amne Tiberi inter duos pontes est erecta, latinam hanc habens inscriptionem. SIMONI DEO SANCTO.* Idem etiam paulò inferius iterat, & præterea tradunt Tertullian. in Apolog. Cap. 13. & Eusebius Hist. Lib. 11. Cap. 12. aliiquè passim. Sed ne fastidiosa nimis fiat Exemplorum congeries, hic subsistimus. Alias causas cupidus Lector ultrò inveniet, sed quas omnes non incommodè ex dictis judicabit.

CAPUT XIV.

In memoriam erecta statua. Earum beneficio historia rerum gestarum conservata. Maximè verò imago ac forma eorum, quibus ponerentur Monumentum forma. Figura corporis. Hinc summoperè quæsita in illis similitudo. Ex statuis cognitum sæpè, cujusmodi fuerint vivi, qui dudum obierant. Notæ gentilitiæ & familiarum quædam quasi in illis signa. Mos quorundam conformandi sese ad statuas Heröum. Pulcherrimi statuis pulchris similes. Poëtarum imagines cur macilentæ? Alexander qua ratione formæ suæ caverit? Fides imaginis quid apud Cassiodorum? Vitia corporis in statuis interdum occultata. Minutissima quæquè interim expressa, vena, musculi, nervi, color, ætas, ne quid ad similitudinem deesset. Pulchritudo non rarò addita supra verum. Coloribus temperandis mista per artem metalla. Magistratus insignè color purpuræ, quo modo procuratus? Vitam, mores, affectus in statuis repræsentatos, variè ostensum. Solatium ex statuis qua ratione quæsitum: Virtutum exemplum & incitamentum statua.

VIdimus causas à parte illorum spectatas, quibus statuæ positæ fuêre. Sunt & aliæ, ut dictum est, quæ alios respiciunt, puta posteros & superstites, *Memoria*, *solatium*, *Exemplum*. Conjungit illa tria Plinius Nepos Epist. 7. lib. 11. *Quo quidem honore*, inquit, *quantum ego interpretor, non modo defuncti memoriæ, & dolori patris, verum etiam*

Exemplo prospectum est. De memoria loquuutur plurimæ inscriptiones, ubi frequentes hæ formulæ:

AD. MEMORIAM, SEMPITERNAM. AD. PERENNE. TESTIMONIVM. AD. MEMORIAM, PERPETVI. NOMINIS.

Lactant. Div. Instit. I I, 2. *Omnium fingendarum similitudinum ratio idcircò ab hominibus inventa est, ut posset eorum memoria retineri, qui vel morte subtracti, vel absentia fuerant seperati* Memoria autem duas res commendavit posteritati, quas scire ex statuis debuit, *Rerum gestarum historiam*, *& imaginem vel formam personarum.* Quod erudiri ex statuis debuerit posteritas de rebus in vita gestis, ex ante dictis ignorari non potest. Hanc tamen ad rem appositè Damascenus de Imaginib. Orat. I I I. *Fiunt autem, imagines quò res occultas aperiant atquè indicent.* & mox *Imagines inventa sunt, quæ nobis ad rerum occultarum demonstrationem atquè notitiam, tanquam itineris duces aditum patefacerent.* Item Cic. Philipp. I X. ubi de statua Servio Sulpicio, in legatione ad Antonium defuncto, decernenda, *Quocirca*, inquit, *ad posteritatis etiam memoriam pertinere arbitror, extare quod fuerit de hoc bello Iudicium Senatus. Erit enim statua ipsa testis, bellum tam grave fuisse, ut legati interitus honoris memoriam consecutus sit.* Hinc intelligendus est Seneca Rhetor. controvers. X, 2. *Statuam*, inquit, *tibi posui; imò ne possem unquam me victum oblivisci, ignominiam meam in æs incidisti.* Et Calpurnius Flaccus, Declamat. X X I. in qua Pater contra filium fratricidam contendit, pingendum esse hoc factum ejus, imò ære vel lapide repræsentandum, ex lege Scholasticâ, quæ jubet, ut virorum fortium facta pingantur. *Vana*, inquit, *& inepta formido est, videre non posse quod feceris, & colorem timere, quod per sanguinem similetur hoc factum, non tantum colore, sed ære si possit, & lapide, & quacunquè corporum nostrorum materia vel ars æmulata est* Hisce geminum est illud apud Lat. Pacatum in Panegyr. Theodos. dicto, ubi postquam Maximi illius nefarii exitiũ descripsit, *Huc huc*, inquit, *totas pii vates doctarum noctium ferte curas: Vos quoquè artifices*

vul-

vulgata illa veterum fabularum argumenta despicite, hæc potius, hæc gesta solertes manus ducant, his fora, his templa decorentur, hæc ebore reddantur, hæc marmore, hæc in coloribus vivant, hæc in ære moueantur, hæc gemmis augeant pretium. Pertinet ad securitatem omnium seculorum quondam id factum videri, ut si quis unquam nefaria vota conceperit, monumentis nostrorum temporum recensitis per oculos hauriat innocentiam. Talis erat Bocchi aurea imago, Jugurtham Syllæ tradentis. Plutarchus Mario, cap. LIII. Tales quoquè haud dubiè erant illæ, de quibus Zonaras II. Annal. *In castrorum loco urbem Nicopolim à victoria nomine indito, Cæsar Augustus condidit, & statuas æreas hominis & asini collocavit. Fertur enim nocturno tempore, pridie ejus diei, quò navale prælium commissum est, tabernaculo ad naves contemplandas egressus in hominem agasonem incidisse, qui rogatus quis esset? responderit sibi Fortunati esse nomen, asino Victorini. Eæ statuæ post Byzantium translatæ in equestri theatro steterant.*

Altera res erat *Formæ imago*, Posteris communicanda. Statuæ itaquè rectè à Cicerone Verr. II. *Formæ monumenta*, dicuntur, quemadmodum & Oratione pro Archia, *corporum simulacra*, eas appellat. *An*, inquit, *cum statuas & imagines, non animorum simulacra, sed corporum, studiose multi homines reliquerunt, consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem nonnè multò malle debemus.* quem totum locum ex Isocratis Evagorâ videtur expressisse, ubi τὰ μνημεῖα καὶ τὰς τῶν σωμάτων εἰκόνας, cum animorũ simulacris eodem ferè sensu contendit. Appellatur statua aliàs à Tacit. Agric. *Figura corporis*, nam ut Dionys. Longinus inquit, *In statuis requiritur quod simile est hominibus.* Dio Chrysost. Orat. XXXI. *Imago non solum nomen, verum etiam figuram servat accipientis, ut accedenti statim liceat nosse, cujus sit.* Quò spectat & illud Senecæ Epist. LXXXV. *Similem te esse volo, quomodo filium, non quomodo imaginem.* hoc est, nimis similem esse te non volo, ut esse imagines solent. Loquitur enim ibi de modo imitandi aliorum scripta. Ex hac ergo formæ similitudine non tantum memoria in longum tempus producta fuit. Symmach. lib. x. Epist. 25. *Senatus vestrum numen precatur, ut*

virum nostra ætate mirabilem statuarum diuturnitas tradat oculis posterorum. Et paulò post. *Hinc factum est, ut Rusticis adhuc seculis Optimi civium manu & arte formati, in longam memoriam mitterentur.* Sed & qui eam contemplabantur, magnam inde delectationem voluptatemquè cepêre. Plin. Nepos lib. I I. Ep. 7. *Erit ergo per gratum mihi hanc Effigiem ejus subinde intueri subinde respicere, sub hâc consistere, præter hanc commeare.* Et Apulejus in Apolog. ob similitudinem, quâ quisquè maximè afficitur, cum eam intuetur, simulacra poni solere dicit. *Equidem*, inquit, *Scio, & filiorum cariores esse, qui similes videntur, & publicitus simulacrum suum cuiquè, quod videat, pro meritis præmio poni.* Summa itaquè cura adhibebatur, ut quam similimæ fierent statuæ. Plin. Nepos lib. I I I. Epist. 10. *Mihi difficile est hucusquè intenderè animum in dolore. Difficile; sed tamen ut Sculptorem, ut pictorem, qui filii vestri imaginem faceret, admoneretis, quid exprimere, quid emendare deberet; Ita me quoquè formate.* Hoc quoque vult. Horat. Epist. I. 1. cum dicit.

Nec magis expressi vultus per ahenea signa,
Quàm per vatis opus mores, animiquè virorum
Clarorum apparent.

Adeò ut ex statuis defunctorum, quo corporis vultusquè habitu fuissent vivi, judicari posset. Tac. IV. Annal. de Bruti & Cassii imaginibus. *An illi quidem septuagesimum ante annum perempti, quo modo imaginibus suis noscuntur, quas nec victor quidem abolevit, sic partem memoriæ apud scriptores retinent?* Plutarch. de Flaminio, in vita ejus cap. 1. *Qua corporis figura fuerit, licet iis, qui volunt cernere in effigie ejus ærea, quæ Romæ è regione circi posita est, juxta Magnum Apollinem Carthagine allatum, græcis literis inscripta.* Idem de Sylla in ejus vita cap. 11. *Corporis ejus figuram ex statuis licet cernere.* Sic spectrum Apollinii Thyanæi agnovit Aurelianus ex imaginibus ejus, quas viderat. Flavius Vopiscus Aureliano. Cap. XXIV. *Norat vultum Philosophi venerabilis Aurelianus, atquè in multis ejus imagines viderat templis.* Lamprid. de Alexandro Severo. *Et erat corporis venustate decorus, ut hodiequè in picturis & in statuis videmus.* Nec ipsi solum, quorum essent statuæ, sic cognoscebantur; sed interdum & alii, puta, qui ex eodem genere essent orti, idq; videlicet, vel ob similitudinem formæ, quæ propagari in posteros quadantenus solet, vel forte ob notas quasdam gentilitias.

tilitias. Plutarchus Bruto cap. 11. *Posidonius affirmat, quosdam, qui Brutorum genere orti essent, viros illustres, suoquè vixissent tempore, similitudinem formæ in statuæ Prisci Bruti expressam facie sua retulisse.* Quasi ita verè adstrui posset M. Bruti Cæsaris percussoris origo, quod ex antiqua Iunii Bruti, qui reges expulit, gente prodierit, cum quidam id plane negarent. Alioquin magni interdum, & Excellentes viri, componebant vultum ad statuas Heröum, quorum fortunam reverentur, quorumquè virtutes ac mores imitari constituerent. Id de Pompejo, ad Alexandri effigiem vultum conformante significare videtur. Plutarchus Pompejo. cap. 11. *Tum coma leniter rejecta, oculorumquè faciles motus, atquè conversiones faciei, similitudinem cum Alexandri regis effigie quandam verbis magis, quam re apparentem efficiebant, ita ut ne Alexandri quidem appellationem ab initio fugerit Pompejus, sed quidam per jocum eum palam Alexandrum nominarint.* Et in Alexandro. cap. v. de aliis. *Corporis figuram*, inquit, *statuæ Lysippi*, (*à quo etiam solo fingi voluit*) *potissimum exprimunt. Multi enim admodum postea successorum & amicorum imitati sunt Alexandrum cervicis erectione, leviquè in sinistram partem inflexione, oculorumquè volubilitate, quæ artifex accuratè effinxit.* Deinceps quorum adulari formæ vellent, statuis pulchritudine insignibus eos assimilabant. Dio Chrysost. oratione de Melancoma I. de quodam Iatrocle Athleta. *Erat adolescens valdè magnus & pulcher, & cum talis esset, majus, ut par erat, & pulchrius illius corpus exercitatio reddebat.* Et subjungit. *Erat autem similis statuis accuratè factis, colorquè cutis illi erat similis æri mixto.* Herodianus de Bassiano, aliàs Heliogabalo. v, 3. *Congruentibus in unum formâ corporis, atquè ætatis flore, simul habitu illo mollissimo, facilè eum Dionysi pulcherrimis imaginibus assimilabant.* Quid quod tota interdum hominum genera, nota aliquâ & indicio in statuis relicto cognosci poterant Iuvenal. Sat. VII.

Vt dignus venias hederis, & imagine macrâ,

Vbi Poëtarum statuas macilentas plerumquè poni solere innuit, procul dubio, ut id genus hominum propius referrent, qui assiduo pertinaciquè studio & sollicitâ reconditarum rerum cogitatione maciem & pallorem contrahere consueverant. Hic non alienum erit, existimo, memorare quâ arte Alexander Magnus cavisse dicitur formæ suæ, ne à vulgo artificum corrumperetur. Omnium optimè id prodi-

proditum reliquit Apulejus I. Florid. *Imaginem suam*, inquit, *quò certior, posteris proderetur, noluit à multis artificibus vulgò contaminari, sed edixit universo orbi suo, ne quis Effigiem regis temerè assimilaret ære, colore, calamine. Quin solus eam Polycletus ære duceret, solus Apelles coloribus delinearet, solus Pyrgoteles calamine excuderet. Præter hos tres multò nobilissimos in suis artificiis, si quis uspiam reperiretur alius sanctissimi imagini regis manus admolitus, haud secus in eum, quàm in sacrilegum vindicaturus. Eo igitur omnium metu factum, solus Alexander ut ubiquè imaginum summus esset, utquè omnibus statuis, & tabulis, & toreumatis idem vigor acerrimi bellatoris, idem ingenium maximi honoris, eadem forma viridis juventæ, eadem gratia relicinæ frontis cerneretur.* In eo forsan consistit illa *Fides imaginis*, de quâ Cassiodorus Varr. VIII, 2. *Amore principum*, inquit, *constat inventum, ut simulacris æneis fides servaretur imaginis, quatenus ventura progenies authorem videret, qui sibi Remp. multis beneficiis obligâsset.* Hinc *æra dictura effigies Stilichonis.* Claudiano lib. II. de ejus laudibus.

Quæ non incudes streperent? quæ flamma vacaret
Fabrilis? Quæ sufficerent fornacibus æra
Effigies dictura tuas?

Quanquam placuit interdum nonnullis, benigniore quodam artis interpretamento, in statuis occultari, tegiquè, si quo vitio aut deformitate corpus natura notavit. Ita *Actius* Poëta, cum brevis admodum esset, statuam sibi magnam posuit. Plin. XXXIV, 5. *Notatum est ab authoribus, & L. Actium Poëtam in Camænarum æde maximâ formâ statuam sibi posuisse, cum brevis admodum fuisset.* Dio Chrysost. Orat. XXXVII. Corinthiacâ. *Agesilaus nunquam corporis sui imaginem nequè fictam nequè expressam fieri voluit; non quia claudus erat, ut ajunt, & parvæ staturæ (quid enim prohibuit, quò minus statua grandis esset? quid quò minus integris pedibus, quemadmodum Euphranoris Vulcanus?) sed hoc accuratè ille vidit, quòd non oporteat fortunas humanas extendere, nequè periculum subire circa corpus in lapide & ære.* vid. Plutarch. Agesil. cap. II. Vtcunquè hæc sunt, invenio tamen adeò accura-

tè

tè à priscis observatum, ut omnia corporis lineamenta exprimerent, ut non oris tantum forma, sed in reliquo corpore, minuta quævis, ipsæ etiam venæ, musculi, nervi apparerent. Idem Cassiodorus Variar. VII, 15. *Quisquis eas intuebitur*, inquit, *videbit profectò meliora, quàm legit. Pulchriora quam cogitare potuit. Statuas illas authorum suorum scilicet adhuc signa retinentes. Conspiciet expressas in ære venas, nisu quodam musculos tumentes, nervos quasi gradu tensos, & sic hominem fusum in diversas similitudines, ut credat potius esse generatum.* Lucianus Philosophus. *Tu verò, annon ad aquam illam, quæ influit, quampiam vidisti statuam, ventre prominulo, calvam, Seminudatam, vulsis quibusdam barbæ pilis, insignibus venis, vero homini simillimam.* Color item corporis concolore quæsitâ materie nonnunquam legitur in statuis expressus. Sic apud Spartianum Pescennio Nigro, extat epigramma, quod indicat Nigri statuam è nigro marmore factam, ut Imperatoris ipsius formæ concolor esset. Rem explicant sic versus.

Nigrum nomen habet, Nigrum formavimus ipsi,
Vt consentirent forma, metalla sibi.

Ubi metallornm appellatione, marmor ipsum accipere potes, quod Ulpiano & aliis juris consultis usitatum. Nam ex Thebaico sive Ægyptiaco marmore, quod ferreo colore in Ægypto reperiri Plinius scribit, factam fuisse Nigri statuam, Spartianus paulò antè dixit. Non mirum itaquè ætates hominum, quæ corporis varia affectione æstimantur, in statuis potuisse dignosci. Plin. Nep. lib. III. Epist. 6. de senis effigie ærea. *Effingit senem stantem, ossa, musculi, nervi, venæ, rugæ etiam, ut spirantis, apparent; rari & cedentes capilli, lata frons, contracta facies, exile collum, pendent lacerti, papillæ jacent, recessit venter. A tergo quoquè eadem ætas, ut à tergo æs ipsum, quantum verus color indicat, vetus & antiquum.* Sed interdum pulchritudo quædam supra naturale decus addita est; Maxime tamen ab iis id curatum, qui mortali sorte non contenti, vana ambitione & fastu Deorum majestatem æmulabantur, volebantquè illa forma insignes esse, quâ Deorum simulacra spectarentur, Illud de Domitiani statua

tradit

tradit Martialis lib. IX. Epigr. 25. quæ Phidiaci jovis pulchritudinem, artemquè vicit. Quod quanquam adulanti poëtæ imputandum videtur, ne credamus, tamen non penitus ex nihilo est. Constat enim effigie Numinum Conspectas Cæsarum quorundam statuas ut infra Cap. XXXIII. dicetur sed poëtam audiamus.

Quis Palatinos imitatus imagine vultus
Phidiacum latio marmore vicit Ebur?
Hæc mundi facies, hæc sunt Iovis *ora sereni,*
Sic tonat ille Deus, cum sine nube tonat.

Cœterum ut formam in statuis melius exprimerent, variè miscebant metalla artifices, quo etiam colores illis duraturos inducerent. Hâc ratione pallor moribundorum, & rubor verecundantium procuratus. Vt moribundi speciem ostenderent, æs & argentum miscebant. Plutarch. Sympos. v. 1. de Iocastæ statua. *In cujus faciem*, inquit, *aliquid argenti admiscuisse ferunt artificem, ut æs hominis exanimati & contabescentis speciem in superficie referret.* Vt ruborem verecundantis nonnemo exprimeret, ferro æs miscuit. Erat is Aristonides, de quo Plinius XXXIV, 14. *Cum exprimere vellet* Athamantis *furorem, Learcho filio præcipitato residentem, pœnitentiamquè, ferrum & æs miscuit, ut rubigine ejus, per nitorem æris relucente exprimeretur verecundiæ rubor.* Hæc miscendi ratio etiam vestimentorum in statuis colores animasse traditur. Hinc purpura in statuarum prætextis.

Idem Plin. d. lib. cap. 9. *Cyprio æri si addatur plumbum, color purpuræ fit in statuarum prætextis.* Cum itaquè cætera illa immensum profuere ad memoriam formæ conservandam, quanti hoc æstimandum putas, quod ex ipsis etiam operimentis statuarum, habituquè, de dignitate ac officiis eorum, quibus statutæ fuerint, constare potuit. Ne doceri ab aliis opus esset? Erat enim purpura dignitatis indicium. Sed majus fortè fuit, quod ipsi etiam animi affectus, moresquè relucere ex statuarum vultibus possent. Dicitur eam ob causam hæc ars ἠθοποιητός, *mores effingens* Callistrato in descriptione statuæ Æsculapii, & Praxiteles apud Diodor. Sicul. XXVI. Biblioth. traditur excellenter potuisse *lapideis operibus affectiones animi* admiscere. Sic superbiam, terrores ac minas in Domitiani statuis Iunior Plinius in Panegyr

Tra-

Trajano dicto, extitisse indicat, unde non minus, quam ex vero vultu timeretur, *Iuvabat*, inquit, *illidere solo superbissimos vultus* &c. *Et cernere truces horrendasquè imagines abjectas, excoctasquè flammis, ut ex illo terrore & minis, in usus hominum ac voluptates ignibus mutarentur.* Plutarch. de Arato in ejus vita cap. III. *Sanè etiam in statuis ejus Athleticum quiddam apparet, vultusquè regius & prudentiam præ se ferens.* Idem de Mario cap. II. *Vultum autem Marii in marmoreâ effigie Ravennæ in Gallia expressum vidimus, omnium austeritati & sævitiæ, quæ de eo prædicantur, convenientem.* Furorem Baccæ cum lapide mistum hoc sensu dicit Græcum Epigramma Pauli Silentiarii Antholog. Græc. l. IV. cap. 3. Quod sic Lubinus vertit.

Insanam Baccham non natura, sed ars
Fecit, & furorem cum lapide commiscuit.

Et aliud ibidem.

Cohibe Baccham, ne lapidea quamvis existens,
Super limen posita è templo effugiat.

Ex his omnibus evenit, ut vivere & spirare dicantur statuæ, quibus hos vitæ indices affectus ars accudit. Callistratus in descriptione statuæ Bacchi. *Praxitelis manus spirantia prorsus conficiebant artis molimina.* Idem in statua Orphei. *Cæsareis adeò florida est, & vividum atquè animatum quid præ se ferens, ut sensum fallat.* Sic alii multi, & inprimis Poëtæ, sæpè loquuntur, & vitam, spiritum, animam, statuis tribuunt. Iuvenal. Sat. VIII.

Et cum Parhasii tabulis, signisquè Myronis
Phidiacum vivebat ebur.

Vrgil. VI. Æneid.

Excudent alii spirantia mollius æra,
Credo equidem vivos ducent de marmore vultus.

Stat. Papinius Sylv. III. in Hercule Surrentino.

—— Tot saxa imitantia vultus,
Æraquè, tot scripto viventes limine ceras,

Idem VI. Thebaid.

Exin magnanimum series antiqua parentum
Invehitur miris in vultum animata figuris.

Huc pertinet egregius locus apud Xenophont. Memorabil. III. qui Socratis cum Clione Statuario colloquium hac de re habet. Quem neque hic pigebit adscribere. *Socrates*, ait Xenophon, *ingressus aliquando ad Clitonem statuarium, instituto que cum hoc colloquio. Varios Te, mi Clito, ait, Cursores, luctatores, pugiles, Pancratiastas fingere video, & scio: Quod autem maximè recreat homines adspectu, si vivax quiddam eis inesse videatur, quo pacto id in statuis efficis? Heic cum subdubitans Clito, non celeriter responderet: An, inquit, opus tuum ad formas eorum, quæ vivunt comparando, statuas vivaciores videri facis? Omnino, inquit. Nonnè igitur, dum quæ per gestus deorsum sursumquè trahuntur in corporibus, & quæ comprimuntur, & quæ diducuntur, & quæ intenduntur, & quæ remittuntur, exprimis, facis ut similiora, magisquè consentanea veris appareant? Maximè scilicet, inquit. At verò etiam adfectiones corporum aliquid agentium imitari, an non delectationem aliquam Spectantibus adfert? Id verò consentaneum est, ait. Quamobrem pugnantium oculi repræsentandi sunt ut minaces, victorum verò vultus sic effingendus ut lætorum esse solet? Prorsus, inquit. Ergo Statuarium, subjecit Socrates, animi actiones per formam repræsentare oportet.* Sed hæc hactenus.

Sic itaquè memoriæ gestarum rerum & formæ, ex lineamentorum similitudine expressa in statuis prospectum fuit, quæ memoriam præstare æternam potuit. Reliquas causas, quas ad superstites pertinere dixi, ne præteream, nunc paucis indicabo. *Solatium nimirum doloris, & exemplum ad æmulationem virtutis.* Quod ad solatium attinet, sciendum est, ne rem confundamus, *aut illis ipsis* erectas fuisse, qui suos amiserunt, ut sibi oblato honore, alienæ mortis dolorem minuerent. Sic Livia ob mortem filii Drusi, solatii causa honorata est statuis. Dio Cass. lib. LV. *Livia autem solatii causa statuis donata. Aut ipsis mortuis* positæ erant, ut honore defunctis impenso, solatium haberent superstites. Lactant. Divin. Instit. I, 15. *Ipsi reges cum cari fuissent iis, quorum vitam composuerant, magnum sui desiderium mortui reliquerunt. Itaquè homines eorum simulacra finxerunt, ut haberent aliquod ex imaginum contemplatione solatium.* Elegans est & locus

Atha-

Athanasii, Orat. contr. idol. *Multi non nisi priscis, sed & nostris temporibus, ubi amisere, quos charissimos habent, fratres, cognatos, uxores; Multæ item viduæ maritos extinctos; cum omnibus constet eos ex natura homines fuisse; istos tamen, inquam, istasquè ob ingentem luctum desideriumquè, fictis depictisquè figuris expressos, inter numina dedicaverunt.* Et paulo post. *Ideo enim quod eos non modo non crederent Deos, sed planè nullos reputarent, imaginibus eos effigurari voluerunt, ut eos non ulterius superstites per effigiei similitudinem obtuentes, hoc genere repræsentationis dolorem suum mitigarent.* Plinius Nepos lib. II. Epist. 7. de Spurinna. *Illud solatium doloris accepit, quod filio ejus Cottio, quem amisit absens, habitus est honor statuæ.* Et ad finem Epistolæ. *Etenim si defunctorum imagines domi positæ dolorem nostrum levant, quanto magis eæ, quibus in celeberrimo loco, non modo species & vultus illorum, sed honor etiam & gloria refertur.* Item Symmachus in hunc sensum lib. x. Epist. 25. Nam, inquit, *præter illum inusitatum Populi Rom. dolorem, etiam Senatus impatiens dispendii sui solatium petit de honore virtutis.* Sic enim quasi reddi putabatur vita mortuis. Cicer. Philipp. IX. de Statua Servio Sulpitio ponenda. *Reddite igitur,* inquit, *P. C. ei vitam, cui ademistis. Vita enim mortuorum in memoria vivorum est posita, perficite ut is, quem vos ad mortem inscii misistis, immortalitatem habeat à vobis. Cui si statuam in rostris decreto vestro statueritis, nulla ejus legationem posteritatis inobscurabit oblivio.* Et deinceps. *Filii ejus luctus aut hoc honore vestro,* eandem statuam intelligit, *aut nullo solatio levari potest.*

Quod ad *exemplum & imitationem virtutis* apud posteros profuerit statuarum honor, majoribus delatus, non operæ precium est probare, ne trita satis, & nulli non cognita proferendo, nugas agere videamur. Vnum tamen alterumve testimonium, quia sponte occurrit, adducere non piget. Symmach. loco citato. *Ornamentis honorum incitatur æmulatio, & virtus æmula alitur exemplo honoris alieni.* Iul. Cæsari incitamentum virtutis fuit haud exiguum statua Alexandri, de qua Dio Cassius lib. XXXVII. *Gadibus, cum in delubro Herculis statuam Alexandri positam vidisset, ingemuit, deploravitquè se nihil dum egregii facinoris præstitisse.* Plin. Nepos.

laudato loco, de statua juveni Cottio posita. *Acuent ad bonas artes juventutem, adolescentibus quoquè (digni sint modo) tanta præmia constituta, acuent principes viros ad liberos suscipiendos, & gaudia ex superstitibus & ex amissis tàm gloriosa solatia.* Damascenus de Imagin. Orat. III. *Vnum imaginis genus est, quod pro notandis vitiis, tanquam triumphus & ignominia pessimorum hominum ad posterorum utilitatem quo vitia fugiant, & virtutes imitentur, spectandum proponitur.*

Caput XV.

Mos petendi sibi statuas. Honestius tamen habitum non petere. Datæ itaquè ut plurimum intercedente Populo, Senatu, Principe, pro ut tulit tempus & occasio. Factum id interdum coràm, & apta oratione. Ἡρώω Τιμαὶ *quid Xiphilino & Herodiano? Interdum per Epistolam. Tyrannorum præpostera consuetudo. Petitiones istiusmodi mistæ laudibus. Tum facta Senatus consulta hanc in rem, Decreta, plebiscita, item laudum plena. Eaque absentibus missa. Imperatori in urbe præsenti à Senatu, cum tale quid actum de ejus honoribus fuisset, nunciatum. Id Iulio Cæsari inprimis contigisse notatum. Orationibus publicis aut scripto gratiæ actæ aut excusatio institutæ ab iis, qui honorem aut reciperent, aut per modestiam recusarent; Consulibus commissum à Senatu statuarum decreta exsequi. Neglecti officii pœnæ. Alii etiam dati Curatores extra ordinem. Decreti hujusmodi intercessum quandoquè. Formulæ Senatus consultorum nonnullæ.*

AVthores itaque hactenus & causas vidimus. Iam verò modum, secundum quem decerni statuæ solitæ fuerint, porrò investigavimus. Ac primum illos qui meritis præstabant, in præmium sibi statuas petere consuevisse deprehendo. Extat passim apud Quintilianum Lex Scholastica, quâ viro forti præmium quod volet, optare permittitur. Ex vi illius legis, in Declam. IV. filius quidam, eum constituisset voluntariâ morte occumbere, ne parricida fieret, ut in genesi ejus Mathematicus consultus futurum prædixit, pro præmio fortitudinis bello probatæ sepulturam petit, quæ voluntariæ mor-

tis

tis causas non reddentibus negabatur, ostenditquè aliis convenire statuarum honores, sibi hanc gratiam sufficere. *Titulos*, inquit, *imagines, honores, servate victuris, mihi præstate salutem patris, innocentiam meam, temporum pudorem.* Similiter Declam. CCCLXVII. in qua pater fortis à luxurioso filio dementiæ reus factus, quod præmium ex lege non optaverit. *Quid vis*, inquit, *optem? opto statuas? vultum contrahit. dies festos? irascitur. Quid igitur? pecuniam; & si hanc desideras, cur non fortiter pugnabas?* Apud Senecam item lib. x. controv. 2. quam sibi filius victor, vi legis potuisset, patri statuam petit. *Vicit patrem, petit pro præmio statuam patri.* Sed tamen honestius habebatur non petere, ut alieno judicio collatus honor illustrior digniorquè esset, utquè integra foret beneficii gloria apud eos, quibus honore statuarum meritos ornare potestas fuit; quod futurum erat, si non admoniti & sponte virtutes remunerari meminisse viderentur. Plin. XXXV, 2. *Etiam mentiri clarorum imagines; erat aliquis virtutum amor; multoquè honestius quam mereri, ne quis suas expeteret.* Apulejus III. Florid. eleganter de statua sibi decreta. *Annon properandum mihi erat, ut pro eo honore vobis multas gratias dicerem, pro quo nullas preces dixeram? Non quin magnitudo Carthaginis mercatur etiam precem à Philosopho pro honore, sed ut integrum & intemeratum esset vestrum beneficium, si nihil ex gratia ejus petitio mea defregisset, id est, ut usquè quâquè esset gratuitum. Nequè enim aut levi mercede emit qui precatur, aut parum pretium accipit, qui rogatur, adeò ut omnia utensilia emere potius velis, quàm rogare. Id ego arbitror præcipuè in honore observandum, quem qui laboriosè exoraverit; sibi debet unam gratiam, quod impetrarit. Qui verò sine molestiâ ambitus adeptus est, duplam gratiam præbentibus debet, & quod non petierit, & quod acceperit.*

Non raro tamen impetrabantur intercessione aliorum. Adeoquè *vel populus* alicui statuam postulabat, ut constat ex titulis & inscriptionibus. Vna sub Præneste in via publica

POPVLO. POSTVLANTI. BIGAM. PLACVIT. EQVESTRI. STATVA. DECRETO. ORDINIS. EVM. ORNARI.

Alia Neapoli.

HVIC. CVM. ET. POPVLVS. IN. SPECTACVLIS,

CVLIS. ASSIDVE. BIGAS. STATVI. POSTVLASSET. &c.

Et alia incerti loci.

POSTVLANTE. POPVLO. STATVA. ÆRE. CONLATO. PVBL. POSITA. EST.

Vel senatus à Principe petivit. Q. Symmachus lib. x. Epist. 25. ad N. N. Augustos. *Senatus vestrum numen precatur, ut virum nostra ætate mirabilem statuarum diuturnitas tradat oculis posterorum.* Vel deniquè, *Princeps à Senatu.* Jul. Capitolinus M. Antonino. cap. II. *Multum ex suis Oratoribus Frontoni detulit, cui & statuam in senatu petiit.* Et cap. III, de Junio Rustico. *Eum Antoninus consulem iterum designavit, cui post obitum à Senatu statuas postulavit.* Fiebatquè illud *vel coràm*, oratione appositâ. Flavius Vopisc. Tacito. cap. IX. cùm Imperatorem declarasse oratione habita, cuncta se ex Senatus sententiâ facturum, dixisset. *In eadem*, inquit, *Oratione, Aureliano statuam ponendam in Capitolio decrevit.* Scilicet à Senatu impetrato prius assensu. Et quidem additis prece ac lacrymis interdum, ut exorari Senatus posset, cum causa non satis æqua esset. Xiphilinus Antonino Pio. *Nolente senatu heroicos honores tribui Hadriano vitâ functo, propter aliquot cœdes virorum illustrium, quas fecerat, multa flens lamentatusquè in senatu disseruit. Itaquè Senatus cum hæc audisset, reveritus Antoninum, Hadriano honores reddidit.* Cum Heroicos honores dicit, præter alios, imprimis statuas intelligit, quas per excellentiam ita dici, multa authorum loca probant; Sufficit hic unum adducere. Ἡρώων τιμὰς, Heroum honores dicit Herodianus VII, 3. Vbi cum Deorum, heroumquè statuas à Maximino per avaritiam conflatas fuisse, vulgari sermone dicturus erat, *Statuas Deorum, heroumquè honores* dixit. Appellat etiam eas σεβασμίους τιμὰς *Augustos vel Augustorum honores*, lib. V. cap 2. Vel *per Epistolam*, seu misso libello. Sic Probus Imperator Caro statuam petivit. Flavius Vopiscus Caro cap. VI. *Quid autem de Caro Probus senserit, indicant literæ de ejus honoribus ad Senatum datæ.* In quibus inter cætera, *Quare equestrem*

strem statuam viro morum veterum (si vobis placet) decernendam censeo. Cum contra Tyranni facerent, qui senatum cogebant decernere. Lampridius Commodo. cap. x x. *Censeo,* inquit, Cingius Severus (quod is, qui non nisi ad perniciem civium, & ad dedecus suum vixit, ob honorem suum decerni coëgit) *abolendas statuas.*

Petebantur vero cum prolixa commemoratione laudum ejus, cui debebant decerni. Inscriptio statuæ Symmachi.

AVRO. ILLVSTREM. STATVAM. QVAM. A. DOMINIS. AVGVSTISQVE. NOSTRIS. SENATVS. AMPLISSIMVS. DECRETIS. FREQVENTIBVS. IMPETRAVIT. IDEM. TRIVMPHATORES. PRINCIPES. NOSTRI. CONSTITVI. APPOSITA. ORATIONE. IVSSERVNT. QVÆ. MERITORVM. EIVS. ORDINEM. AC. SERIEM. CONTINERET.

Madaurensis Philosophus in d. lib. Florid. de Strabone AEmiliano. *Is etiam laudator mihi apud Principes Africæ viros quodammodo adstitit. Nam, ut comperior nudius tertius libello misso, per quem postulabat locum celebrem statuæ meæ cumprimis commemoravit inter nos jura amicitiæ a commilitio studiorum eisdem magistris inchoata honestè, tunc postea vota omnia mea secundum dignitatis suæ gradus recognovit. Iam illud primum beneficium, quod condiscipulum se meminit. Ecce & hoc alterum beneficium, quod tantus diligi se ex pari prædicat. Quin etiam commemoravit, & alibi gentium & civitatum honores mihi statuarum & alios decretos. Quid addi potest ad hoc præconium viri Consularis?* Vt verò undique consensum erat in statuæ honorem, fiebant eam in rem Senatus consulta, Decreta, plebiscita. In quibus quæ de honoribus cuiusquam acta essent, scribebantur. Dio Chrysostom orat. x x x i. *Atqui etiam literæ publicæ sunt de statuis, pro quibus dico. Plebiscita enim scripta sunt de honoribus facta, & publicè permanent in omne tempus.* Cumquè perfectum esset decre-

tum, si honores accepturus, peregrè abesset, Senatus consultum ad eum mittebatur, adornatâ illustri & magnificâ legatione, si Imperator esset. Iul. Capitolin. in Maximo & Balbino. cap. XII. *Missi sunt ad Maximum legati Senatores viginti, cum coronis & Senatus consulto, in quo ei statuæ auratæ equestres decernebantur.* In urbe quoquè Imperatorem, post factum tale consultum, senatus adibat, ut nunciaret. Idque Iul. Cæsari inprimis contigisse memorat Dio Cassius Lib. XLIV. *Quum quâdam die in senatu de summis ac multis Cæsari deferendis honoribus sententiæ ferrentur, eosquè unanimi consensu, præter Cassium, quosdamquè alios, omnes decrevissent, ad eumquè in vestibulo Veneris templi sedentem, accessissent, ut decreta hæc ei annunciarent, (absente enim ipso res hujusmodi agebantur, ut non à coactis, sed ultro volentibus agi viderentur) non assurrexit.* Qui vero honores receperant, gratias agere solebant orationib. publicis, si ita ab ingenio instructi essent. Apulej. III. Florid. *Duplam ergo gratiam vobis debeo, imoenimvero multijugam, quam ubiquè equidem & semper prædicabo. Sed nunc impræsentiarum libro isto ad hunc honorem mihi conscripto, ita ut soleo publicè protestabor. Certa est enim ratio, qua debeat Philosophus ob decretam sibi publicè statuam gratias agere.* Scripsit hic author orationem, *Pro statua sibi Oeæ locanda*, ut ex vita ejus in editione Colvianâ constat. Sed illa, una cum aliis ejus pulcherrimis scriptis, quorum indices titulos, & fragmenta exigua antiqui Grammatici solum conservant, non sine ingenti literarum & antiquitatis damno periit. Si extitisset, non dubium est multa nos inde ad præsentis argumenti lucem haurire potuisse. Sed habet hoc tempus, ut cum ex vetustatis monumentis pauca integra permanere aut durare sinat, plura penitus devoret aut corrumpat. Sed ad rem. Qui recusare volebant si absentes essent, & illud cum excusatione modestiæ scripto significabant. Patet hoc ex inscriptione Foro Semproniensi.

STATVAM. TIBI. PEDESTREM. DE. NOSTRO. PONENDAM. IAMPRIDEM. DECREVIMVS. SED. IDCIRCO. DECRETVM. AD. TE. MISIMVS. NE. NVNC. QVOQVE. SICVT. ANTEA. CVM. PVBLICE. TIBI. STATVA. DECRETA. EST. FECISTI. HONORE. TE.

TAN-

TANTVMMODO. CONTENTVM. ESSE. RESCRIBERES. QVÆ. RES. TVAM. QVIDEM. MODESTIAM. ILLVSTRARET. NOBIS. VERO. VELVT. SEGNITIEM. EXPROBRARET.

Cum vero locandæ, ponendæque erant, interdum consulibus à Senatu committebatur negotium, id uti curarent. Cic. Phil. IX. de Statua S. Sulpitii. *Vtique C. Pansa. A. Hirtius Coss. alter, ambove, si eis videatur, Quæstoribus urbanis imperent, ut eam basin, statuamque faciendam, & in Rostris statuendam locent.* Si negligerent, aut segnius locarent, non ferebant impunè. Sueton. Claudio. cap. IX. *In ipso consulatu, quod Neronis & Drusi, fratrum Cæsaris, statuas segnius locandas ponendasquè curasset, penè honore submotus est.* Interdum alii curatores dabantur. Cic. Verr. II. *Quæro abs te, utrum ipsæ civitates solitæ sint aliquem latronem præficere, qui statuis faciundis præesset?* Tales curatores fuere Romæ Præfecti urbis. Sic enim ad inscript. Statuæ Stilichonis adjectum est.

EXEQVENTE. FL. PISIDIO. ROMVLO. V. C. PRÆF. VRBIS.

Et alii extra ordinem, cum Romæ, tum alibi. Leges enim in titulis

CVRANTIBVS. CVRAM. AGENTIBVS. N. N. &c.

Cæterum, si postquam decreti honores ejusmodi fuissent, suspicio aliqua criminis ingruisset, intercedi decreto solebat. Sueton. Galba. cap. XXIII. *Senatus, ut primum licitum fuit, statuam Galbæ decreverat, sed decretum Vespasianus abolevit, percussores sibi ex Hispania in Iudæam submisisse opinatus.* Dum in his sumus, non ineptum fuerit, si antequam caput hoc finiatur, unam alteramve Senatusconsultorum, hanc in rem factorum, formulas, in Ciceronis Philippicis nobis reservatas, proposuerimus, cum multa ad voluptatem usumquè lectorum spectantia in sese contineant. Vna extat Philipp. V. ubi Cicero de Statua Lepido ponenda Senatusconsultum his verbis censet perscribendum. *Cum à M. Lepido Imp. Pont. Max. sæpenumero Resp. & benè & feliciter gesta sit, populusquè Romanus intellexerit, ei dominatum Regium maximè displicere,*

cumquè ejus operâ, virtute, consilio singularique clementiâ & mansuetudine bellum acerbissimum sit restinctum, Sextusquè Pompejus Cn. F. Magnus hujus ordinis authoritate ab armis discesserit, & à M. Lepido Imp. Pont. Max. summâ Senatus populiquè Romani voluntate civitati restitutus sit, Senatum Populumquè Rom. pro maximis plurimisquè in Remp. M Lepidi meritis, magnam spem in ejus virtute, Authoritate, felicitate reponere otii, pacis, concordiæ, libertatis; Ejusquè in Remp. meritorum Senatum populumquè Romanum memorem fore. Eique statuam Equestrem inauratam in Rostris, aut quo alio loco in foro vellet, ex hujus ordinis sententia statui placerent. Altera est apud eundem Philipp. IX. de Statua S. Sulpitii in legatione ad Antonium mortui, cujus hæc verba. *Cum Ser. Sulpitius Q. F. Lemonia Rufus, difficilimo Reip. tempore, gravi, periculosoquè morbo adfectus, authoritatem senatus, salutem Reip. vitæ suæ præposuerit, contraquè vim gravitatemquè morbi contenderit, ut in castra M. Antonii, quo Senatus eum miserat, perveniret isquè cum jam propè castra venisset, vi morbi oppressus, vitam amiserit maximo Reip. tempore, ejusquè mors consentanea vitæ fuerit sanctissimè honestissimèq; actæ, in qua sæpè magno usui Reip. Ser. Sulp. & privatus, & in magistratibus fuerit; Cum talis vir ob Remp. in legatione mortem obierit, Senatui placere Ser. Sulpitio statuam pedestrem æneam in rostris ex hujus ordinis sententia statui; circumquè eam statuam locum ludis, gladiatoribusquè liberos posterosquè ejus quoquè versus pedes quinque habere, quod is ob Remp. mortem obierit, eamque causam in basi inscribi. Vtiquè C. Pansa. A. Hirtius Coss. alter ambove, si eis videatur, quæ floribus urbanis imperent, ut eam basin statuamque faciendam, & in rostris statuendam locent: Quantiquè locaverint, tantam pecuniam redemptori attribuendam solvendamquè curent.* Quæ in eodem S. C. sequuntur, huc non pertinent. Vide præterea si lubet aliam Senatus consulti formulam de honoribus & statuis Pisonis unius ex XXX. tyrannis ap. Trebellium cap. XXI. Decreta quæ in municipiis & coloniis fiebant, consulto lubensquè hic prætereo, ne tædium lectori pariam, cum passim extent, in immenso illo antiquarum inscriptionum

opere,

opere, quod summa cura & labore digesserat Cl. Janus Gruterus.

CAPUT XVI.

Statuarum materies varia & multiplex. Diversæ inde artis fingendi species & nomina. Preciosum quodque materiæ genus hominum, vile Deorum statuis faciundis adhibitum. Numinum simulacra ex ligno apud Ægyptios, Græcos, Romanos. Diagoræ Melii in Herculem Ligneum cavillus. Cur Dii ex vili materie facti quæsitum? Romanorum fictiles statuæ. Prisca paupertas. Quæ fingendi in his ratio. Marmoris usus antiquus, Statuæ Plinio dictæ eæ præcipue, quæ ex metallis. Æs in hoc usu quam celebre & quare? Antiphontis Rhetoris exitiabilis de ære argutia. Æs Corinthium. Statuæ æreæ Concavæ. σφυρήλατ☉ ἀνδριάς. *Marmoreæ & eburneæ statuæ. Marmoris usus cur ebore frequentior? Romæ quando primum factæ argenteæ statuæ, & aureæ solidæ. Quid aurum Philippeum apud Plautum. Statuæ inauratæ imbracteatæ. Varia in titulis harum nomina & descriptiones. De pondere auri & argenti quæsitum. Lipsii & Casauboni in quodam Trebellii loco diversa lectio, sed illius adstructa. Statuæ metallicæ igne purgari solitæ. Honoris æstimatio in statuis à forma non à materia.*

PRæter ea, quæ circa decernendos statuarum honores fieri solere superiori capite observavimus, ex Senatus Consultorum formulis clare perspicimus, in illis cautum fuisse etiam de aliis rebus, puta, *Ex qua materie*, deindè. *Cujusmodi fieri deberent*, tum, *quibus sumptibus*, Et deniquè. *Vbi locandæ forent.* Hæc nos singula fusius aliquantò persequemur. Ac primum de materie videbimus. Quæ si generatim consideretur, duplex est: *Solida* & *Fragilis.* illam Α῎σηπτον ὕλην vocat Artemidorus Oneirocrit. 1.6. & II. 44. Intelligitquè metalla, ebur & lapides. Ad hanc verò, ligna, argillam, ceram, aliaquè id genus referri debere, ipsa materiei fragilis natura indicat. Adeoquè nihil erat, quod manu vel instrumento artificis aptari ad similitudinem aliquam posset, quod in hunc usum non veniret. Vnde varia fabricandi easdem ratio ap. authores legitur; Dicuntur enim formari, cædi, dolari, figurari incudibus, runcinari, tundi malleis, clavis configi, conflari, fundi, limari, eradi, secari

&c. Hinc & plures ſtatuariæ ſpecies. Quinquè inprimis recenſet. Cæl. Rhodiginus lect. Antiqq. XXXIX, 24. *Lignorum*, ait, *vel eboris elaboratrix, Tomice nuncupatur; Ex quo & artifices id genus quibuſdam dicti Deſectores. Quæ argillam tractat Plaſtice vocari ſolet. At quæ gypſum, Paradigmatice, quoniam ab typis non abſcedit. Gypſochoos ſunt qui dicant ipſos artifices. Quæ lapides ſcalpit, Coloptice nomen habet ſeu ſculptura: Lithoxoos appellant hoſce. Poſtremò quæ cum metallis contribuit Glyphice eſt, vel Scalptura: Cujus ratio duplex: Nam ſi adhibeatur cera, deductionis ratione, Agogice vocatur. Etenim ab fundendi argumento Chemicen, id eſt, Χημικὴν, alteram dixere. Porro Anaglyphicen intelligunt, cum ita exſculpſimus, ut promineant imagines; Diaglyphicen verò ad impreſſuram ſpectare.* Hæc Cælius. In materiæ autem delectu video precioſam quamquè materiem hominum ſtatuis, viliorem ſimulacris Deorum adhibitam ut plurimum fuiſſe. Nam ex ligno & argilla hæc fiebant olim. Quo de inſtituto paucula nonnulla hic prænotare non plane inutile erit, ita tamen ut mox vela vertamus, & in linea noſtra navigemus. De ligno itaquè Plinius XII, I. *Ex arbore*, inquit, *ſimulacra Numinum fuere, non dum precio excogitato belluarum cadaveri, antequam ut à Diis nato jure luxuriæ, eodem ebore numinum ora ſpectarentur, & menſarum pedes.* Et Pauſan. in Corinthiacis. Vbi de temporibus Danai agit, *Crediderim*, inquit, *illis temporibus omnia ſigna ex ligno fuiſſe, inprimis tamen ea quæ fecêre Ægyptii.* Vbi aut per ξόανα, quâ voce eo in loco utitur author, intelligenda erunt lignea ſimulacra ſola, contra quam exiſtimat Heſychius, qui ξόανα ea etiam appellari vult, quæ è ſaxo ſculpta ſunt, aut ſubſtituendum ξύλινα, quod tamen temerè vix tentandum. Nam idem author in Arcadicis, ubi hunc morem antiquorum confirmat, ξόανα hoc ſenſu retinet & ad ea applicat, quæ ex ligno fiebant ſimulacra. *Ac priſci quidem homines*, inquit, *quantum ex antiquitatis monumentis didicimus, non aliis materiæ generibus ad ſimulacra Deorum, ita* ξόανα reddit Amaſæus, *uſi ſunt, quàm Hebeno, Cypariſſo, Cedro, quercu, ſmilace, ſeu hedera, lotho.* Ac nè apud AEgyptios & Græcos ſolum hoc in uſu fuiſſe putemus. Romani quoquè olim lignea habuere ſimulacra uſquè ad devi-

ctam

ctam Asiam. Plinius XXXIV, 7. *Mirum*, inquit, *mihi videtur, cum statuarum origo tàm vetus in Italia sit, lignea potius aut fictilia Deorum simulacra in delubris dicata, usquè ad devictam Asiam, unde luxuria.* Vt ob materiæ vilitatem, aut propter cultum exiguæ & contemptæ rei impensum irrisos à nonnullis interdum, & exustos fuisse ligneos illos Deos legamus. De Diagora Melio illo, tradit in Ancorato Epiphanius, quod Herculem suum ligneum, in penuria ligni exusserit, & per ludibrium ad ipsum dixerit, *Age Hercules, decimum tertium laborem subiturus adesto, obsonium nobis cocturus.* Idem fatum etiam sibi timet Priapus ligneus, Priapëorum 84. Epigramm.

—— *Vereor*, inquit, *ne ligneus ignem*
Hâc Deus ignaris præbeat agricolis.

Causa verò instituti hujus non ῥυπαρία quædam aut sordida parsimonia fuit, sed opinio illa hominum, qua *aut Deos* quo simplicius & moderatius, eò melius coli credebant. Hinc illa lex Platonis lib. XII. de LL. *Aurum autem & argentum in urbibus, & privatim, & in fanis invidiosa res est. Tum ebur ex inani corpore extractum, haud satis castum donum Deo. Iam æs & ferrum duelli instrumenta non fani: Ligneum autem, quodquè voluerit, uno è ligno dedicato.* Id quod etiam vult Persius Satyr. II.

— — — — *At vos*, inquit
Dicite Pontifices in sacro quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatæ à virgine pupæ.
Quin damus id superis, de magna quod dare lance
Non posit magni Messalæ lippa propago?
Compositum jus, fasquè animo, sanctosquè recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.

Quem Poëtæ locum eleganter vide expositum à Lactantio Firmiano Institut. Divin. II, 4. *Aut existimabant* quasdam præ aliis arbores à Diis amari, è quibus fieri sibi statuas vellent. Quo sensu adagium illud, οὐκ ἐκ παντὸς ξύλου ἑρμῆς γένοιτο. *Non è quovis ligno Mercurius fingi poterit.*

poterit. interpretatur Ioan. Brodæus Miscell. IV, 6. contra quam Erasmus Chiliad. facit, qui id putat ad Magicum Mercurii simulacrum potius referri debere. Postea ex argilla fieri cœpere simulacra, antequam metallorum usus hac in re esset. Plinius XXXV, 12. ubi de Plastice agit. *Crevit*, inquit, *res in tantum, ut nulla signa statuæve, sine argilla fierent. Quo apparet, antiquiorem hanc fuisse scientiam, quam fundendi æris.* Et paulo pòst. *Hæ enim tum effigies Deûm erant laudatissimæ. Nec pœnitet nos illorum, qui tales coluere. Aurum enim & argentum ne Diis quidem conficiebant.* Causa paupertas fuit. Nam inter antiqua Romani imperii tempora, non tantum divitiarum erat, ut prisci illi patres statuas aliter, quàm luto facerent. Id Ovidius 1. Fast. docet, inquiens,

Dum populus pauper, dum nova Roma fuit, &c.
Iupiter angusta vix totus stabat in æde,
Inque Iovis dextra fictile fulmen erat.

Et Propertius lib. IV. Eleg. 1.

Fictilibus crevêre Diis hæc aurea templa.

Factum & illud est, ne, quod in ligneis simulacris observatum etiam diximus, auri argentiquè pretioso sumptu numen violaretur, quod fœdum in vita luxum detestari credebatur. Iuvenal. Sat XI.

Hanc rebus Latiis curam præstare solebat,
Fictilis, & nullo violatus Iupiter auro.

Quod etiam innuit Seneca Epist XXXI. *Cogita illos*, inquit, Deos intelligens, *cum propitii essent, fictiles fuisse.* Nam præterea religio quædam isti simplicitati inesse putabatur. Idem Seneca consolat. ad Helviam cap. 20. *Tunc per fictiles Deos religiosè iurabatur.* Sed ne quis sola Deorum simulacra fictilia fuisse existimet, antiquitus etiam heroum regumquè statuæ ita fiebant. Athenis statuas Thesei & Amphictyonis fictiles aliquam multas fuisse docet Pausan. in Atticis.

Porro sicut ligneæ effigies dolabris, runcinis & terebris in formam suam componebantur; Ita fictiles hasce cruce vel stipa, vel stipite, tanquam trophæo in humum destituto,

argil-

argillaquè ei imposita plastæ formabant. Græci vocant κάνναβον. Tertullian. Apologet. *Quod simulacrum non prius argilla deformat, cruci & stipiti superstructa?* Et infrà, *Diximus originem Deorum vestrorum à Plastis de cruce induci.* vid. Scalig. ad Fest. in *Stipatores.* Argillam vero adhibebant udam, ut promptius obediret manibus fingentis artificis. Horatius lib. II. Ep. 2.

Argillâ quidvis imitaberis udâ.

Et deinceps in fornace coquebant, ut ex loco Festi constat in Ratumena. *Qui equi feruntur non ante constitisse quam pervenirent in Capitolium in conspectum,* sic pro, *conspectamquè,* legit Scaliger, *fictilium quadrigarum, quæ erant in fastigio Iovis templi, quas faciundas locaverant Romani Veienti cuidam artis figulinæ prudenti, quæ bello sunt reciperatæ, quia in fornace adeò creverant, ut eximi nequirent.* Sed ne extra oleas diutius vagemur, & omne materiæ genus hic examinemus, quod ineptum fortasse foret, satis fuerit indicasse ex nobiliore ut dixi & solida præcipuè, ac duratura materie statuas illustrium hominum factas fuisse; puta ex Marmore, Ebore, metallo.

Marmoris hic usus, si in universum & sine discrimine statuas consideres, metallis antiquior est. Plin. XXXVI, 5. *Non omittendum est,* inquit, *hanc artem,* (marmorariam intelligit) *tantò vetustiorem fuisse, quantò picturam aut statuariam, quarum utraquè cum Phidia cœpit LXXXIII Olympiade, post annos circiter CCCXXXII.* Quo loco statuariam pressè sumit pro arte fusoria. Nec ille temerè statuam, nisi ex metallo factam appellat, cum cœtera ex marmore, ligno, aliâve materiè opera, simulacra vel signa nominet. Si verò de solis hominum statuis loquamur, nulla vel frequentior vel antiquior, aut fortè honoratior ap. Romanos materies iisdem faciendis adhibita fuit, quàm ipsum æs. Nam antiquissimas illustrium Romanorum statuas ex ære fuisse legimus passim, apud Livium, Dionys. Halicarnass. Plinium & alios. Quemadmodum & apud Græcos fiebat. Aristid. κτ̀ τῶν ἐξορχυμέν. ubi de Athletis. *Omnes,* inquit, *quorum aneæ imagines sunt,* quasi dicat, quotquot inter

Athle-

Athletas celeberrimi fuerunt. Arrian. Comment. in Epictet. l. 1. c. 15. *Fabri materia ligna sunt, statuarii æs.* Seneca Epist. LXV. *Statua & materiam habuit, quæ pateretur artificem, & artificem qui materiæ daret faciem. Ergò in statua materia æs fuit; causa artifex.* & deinceps, *in statua, id ex quo, æs est.* Causa est quod inter metalla æs, & vilius auro, argentove, & tractabilius ferro, & durabilius plumbo stannoquè esset. Huc pertinet illa disputatio de ære optimo inter calices apud Dionysium seniorem Syracusarum Tyrannum agitata, cujus sensum à rei natura, ad improbos mores Tyranni, argutè quidem; sed temerariâ libertate deflexum, Antiphon orator morte luit. De ea Plutarchus lib. de X. oratorum vitis. *Cum in vino quæstio agitaretur, ecquod æs optimum esset, diversè aliis respondentibus, Antiphon dixit, id æs optimum esse, è quo statuæ Harmodio & Aristogitoni essent factæ.* Illis enim, ut notum est, ob Hipparchum tyrannum interfectum statuæ positæ fuêre. Infinita præterea authorum loca de ære loquuntur, tanquam solo & præcipuo immortalitatis instrumento. Artemidor. Oneirocrit. l. 1. c. 52. *Æneæ statuæ liberis hominibus eriguntur.* Ennodius Dict. VIII. *Virorum fortium effigies, mansuro perenniter ære servantur.* Cassiodor. lib. VIII. variarum Epist. 2. *Amore principis constat inventum, ut simulacris æneis fides servaretur imaginis.* Sed quid attinet plura aggerere? Illud verò obiter dicendum est, fuisse quædam æris genera, cœteris longè præstantiora, & ipso precio commendabilia. Plinii seculo æs auro argentoquè confusum Corinthii æris temperaturam habuit. Corinthium æs, quam fuerit preciosum, ob auri argentiquè misturam, incendio Corinthi factam, ex Floro constat lib. II. c. 10. Et ex Plutarcho de Pythiæ oraculis, initio. Quod ideo etiam auro prælatum, testis est Statius II. Sylvarum in Surrentino Pollii.

> *Quid referam veteres, ceræquè cerisquè figuras,*
> *Æraquè ab Isthmiacis, auro potiora favillis?*

Neque solidum illud æs fuit, sed concavum plerumquè. Seneca lib. IV. Natural. Quæst. c. 29. *Cur ergo aliquis, ad hoc stupet, quod æs unius statuæ, nec solidum quidem, sed concavum ac tenue diruptum est?* Hinc ictus Domitiani equus ingentem sonitum edere Statio Sylvar. 1. dicitur.

strepit

— — — — *strepit ardua pulsu,*
Machina, continuus semper per culmina montis
It fragor, & magnæ fingit vaga murmura Romæ.

Et interdum particulatim membra talium statuarum excudebantur, atquè inter se deinceps clavis configebantur, ne dissolvi possent. Id confirmat Clemens Alexand. Protrept. *Statuæ*, inquit, *clavis configuntur, & compinguntur.* Et hunc fabricandarum ad incudes statuarum modum tangit Claudian. II. de laud. Stilicon.

Quæ non incudes streperent? quæ flamma vacaret
Fabrilis? quæ sufficerent fornacibus æra,
Effigies dictura tuas?

Appellaturquè talis statua Straboni & Plinio ut & Theocrito Idyll. 22. σφυρήλατος, hoc est, *malleo ducta.* Est enim σφῦρα *malleus.* Post æris autem usum, maximam celebrationem *marmor* habet. Præter innumeras statuas marmoreas Plin. XXXVI, 5. enumeratas, & frequentissimè aliis authoribus memoratas, mentio quoque fit marmoris in inscriptionibus, ut in hac veteri.

Q. EGNATVLO. Q. F. EQVO. PVB. DON. AB ÆLIO. HADRIANO. CÆS. NERVÆ. TRAIANI. F. RHODENSES. OB. PLVRIMAM. LIBERALIT. ET. MVLTA. IN. REMP. S. BENEFAC. EQVESTR. E. MARMORE. STATVAM. PRO. ÆDE. MINERVAE. CONSTITVERE.

Verum rarius ebur fuit sed tamen usum præbuit. Eburneæ statuæ meminit Suetonius in Tito c. 2. quem Britannico Equestrem ex Ebore statuam posuisse dicit. *Statuam*, inquit, *ei alteram ex Ebore Equestrem, quæ Circensi pompa hodiequè præfertur, dedicavit.* In foro Trajani eburneam Nicomedis Bythyniæ Regis statuam fuisse Pausanias in Eliacis prior. indicat. Cur Marmoris frequentior quam Eboris usus fuerit, causas itidem tres reperio. Prima erat, quod marmoris nitor diutius maneret. Secunda quod viliori precio comparari posset. Vtramquè junctim indicat Valer. Max. I. 1. Extern. 7. *Athenienses*, inquit, *Phidiam tulerunt, quamdiu is marmore potius quam ebore Minervam fieri debere dicebat, quod diutius nitor esset mansurus.* Sed ut *adjecit, & vilius, tacere jusserunt.* Marmoris enim benè politi,

politi, non diuturnus solum nitor est, sed & vehemens radiatio, adeò ut spectantium oculos, si intentius eos infigant, lædat. Plin. XXXVI, 5. de Hecate in templo Dianæ Ephesinæ. *In ejus contemplatione*, inquit, *admonent aditui, parcere oculis, tanta marmoris radiatio est.* Tertia caussa erat, quod Marmor ebore durabilius esset. Cariem enim sentit Ebur, & in sicco juxta, & aquoso solo facilè corrumpitur, nisi ab aquosi soli injuria, oleo, & in siccioribus locis aquæ adspersu vindicari ab interitu quadantenus posset. Pausan. in Eliac. priorib. Porro auctis longa bellorum fortuna opibus Romanis, cœpere etiam ex argento, & auro fieri imagines, inter quas Augusto primum factas Romæ argenteas, quanqnam alibi ante ejus tempora usurpatas, tradit Plinius XXXIII, 12. *Argenti usum in statuas primum ad honorem D. Augusti in adulationem temporum transisse, falsò existimatur. Iam enim triumpho M. Pompeij reperimus translatam Pharnacis, qui primus reparavit in Ponto, argenteam statuam. Item Mithridatis e us patris, & currus aureos argenteosquè.* Sueton. Aug. LII. *Argenteas statuas olim sibi positas conflavit omnes.* Idem Sueton. de Domitiano in ejus vita, cap XIII. *Statuas sibi in Capitolio non nisi aureas & argenteas poni permisit, ac ponderis certi.* Vnde discimus ex auro item fieri solitas. Easquè vel solidas ex hoc metallo, vel auro tantum tectas. Ad illas referendæ illæ Domitiani, de quibus etiam Plinius Panegyristes ad Trajanum. *Tuam statuam*, inquit, *in vestibulo Iovis Opt. Max. unam alteramve, & hanc æream cernimus; at paulò ante aditus omnes, omnes gradus totaquè area, hinc auro, hinc argento relucebat.*

De Caligulæ aurea statua, quam in Templo suo posuit, Suetonius in ejus vita cap. XXII. *In templo simulacrum stabat aureum Iconicum.* Idem de Britannici aurea statua à Tito posita in Tit. cap. II. *Statuam ei auream in palatio posuit.* De D. Claudii à populo posita, Trebell. Pollio in ejus vita cap. III. Sed quis omnes enumerare potest? Aurum porrò ad statuarum fabricam quæsitum purum & Obryzum discimus ex Plauti Curcull. III, 1. *Ibi nunc*, inquit, *statuam vult dare auream, solidam faciendam ex auro Philippeo.*

Quod

Quod aurum Philippeum in Macedonia natum ob bonitatem videtur de omni pretioso auri genere dici, communi significatu. Vnde Philippei aurei, qui ex hoc auro conficiebantur, à Rege Macedoniæ Philippo denominati. Cæteræ illæ fuere quidem auri fulgore commendabiles, sed non solidæ, verum inauratæ. Talis erat Glabrionis statua, prima hujus generis in Italia. De qua ita Livius Decad. IV. lib. 10. *Ædem* (pietatis) *dedicavit M. Acilio duum Vir, statuamquè auratam, quæ prima omnium in Italia statua inaurata est, patri Glabrioni posuit.* vid. & Val. Max. II, 5. Dicebantur hæ statuæ *Imbracteatæ,* ob tenues illas auri bracteas, quæ inducebantur æri. Ammian. Marcell. lib. XVI. *Ex his,* inquit, *quidam æternitati per statuas se commendari posse æstimant, s. eas ardenter affectant, atquè auro curant imbracteari, quod Acilio Glabrioni delatum est primò.* Est enim bractea in gloss. πέταλον, & bracteatores πεταλοποιοὶ, aut πεταλουργοί, ut constat ex l. 1. C. de Excus. artif. Adeò tenues quidem illæ bracteæ erant, quibus opera varia inducebantur, ut & nebulas eas appellarit Martialis. Hinc illi qui statuas, aliave opera auro integebant, dicti DEAVRATORES, Plutarch. de glor. Atheniens. *Vna,* inquit, *eant Tragi, histriones, & Nicostrati & Callipidæ, & Menisci, & Theodori, & Poli, tragœdiæ tanquam sumptuosæ mulieris comptores, & gestatores, aut potius tanquam statuarum incrustatores, deauratores & tinctores.* Istiusmodi statuarum frequens quoquè est in inscriptionibus antiquis mentio, sed sub diversa appellatione. Interdum AVRATÆ dicuntur. Vt præter jam dicta, hæc monstrat inscriptio.

L. POSTHVMIO. P. FIL. FAB. FVSCINO.
Q. PVBL. PONTIFICI. ORDO. PRIMVS.
FVNVS. PVBLIC. ET. STATVAM. EQVESTREM.
AVRATAM. DECREVIT. P. POSTHVMIVS.
CVRATOR. REIPVBL. AVG. ANT. AVR.
DATVS. AB. AVGG. SEVERO. ET. ANTONINO. PATER. TITVLO. VSVS.

Vel AVRO ILLVSTRES, ut hæc inscriptio statuæ Symmachi in Capitolio docet, cujus partem solum afferam, quia longiuscula est.

L. AVR. AVIANIO. SYMMACHO. V. C &c.

AVRO. ILLVSTREM STATVAM. &c.

PRINCIPES. CONSTITVI. IVSSERVNT &c.

Alia inſcriptio Romæ, AVRO SVPERFVSA habe.

ANICH. IVN.

ANICIO. PAVLINO. IVN. C. V. &c.

STATVAM. SECVNDAM. AVRO. SVPERFVSAM. LOCARI. SVMPTV. PVBLICO. PLACVIT.

In ÆRE AVRATA legitur in inſcript. Barcenonenſ.

CRASSO. IVNIORI. M. CRASSI. FILIO. PATRIA. LABETHANORVM. SERVATA. QVÆ. IVRE. BELLI. MILITI. IN. PRÆDAM. DANDA. ERANT. POPVLI LEBETHANI. VIRTVTE. MAGNI. VIRI SERVATI. STATVAM. EI. IN. ÆRE AVRATAM. IN. ADITV. TEMPLI DEÆ. BELLONÆ. POSVERE.

EX. ÆRE. AVRATO habet alia in Luſitaniæ oppido Mocha.

CERETANI BELLO. VICTI. ET. VIRTVTE. M. POMPEII. SERVATI. EI. STATVAM. EQVESTREM. EX. AERE. AVRATO. CVM SEMPITERNA. PATRIÆ OBSERVANTIA. IN. MEDIO. FORO. POSVERE.

Sub AVRO CONSTITVTA, etiam legitur in alia Romæ.

SATVRNINO SECVNDO. V. C. &c. DD NN. VALENTINIANVS. ET. VALENS. &c.

STA-

STATVAM. SVB. AVRO. CONSTITVI. LOCARIQVE. IVSSERVNT.

Verum illæ ſolidæ ex auro vel argento, pondere certo deſtinabantur. Quod ob metalli precium ſæpè annotatum eſt in bonis authoribus, & lapidum monumentis: Etenim centum interdum pondo auri inſumpta. Priſcilla moriens ap. Statium Sylv. lib. v. in carmine, cujus index, *AB AScanii pietas*, maritum damnat, ut Statuam Domitiani in Capitolio collocandam curet hoc auri pondere,

Da, (inquit) *Capitolinis æternum ſedibus aurum,*
Quo niteant ſacri centeno pondere vultus
Cæſaris, & propria ſignet cultricis amorem.

Quod factum in Deorum ſtatuis etiam deprehendo. Nam argenti pondo totidem vetus inſcriptio lapidis in Hiſpaniis inſigni fabricam deſtinat,

— P. NVMERIVS. MARTIALIS. ASTIGITANVS. SEVIRALIS. SIGNVM. PANTHEI. TESTAMENTO. FIERI. PONIQVE. EX. ARGENTI. LIBRIS. C. SINE. VLLA. DEDVCTIONE. IVSSIT.

Sed magna ſatis illa pro facultatibus privatorum. Populus verò interdum & Principes effuſius luxuriabant. Ex Trebellio Pollione diſcimus, quod D. Claudio populus ſtatuam millè pondo collocaverit, ut illum locum emendat Lipſius, pro decem pondo, mille ſubſtitutis. Verba Trebellii hæc ſunt. *Populus Romanus ſumptu ſuo in Capitolio ante Iovis Opt. Max. templum, ſtatuam auream decem pondo collocavit.* Nec conſentaneum Romanæ magnificentiæ videtur Principi tantillam ſtatuam ponere, cum privata Priſcillæ liberalitas centum antehac pondo deſtinaſſet ſuo Principi.

Cæterum & hoc obiter monendum, in hoc Trebellii loco, ab aliis pro x. *pondo*, x. *pedum* legi, quam etiam lectionem Doctiſſ. Iſ. Caſaubonus plerorumquè exemplarium cum ſcriptorum tum editorum conſenſu firmare nititur. Sed tamen nec Lipſium temerè & ſine cauſa hunc locum emendaſſe

arbitremur, suspicari licet in nonnullis exemplaribus, in quæ forte vir ille incidit, pro integra dictione, sive illa sit *pondo*, sive *pedum*, solam initialem literam P. eum invenisse, quam abbreviationis causa, pro utroquè poni in vetustis inscriptionibus reperio. Nihil tamen certi affirmare ausim. Et ne quis nimium fuisse putet, mille pondo impendi, Commodus Imperator ante illum statuam ejus ponderis habuit. Xiphil. in Compend. Dionis. *Ad hæc*, inquit, *ei statua mille librarum cum tauro & vacca facta est.* Sed & argenteam M. D. pondo idem Claudius, de quo paulò ante, habuit, ut in ejus vita Trebellius notat. *In rostris*, inquit, *columna posita est, & palmata statua superfixa, librarum argenti mille quingentarum.*

Theodosii argenteam columnam immani pondere cum statua Constantinopoli collocatam memorat Zonaras. Annal. Tom. III. *Steterat*, inquit, *columna M. Theodosii, statuam argenteam sustinens, à filio ejus Arcadio facta, pondere 7400 librarum, quam ille* (Justinianus scilicet) *cum columna demolitus, argento direpto eam reposuit, qua adhuc cum ejus imagine cernitur.* Coronidis loco & hoc addere libet, quod statuas ex auro factas, ignibus purgare artifices consueverint, detergendis sordibus. Joh. Chrysost. Homil. LIX. Cathechef. ad illuminandos. *Vt igitur statuam auri metallo confectam, aliquanti temporis metis fumo & pulvere, & æruginis sordibus coinquinatam, cum artificis manus acceperint, renovant fornacis ardore & splendidam nobis, lucidamquè demonstrant; Ita & nostram naturam Deus.*

Nequè illud ultimo tandem loco hic memorare piget, quod quacunquè ex materie statuæ fierent, eadem semper & ubiquè omnium esset dignitas, quam ex formâ æstimari, quàm unde fabricatæ essent, maluere antiqui: ne ut precio, ita honoris prærogativa ulla, aut argento aurum, aut ære lutum potius habitum existimes. Docet hoc Damascenus de Imag. Orat. III. ex S. Chrysostom. in Machabæos. *Regiarum*, inquit, *imagines formarum, non ex auro tantum argentóve, atquè ex alia præclara materia conflatæ fulgent, verum etiam*

ex

ex ære continent eandem expressam effigiem. Et materiæ differentia nil officit imaginis dignitati. Et statim. *Forma enim regia, omnem æque materiam præclaram reddit, nec ipsa ullum ex materia damnum facit, sed materiam à qua suscipitur, efficit honoratiorem.* Idem ex S. Methodio Patarensium Episcopo. *Quæ sunt hic Regum imagines, quamvis non ex pretiosa auri argentiquè materia consistant, ab omnibus tamen honorantur. Nequè enim quæ ex pretiosa materia conflata sunt, homines duntaxat colunt, quæ verò ex vili contemnunt atquè aspernantur; sed omnes quæ sunt in terra, colunt, licet ex ære gypsoquè existant.*

CAPUT XVII.

De forma Statuarum. Hermarum origo unde? Virilium in iis quæ notio. Quadrata figura cur facti Hermæ. τετράγωνος ἀνὴρ. Laudes hominum statuis Deorum inscriptæ apud Græcos. Hominum Statuæ forma Hermæa; non tamen sine aliquo discrimine. Veterum Romanorum circa hæc talia studium. Capita Statuarum exemptilia. Mos capita sine truncis fingendi, ejusque ratio. Statuæ Pedestres. Romanorum veterum continentia. Statuæ Deorum sessiles plerumquè. Sedendi habitus dignitatis index. Stantes & erectas fingere hominum statuas usitatissimum. Magnitudo Pedestrium diversa. Mensuræ ejusmodi. Statuæ Tripedaneæ. Signa Tuscanica. Corinthia. Imagunculæ. Icunculæ. Statunculæ. Ἀνδριὰς ἰσομέτρητος. Olympionicorum statuæ Iconicæ. Quæ cura Hellanodicorum circa hanc rem. Colossorum appellatio & magnitudo. Colosseros. Colossi Diis dicati, & quare? Principum quorundam Romanorum ambitio. Ex plurimis Colossis, qui Romæ olim erant, nihil quàm fragmenta pauca residua. Notati, qui majores, quàm pro modo corporis, aut meriti ratione statuas ambiverint.

CVjusmodi statuæ fuerint, nunc inquiramus. Primo *Formam* & deinceps *habitum* illarum consideraturi. Forma, ex qua Species variæ resultant, vel repræsentat partem hominis, ut *Hermæa*, quæ caput tantummodo ostendit, cœtera informis. Vel totum hominem exhibet, eumquè vel sua basi stantem, ut *Pedestris*, vel equo aut curru subnixum, ut *Equestris* & *Curulis*, de quibus singulis ordine & breviter agendum; Ac primum quidem de Hermæa; quæ quanquam non est Romanæ originis, debet

tamen hic considerari ob celebritatem istam, quam habent infinitæ illæ Hermeæ Statuæ maximam partem ad Romanos è Græcia olim transvectæ, & apud eosdem servatæ, quarum non paucæ etiam nuper è terra effossæ sunt, præcipuè Romæ, & superiori seculo plurimæ ex Hadriani villa Tiburtina erutæ, nomina eorum & elogia, quibus statutæ olim erant, præ se ferentes. Hermææ itaquè Statuæ, vel Hermæ apud Græcos ad similitudinem fiebant Mercurii, qui Græcis ἑρμῆς, quadrangulari figura statuebatur, solo vultu humanam formam repræsentante. Horum meminit Pausanias in Messenicis. *Athenienses*, ait, *quadrangula figura Hermas fecere, & eam ab illis cœteri acceptam formam in Mercurii Statuis usurparunt.* Plenius aliquantò eos describit Macrobius Saturnal. 1, 19. *Pleraquè*, inquit, *etiam simulacra Mercurii quadrato statu figurantur solo capite insignita, & virilibus erectis.* Addit de virilibus, quorum vestigia evidenter in antiquis illustrium Græcorum Hermæis Statuis, quæ Romæ sunt, apparent, nec annotáre negligunt, qui hæc monumenta vetustatis æreis tabellis incisa, chartisquè illita vulgò conspicienda præbent. Cur autem Virilia Mercurii statuis addiderint idem Macrobius eodem in loco indicat, nimirum ad designandam vim solis, rerum omnium satoris & progenitoris, ad quem Mercurii cœterorumquè Deorum species & Symbolica additamenta haud ineptâ collatione deflectit. Et Plutarch. libell. An seni sit ger. Respublica, Senioribus Mercuriis hoc proprium facit, ut rigente fascino statuantur, & causam addit hoc modo. *De facultate obeundorum ministeriorum, non tantum nobis detraxit senectus, quantum civili & gubernatrici peritiæ adjecit. Eam ob causam etiam Mercurios seniores sine manibus & pedibus rigente fascino fingunt. Hoc ænigmate indicantes, minimè hoc à Senibus requiri, ut corpore servitia obeant, modo iis ratio (ut convenit) efficax sit & fœcunda.* Cur verò quadrata figura fuerint, variè traditur. Suidas prodit quadratam figuram tributam Mercurio ob orationis sermonisquè, cujus ille Deus, constantiam & stabilitatem. Nam Græcis vir bonus, verax, fortis, τετράγωνος ἀνὴρ dicitur, Plato in Protagora. *Dicit enim*

Simo-

Simonides ad Scopam Creontis Thessalici filium, difficile esse virum verè bonum fieri, manibus pedibusquè, & mente non ex amussim quadratus. Scholiastes Homeri Odyss. penult. ideò quadratum statui Mercurium notat, quod scientias quatuor repererit, cum adhuc in vivis, esset, Literas. Musicam, Palæstram, Geometriam. Verba hæc sunt. Ἑρμῆς ὁ Διὸς καὶ Μαίας τῆς Ἄτλαντος παῖς ἔτι ὢν ἐν ἀνθρώποις τέσσαρα μέγιστα εὗρετο, γράμματα καὶ μουσικὴν, καὶ παλαίστραν, καὶ Γεωμετρίαν, ὅθεν καὶ τοὺς Ἕλληνας τετράγωνον αὐτὸν ἀσκεῖσθαι καὶ οὕτως ἐν τοῖς γυμνασίοις ἀναθεῖναι. Ita illi. Phornutus qui parum de figura variat, causam addit, quare sinè pedibus manibusquè fingeretur, nimirum, *quod nec pedum nec manuum officia habeat opus ad id, quod sibi incumbat agendum.* Sed fortè hæc aliena sunt à nostro instituto, si diutiùs inhæreamus. Græci itaquè hanc figuram commenti sunt, & Deo Mercurio primum posuere. Cumquè parci & tenaces statuarum essent, victorias & laudes hominum interdum his Deorum Statuis incidebant, & ne nimis ambitio cresceret, supprimebant nomen, ut alibi indicamus. Sed tandem transiit etiam hæc figura ad hominum Statuas, quæ pro immortali gloria magnis sæpè Ducibus dicabantur. De quibus fortè accipiendus est Juvenalis Sat. VIII. illo versu,

Nil nisi Cecropides, truncoquè simillimus Hermæ;

Quo non Mercurii Statuam intelligere potuit, sed aliquam earum, quæ Hermarum figura factæ, illustribus viris honoris causa dabantur. Loquitur enim eo loco de statuis Majorum. Nec dubitare nos sinunt Hermarum veterum fragmenta, quæ non tantum Clarorum hominum vultus, sed & nomina eorundem, ut dictum est, ostendunt. Ille Miltiadis, hic Themistoclis, ille Valerii, hic Catonis, alius alterius insignis viri nomen præfert. Adde quod Dei Mercurii Statuæ plerumquè cum alis & galero, aliisquè id genus ejus Dei insignibus, & juvenili formosaquè facie effingebantur; Hominibus verò positi Hermæ, similitudinem cujusquè & oris habitum referebant.

Nec illud omittendum est magnum fuisse antiquorum studium in illis Hermis ad ornamenta domorum comparandis,

dis. Cicero Atticum rogat, ut Hermas & signa sibi quam plurima mittat, dicitquè se in eo genere sic studio efferri, ut reprehensionem aliorum vitare se posse desperet. Locus Ciceronis extat lib. 1. ad Attic. Ep 7. ubi de Hermis ita, *Hermæ tui Pentelici cum capitibus æneis, de quibus ad me scripsisti, jam nunc admodum delectant.* Ex quo loco disco, exemptilia quoquè interdum fuisse Hermarum capita, quæ subinde demi addiquè poterant. Et ex eo forte invaluerat mos Imperatorum ætate, veteres statuas, mutato capite in alium habitum transformandi. Sed de illo aliàs. Nec alienum fuerit hic monere consuevisse interdum veteres sola capitum simulacra spectanda proponere, interdum & thoracas addere, ut hodiequè multa istiusmodi veterum spectantur, & præterea indicat Servius, ubi ad Eclog. VII. hæc verba,

Levi de marmore tota
Puniceo stabis suras evincta cothurno.

Tota, inquit, *nam solent plerique caput tantum vel thoraca facere.* Quemadmodum etiam discere licet ex D. Ambrosio Hexaëm. VI. Cap. 9 ubi ait, *Sola ære fusa principum capita, & ducti vultus de ære vel de marmore ab hominibus adorantur.* Ejusquè rei ratio, quod totus homo in capite sit, ut idem Sanctus-Doctor innuit, addo ego & pectore, in quo vitæ regia, cor. Jam de Pedestribus Statuis, in quibus tota hominis figura & membra omnia exhibebantur, aliquid hoc in capite dicendum restat. Dictæ sunt Pedestres, quod pedibus incedentium aut stantium effigie formarentur, non equi ulla sive currus ope sustentatæ, sed basibus suis innixæ. Earum usum diu fuisse apud Romanos Plinius XXXIV, 6. testatur. *Pedestres*, inquit, *sine dubio Romæ fuère in authoritate longo tempore.* Nam prisci illi Romani spreto sumptuoso statuarum Equestrium Curuliumquè decore, ut continentes & moderatos sese probarent, solo honore Pedestrium contenti erant. Cic. Philipp. IX. de Servio Sulpitio. *Mihi autem recordanti*, inquit, *multos in nostra familiaritate sermones, gratior illi videtur, si quis est sensus in morte, ænea Statua futura, & ea pedestris, quàm inaurata equestris, qualis est L. Syllæ prima Statua. Magnificè enim Servius Sul-*

pitius

pitius majorum continentiam diligebat, hujus seculi insolentiam vituperabat. Nec dissimilem sensum habere videtur illud Callimachi in Eetionem, de statua Herois, Antholog. Græc. lib. IV. cap. 8. Epigr. 46.

ἀνδρὶ δ' ἱππεῖ
θυμωθεὶς, πεζὸν κἀμὲ παρῳκίσατο.
Viro equiti
Iratus, me peditem hic habitare fecit.

Cœterum statuarum pedestrium ut varius status fuit, ita præcipuus dignissimusquè habebatur, cum sedentes fingerentur. Quod tamen peculiariter in Deorum statuis observatum est. Plinius Iun. Panegyr. ubi laudat moderationem Trajani, quod mortalis Divinos honores non arrogaret, *Horum,* inquit, *unum si præstitisset alius, illi jam dudum radiatum caput & media inter Deos sedes, auro staret aut ebore, augustioribusquè aris & grandioribus victimis invocaretur.* Ad quem locum Lipsius ille magnus notat Iovem & Majorum gentium Deos sedentes plerumq; solitos fingi. In hominum ergo Statuis rarus hic status, nisi postquam in numerum Deorum recepti essent. Eoquè positu Augusti consecrati Statuæ conspiciuntur in nummis ejusdem Imperatoris ap. Goltzium pag. XXIII. num. 22. Et pag. XLVII. num. 20. Sic cum Macrinus Imperator Bassianum inter Divos referri curaret, duas etiam statuas sedentes ipsi decrevit, ut tradit Capitolinus in Macrino; Fortè sedendi honorem Diis præcipuè convenire, quasi æternitatis quâdam significatione arbitratus. Nisi quod Neronis Statuam in sede legimus apud Tac. Ann. XV. *Medio,* inquit, *tribunal, sedem curulē, & sedes, effigiem Neronis sustinebat.* Et certè venerationem quam numini solebat, huic sedenti Neronis Statuæ impendit Barbarus Theridates, stupidâ planè & vesanâ superstitione; Nam ut Deo victimas cecidit; Sed quid hoc de Nerone miramur quem constat, ne cœlo parceret, etiam Colossum Diis debitum decus suæ ambitioni consecrasse. De simili sede vel suggestu legimus apud eundē Tac. Hist. I. in quo Othonem collocaverint. *In suggestu,* inquit, *in quo paulò ante aurea Galbæ statua fuerat, medium inter signa Othonem collocant.* Illud tamen negare non ausim, statuas sessiles factas etiam hominibus fuisse,

quoties id inventa artificum aut historiæ ratio, vel alia quæcunquè causa flagitaret. Hæc autem quæ nunc traduntur, de iis, quæ plerumquè ab antiquis observari consueverint, tantum dicta volumus. Etenim recentiore instituto Pontificum Romanorum Statuæ sedentes fictæ sunt, ut speciatim de Leonis X. Statua in Capitolio notat Andr. Fulvius Antiqq. Rom. 11, 2. & potuére observare in pluribus, quibus ea loca contigit videre. Quod factum procul dubio est, ob eminentiam & dignitatem Pontificum, quâ ad Deum proximè accedere, & mortalibus antestare, à suis cultoribus putantur. Aliàs sedendi habitum securitatem & constantiam significasse veteribus indicio est locus Artemidori 11, 42. *Fortuna super Cylindro stans, omnibus mala significat, propter basis ipsius periculositatem.* Et statim. *Semper autem bona est sedens & recinata, securitatem enim & constantiam per ipsam figuram demonstrat.* Sed è contrario Hæreticis Sessiles factas statuas legimus, verum in probrum. Humi, sine sede. Theodosius enim Constantinopoli marmoreas Statuas Arii, Macedonii, Sabellii, Eunomii sculpi curavit, desidentes humi, ad notandam eorum perfidiam, ut à prætereuntibus stercore ac luto contaminarentur, ut notat P. Gyllius lib. 2. Topograph. Constantinopolit. Porro frequentissimus erat statuarum positus, quo erectæ in pedes statuebantur, unde & illa pedestrium Statuarum appellatio. Alius præterea fuit Status cubantium, inclinatorum in latera, prorsum vel retrorsum. Sed de quibus non operæ precium est hoc loco agere, ne Artificibus præcepta concinnare videamur. Interim nonnulla hic, ubi de pedestrium statuarum formâ satis pro instituto egimus, de varia earundem Magnitudine addenda sunt, unde simul judicium de cœteris fieri possit, ne eadem semper in singulis, & κατὰ λεπτὸν sectari sit opus. Diversa itaquè illa fuit. Placet hic audire varium discrimen, ex Pomponio Gauricio, Dial. de Sculpt. qui quatuor statuarum ordines prodit, *Pariles, magnas, majores, maximas. Pariles*, cum ejus qui exprimeretur, statura undiquè repræsentabatur. Hæ dari solitæ sapientibus & benè meritis viris. *Magnæ*, cum infra sesquialteram statura continebatur, quæ & Augustæ dictæ, quod Regibus & Imperatoribus dicarentur. *Majores*, quando ad alteram excreverint, positæquè illæ solis Heroibus. *Maximæ* verò, cum ter humani corporis Statura gemina-

minaretur, itemquè rursus ac rursus. Dicebantur Colossi & Deorum fuêre. Sed quia hæc partitio minores Statuas excludit, in universum placet tres magnitudinis gradus ponere. Aut enim fuêre Statuæ *infra humanam staturam*, aut *intra* eandem, aut *supra*. *Infra* illam fuêre *Statuæ Tripedaneæ*, tres tantum pedes longæ, quæ mensura olim honorata apud Romanos erat. Plin. XXXIV, 6. *Non omittendum*, inquit, *quod annotavêre Annales, Tripedaneas his* (injuria cœsos intelligit) *statuas in foro statutas. Hæc videlicet mensura honorata tunc erat.* Ad hanc mensuram existimat Volffg. Lazius Comment. Reip. Rom. IX, 19. referri debere Imperatorum imagines, quæ inter Romanarum legionum signa gestabantur, quasquè adorare jubebantur milites. Item signa, quæ vocabantur *Tuscanica*, in Hetruria factitata, de quibus Plin. dict. lib. cap. 7. Et Horatius Epist. lib. II. Ep. 2. qui *Tyrrhena sigilla* eadem appellat. Tuscia enim sive Hetruria, vulgò Toscana, à Græcis Tyrrhenia dicta fuit. Idem de Corinthiis dictis existimat: Argumento esse potest præter alia, quod, monente Plinio dict. lib. cap. 8. circumferri consueverint, necessè est itaquè non adeò magna fuisse. Quin & adhuc minora fuisse signa, voces nonnullæ passim ab authoribus ὑποκοριστικῶς usurpatæ arguunt. De *Imaguncula* puerili Augusti Suetonius in ejus vita loquitur. *Icunculæ* puellaris idem auctor in vita Neronis cap. 56. mentionem facit. *Statunculas* nominat D. Cyprianus in de aleatorib. & Pet. Damianus, ut notat C. Barthius XVIII, 8. Illæ verò, quæ humanam mensuram æquabant, *Pariles* dictæ fuêre. Eædem sine dubio cum illis Græcorum, quas *ἰσομετρήτους ἀνδριάντας* appellabant. Eunapius in vita Proæresii. *Statuam illi ex ære pari magnitudine consecrarunt.* Huc referendæ *Iconicæ statuæ*, tam ob similitudinem ex membris eorum, quibus ponebantur, expressam, quàm ob parem magnitudinem ita dictæ. Turnebus Adversf. XXVII, 26. comprobat, dicitquè imaginem Iconicam esse, quæ magnitudinem, formam omniaquè ad unguem alicujus lineamenta reddit: Harum meminit Athenæus lib. I. Ἀγάλματα εἰκονικά, eas appellans. Meminit & Plinius XXXIV, 4. ubi ait. *Olympiæ, omnium qui vicissent, statuas dicari mos erat. Eorum verò, qui ter ibi superavissent, ex membris ipsorum similitudine expressa, quas Iconicas vocant.* Quippè non oportuit erigi majores corpore ejus, qui

victor extitisset; Et ut hoc exactè fieret, Hellanodicis cura incumbebat, de qua re Lucianus de imaginibus. *Audio*, inquit, *nequè victoribus Olympicis majores corpore statuas erigi concessum esse, Sed curæ esse Hellanodicis, ut ne unus quidem veritatem excedat temerè, atquè exactissimè Statua expendatur ad Athletæ certamen, & corporis quantitatem.* Inter Statuas humanam magnitudinem excedentes, agmen facile ducunt, quas *Colossos* nominant. Colossum dictum vult Suidas παρὰ τὸ κολούειν τὰ ὄσσα, διὰ τὸ μέγεθος, ὡς μὴ ἐφικνουμένων τῶν ὀφθαλμῶν ὁρᾷν. *ab hebetando seu retundendo visu, quod oculi ad tantam altitudinem pertingere non possint.* Vndè ambitiosa hyperbole Martialis. lib. 1.

Hic ubi sidereus propius videt astra Colossus.

Et ludit in magnitudinem Colossi solis more suo jocularis ille Lucianus in Iove Tragœdo, negatquè illi in consilio Deorum locum esse; Nam si ille præsideret, omnes cœteros Deos discessuros, ut soli illi ad sedendum locus fieret, omni spatio vel alternis tantum natibus occupato. Plin. xxxiv, 7 de magnitudine illa, *Moles quippe*, ait, *excogitatas videmus statuarum, quas Colossos vocant, turribus pares.* Indequè translata est etiam ad homines, grandi vastoquè corpore præditos aliqua denominatio. Sic Esius Proculus apud Sueton. Caligul. xxxv. ob egregiam amplitudinem & speciem *Colosseros* dictus est. Vtrumquè, ait Casaubonus, voce Colosseros eleganter exprimitur; Amplitudo corporis priore parte compositæ hujus dictionis; forma venusta & amabilis posteriore. Sed veteri instituto Colossi & Statuæ majores solum Diis dicabantur. Ex Tranquilli fragmentis, quæ Grammaticorum nobis industria servavit, hoc apud Isidorum lib. VIII. Orig. Cap. 7. extat. *Cum primum homines exuta feritate rationem vitæ habere cœpissent, sequè ac Deos suos nosse; cultum modicum ac sermonem necessarium commenti sibi, utriusquè magnificentiam ad religionem Deorum suorum excogitaverunt. Igitur ut templa illis, domibus pulchriora, & simulacra corporibus ampliora faciebant; Ita eloquio etiam quasi augustiore honorandos putaverunt, laudesque eorum & verbis illustrioribus & jucundioribus numeris extulerunt.* Nec temerè aliud invenies

apud

apud antiquos scriptores. Lucian. in Somnio sive Gallo, de Colossis loquens solos Deos nominat. *Etenim*, ait, *quisque illorum Neptunus ipse est, aut Iupiter mirifice decorus.* Idem quoque Colossum in Iove Tragædo inter Deos διαλογίζοντας ponit. De variis item Deorum Colossis apud Romanos, partim aliunde invectis, partim in Italia factis, vid. Plin. d. l. ut eos hic enumerare non operæ sit precium. Hoc vero institutum postea suæ ambitioni servire cogebant nonnulli ex Romanorum principibus. De Nerone Plinius XXXIV, 7. *Zenodorus Arvernis Romam accitus est à Nerone, ubi destinatum illius Principis simulacrum Colossum fecit, C X. pedum longitudinis, qui dicatus solis venerationi est, damnatis sceleribus illius Principis.* Commodus autem postea eundem Neronis capite dejecto, suoque imposito, sibi vindicavit. Ælius Lampridius. *Colossi autem caput demsit, quod Neronis esset, ac suum imposuit, & titulum more solito subscripsit.* De Gallieno Trebellius Pollio. *Statuam sibi majorem Colosso fieri præcepit, solis habitu. Sed ea imperfecta periit. Tam magna denique cœperat fieri, ut duplex ad Colossum videretur. Poni autem illam voluerat in summo Esquiliarum monte, ita ut hastam teneret, per cujus caput infans ad summum posset adscendere. Sed & Claudio & Aureliano deinceps stulta res visa est, siquidem etiam equos & currum fieri jusserat pro qualitate statuæ, atque in acutissima base poni.*

Excusatius fortè Hadrianus fecit, qui alii non sibi posuit. Spartianus in Ælio Vero. *Statuas sanè Ælio Vero per totum orbem Colosseas poni jussit.* Et Alexander Severus, qui ad ornatum publicum urbis illam curam direxit. Lamprid. in Severo. *Statuas Colosseas in urbe multas locavit, artificibus undique conquisitis.* Hæc, inquam, priscorum Imperatorum fuere opera. Quæ si ex magnitudine æstimes, videbuntur fortassis potuisse cũ omni ævo certare. Sed hodiè ubi apparent? Ex hac antiqua magnificentia nihil spectandum Romæ restat, præter digitos aliquot, & pedes, & caput marmoreum, ex quo reliquam corporis magnitudinẽ facilè censeas, si angulos

unius

unius oculi distare cubiti ferè intervallo noveris. Pes item Colosseus pollicem habet cubiti longitudine. Est & caput æreum magnitudinis stupendæ; quæ omnia in Capitolio intra ædes conservatorum (est illud Magistratus urbani nomen) spectantur. Quod illustrare hanc rem non parum possit, adjungam dimensionem statuæ equestris Imperatoris, ni fallor, Justiniani, quæ Constantinopoli ad vestibulum D. Sophiæ sita erat, prout eam Nicephorus Gregoras Hist. Rom. lib. VII. ipse αὐτόπτης exhibet. *Est igitur*, inquit, *circuitus capitis statuæ orgya una proceri viri: Tantundem etjam ab humeris ejus usquè ad capitis imperatorium insigne: magnitudo cujusquè manuum digiti, spithama: longitudo basis pedum, quatuor spithamarum, uno triente minus: Longitudo crucis globo incumbentis, spithamæ quatuor: latitudo spithamæ tres: Globi capacitas mensuræ civiles tres: Ab equi pectore usquè ad caudam, orgyæ tres: eodemquè modo crassitudo colli ejus orgyæ tres ferè: à summo naso usquè ad aures ejus, orgya una: Cruris ejus crassitudo in orbem, spithamæ quinquè.* Vltimò nec illud prætereundum est, quod fuerint nonnulli, qui quod breviculâ staturá essent, majoribus in statuis conspici gestierint, quàm pro modo corporis. De L. Actio Poëta, Plinius XXXIV, 5. *Notatum ab Authoribus, & L. Actium Poëtam in Camænarum æde maxima forma Statuam sibi posuisse, cum brevis admodum fuisset.* Quod ridiculum planè fuit, non minus, quàm si darentur, nisi ob valdè ingentia merita. Hinc festivè Plautus Curcul. Sc. I. Act. III. *Septempedalem statuam.* Therapontigono militi assignat, quem in Cariâ, locanda sibi hâc statua, occupari, Lyconi Trapezitæ Curculio respondet,

> *Ibi*, inquit, *nunc statuam volt dare auream,*
> *Solidam, faciundam ex auro Philippæo, quæ siet*
> *Septempedalis, factis monumentum suis.*

Adeoquè non male his postremis quadrare videtur jocus ille Alexandri in Milesios, de quo Plutarchus in Apophthegm. cap. XXXVII. *Mileti conspicatus multas statuas Athletarum, qui Olympia & Pythia vicissent, Vbi, inquit ista tum erant corpora, cum barbari urbem vestram oppugnarent?*

CAPUT XVIII.

De Statuis Equestribus. Cur hâc forma facta? Equo vehi magnificum semper habitum. ἹΠΠΟΤΥΦΊΑ *Equestrium statuarum origo undè. Rarus ap. Romanos initiò earum honos. Nec nisi ob merita summa datus. Liberaliores hic Graci. Æmilii, Lepidi, Augusti, Domitiani, Trajani, Iustiniani, equestres Statua in nummis & libris servata. Quemadmodum hic honos postmodum eviluerit, ad Victores Circensium, & Aurigas detrusus. Roma, & alibi passim, quid hodieque hujus rei spectetur, aut ex veteri avo residuum, aut ex nostro recens. Statua Curules. Effigies in curru. Origo. Triumphantibus, & imperium insigniter ampliantibus tales imprimis donata. Bijuges. Quadrijuges, Sejuges. Equi quomodò in illis juncti. Elephanti Principibus decreti, & quare?*

SVperest ut de Equestribus & Curulibus Statuis pauca dicamus. Equestres ab equo dictæ quod equo insidentes fingerentur. Liv. II, 13. de Clælia. *Romani novam in fœmina virtutem novo genere honoris, statua equestri donavêre. In summa sacra via fuit posita Virgo, insidens equo.* Fiebat illud insigni, ut vides, honoris testimonio. Equus enim gloriosum animal, & Equitare magnificum semper fuit. Frequentissima enim est animalis ejus apud Hieroglyptas & Oneirocritas de gloria & dignitate interpretatio. Et verbis disertis Achmes cap. 233. *Equus generosus,* ait, *qui Phares dicitur, ad eminentiam & dignitatem refertur. Similiter & equa, quæ Pharas, generosam fœminam portendit; equi deindè vulgares de nobilitate ac gloria quadam inferiore accipiuntur.* Inferiore quidem, ut vides, sed tamen gloriâ. Quare apud Horatium Aristippus, cum Diogeni sordes & vilitatem exprobraret, splendidius multò esse ait,

Equus ut me portet, alat Rex,

Cum alii plerique Philosophi indignum sua professione id existimarent, tanquam veræ moderationis præceptores. Et Plato ipse cum aliquando in equum conscendisset, confestim descendit, metuere se dicens, ne ἱπποτυφίᾳ ληφθῇ, *Equino fastu contaminaretur.*

Sed de Statuis equestribus, ne immemores simus, nunc agimus.

agimus. Earum è Græcia origo à Plinio indicatur. XXXIV, 5. *Equestres*, inquit, *Statuæ Romanam celebrationem habent, orto sine dubio à Græcis exemplo; illi Celetas tantum dicabant in sacris victores.* Sed tamen vetusta satis Romæ fuit. Cap. 6. *Equestrium autem origo perquam vetus est, cum fœminis etiam honore communicato; Clæliæ enim statua est equestris, ceu parum esset togâ eam cingi.* Vbi tanquam inusitatum & insolens quiddam notat, quod equestrem statuam habuerit fœmina; Ex quo etiam liquet, raro admodum & non nisi gravissimis de caussis decretas id genus statuas. Liv. lib. VIII. cap. 13. de L. Furio Camillo, & C. Mœnio Coss. qui totum Latium subegêre. *Illorum*, inquit, *triumpho additus honos, ut Statuæ equestres eis, rara illa ætate res, in foro ponerentur.* Subscribit Vellejus II, 61. *Eum*, inquit, (Augustum intelligens) *senatus honoratum equestri Statua, quæ hodiequè in rostris posita, ætatem ejus scripturâ indicat (qui honor non alii per CCC. annos, quàm L. Syllæ, & Cn. Pompejo, & Cæsari contigerat.) Pro Prætore una cum consulibus designatis, Hirtio & Pansa bellum cum Antonio gerere jussit.* Adeoquè eò, quod insignis fortitudinis præmium Statua equestris esset, mollibus & parum viris exprobrat Clælia apud Senecam, quod lectica veherentur, in illa urbe, ubi equo donata esset fœmina. Consolat. ad Marciam. cap. XVI. *Clælia*, inquit, *exprobrat juvenibus nostris pulvinum adscendentibus, in ea illos urbe sic ingredi, in qua etiam fœminas equô donavimus.* Verum Græci liberalius aliquantò hoc decus impendebant. Alexander quippè Magnus centum viginti equitum ad Granicum cœsorum, singulis equestris statuæ honorem habuit. Iustinus XI, 6. *De exercitu*, inquit, *Alexandri, nongenti pedites, centum viginti equites cecidêre, quos Rex impensè ad cœterorum solatia humatos statuis equestribus donavit.* Illas verò è Macedonia Romam transtulit Metellus Macedonicus, & in suis porticibus Romæ locavit, ut supra cap. VII. dictum. Harum meminit & Vellejus I, 11. additque in illis Alexandri ipsius fuisse. *Magnum*, inquit, *Alexandrum impetrasse à Lysippo ferunt, singulari talium authore operum, ut eorum Equitum, qui ex ipsius turma apud Granicũ flumen ceciderant, expressa similitudine figurarum faceret statuas, & ipsius quoquè iis interponeret.* Et ille quidem justissimè hoc decus accepit. Nec temerè invenies apud Romanos, stante Rep. aut inter initia Cæsarum, nisi illu-

illustribus & insignibus viris illud tributum. Marci AEmilii Lepidi Triumviri, complures Equestres exhibent nummi antiqui apud Goltzium, in numismatis ejusdem. pag. XXXII. num. 1. 3. 10. 12. & pag. XXXIII. num. 2. Augusti quoquè multas apud eundem videas, in Imperatoris ejusdem nummis, pag. XXXVI. num. 23. XLVI. numm. 1. 2. 3. 4. 6. 7. 9. 10. 11. & XLVII, 17. Decantata fuit & celebris inter cœteras Romanorum equestres, illa Domitiani Cæsaris, quam ipsi S. P. Q. R. ob victos Dacos fieri præcepit. In qua describenda, Statius lib. I. Sylvar. omnem industriam intendit. Magnitudinem ejus stupendam præcipuè celebrat. Confert enim illam cum equo Trojano, ubi ait,

Nunc age, fama prior notum per secula nomen,
Dardanij miretur equi, cui vertice sacro
Dindymon & cæsis decrevit frondibus Ida.
Hunc nequè discissis cepissent mœnia muris,
Nec grege permixto pueri innuptaquè puellæ,
Ipse nec Æneas, nequè magnus duceret Hector.

Et mox cum equo Curtii vicino,

Ac primum ingentes habitus, lucemquè Coruscam
Expavit majoris equi.

Ac iterum cum Statua equestri Cæsaris,

— — — — *Vix lumine fesso*
Explores, quàm longus in hunc despectus ab illo.

Itemquè alia ibi notanda quæ exscribere non vacat. De Trajani Equestri Statua vid. Ammian. Marcell. lib. XVI. cap. 17. De Justiniani, Zonaram III. Annal. & Codinum in Origin. Constantinop. Sed ad ultimum hic principalis equestrium statuarum honor adeò evilescere cœpit, ut ad Circensium Victores & aurigas transiret. Martial. Epigr. V, 26. Equites pelli gradu in spectaculis ob egestatem queritur, neminem verò liberalitate sua illorum subvenire dignitati, cum illud honestius facturi essent, quàm quod opes suas impenderent statuæ equestri aurigatoris Scorpi,

Hoc rogo non melius? inquit,
Quàm non sensuro dare quadringenta Caballo,
Æreus ut Scorpi nasus ubiquè micet?

Et lib. IV, 67. de ejusdem Scorpi Equo.

Quod non das Equiti, vis dare, Prætor, Equo?

Hunc morem, quo & Circi victoribus ejusmodi ingentia præmia decernebantur, notat Bulengerus de Circo, c. 33. Et quasi indignatur non modo bravia, coronas, sed statuas, titulos ac elogia, prima victoriæ præmia illis decerni. Sed veterum Statuarum Equestrium, quarum P. Victor Æneas inauratas 24, Eburneas 49. fuisse in urbe dicit, ferè nullæ hodiè supersunt, si unam M. Aurelii Antonini excipias, quæ olim ad ædem Lateranensem posita erat, ut tradit Andr. Fulvius antiqq. Rom. IV, 36. Iam verò in arca Capitolii visitur, illuc à Paulo III. anno MDXXXVIII. translata, ut recens inscriptio in ejusdem basi indicat. Propioris verò ævi, non pauca hujus generis monumenta, fortè antiquis nequicquam cedentia spectantur Romæ, & alibi in Italiâ. Eximia est illa Henrici IV. Galliæ Regis in porticu quadam Lateranensis templi, ex ære, ejus ni fallor, reditionis ad Ecclesiam Romanam à reformata religione monumentum. Insignis est & ille Equus Æneus 10 cubitos altus, & altero tanto longior, in Palatio Rucellajorum ad arcum Domitiani, hodièquè *Portogallo* collocatus, quem Andr. Fulvius Antiqq. Rom. append. tradit honori Henrici II. Galliarum Regis destinatum fuisse, decretumquè simulacrum ejusdem Regis ex metallo imponi, ad similitudinem statuæ Equestris M. Aurelii Antonini. Interea verò defuncto Henrico, circiter XXII. annos, opus, quod afflicta civilibus armis Gallia, ob dilatas impensas consummari, & Lutetiam transferri non potuit, Romæ remanserat, illudquè postmodum Henricus III. Horatio Rucellajo Forentino, benè de se merito, & spectatæ virtutis viro donavit. Alibi etiam in Italia visuntur Equestres Statuæ ob artis celebritatem operisquè elegantiam, vel tantum non tacendæ. Florentiæ in foro spectabilis est Cosmi medicis ex ære. Venetiis Bartolomæi Coleoni. Patavii ad D. Antonii templum, Gattæ Meletæ, Veneti exercitus Ducis. Ticini in foro, Iconica Equestris ex ære Antonini Pii. Quarum passim etiam mentionem facit in suo Mercurio Italico Iohan. Henricus à Pflaumern. Nequè hujus decoris expers Gallia est. Nam Lutetiæ

Pari-

Parisiorum spectantur insigni artificio Equestres duæ præsertim. Vna Henrici I V. in ponte novo, de qua vide Baudoinum in annotation. ad Tacit. Histor. Et altera Ludovici XIII. in campo Regio, vulgo *Place Royale* dicto. Cæterum ponebantur & statuæ Curules. Dio Cassius. lib. XLIII. De Iul. Cæsare. *Decrevit Senatus ut currus, ipsi adversum Iovem spectans in Capitolio collocaretur.* Et lib. XLIX. de Antonio. *S. Pompeji mortis causa, Cæsar Augustus ludos Equestres exhibuit, Antonioquè currum apud rostra, & Statuas in templo Concordiæ posuit.* Dictæ curules ex eo, quod in curru conspiciebantur, quibus dicatæ fuêre. Ipsa enim Statua vel effigies in curru ponebatur. Iuvenalis Satyra VIII. inde appellat.

—— Stantes in curribus Æmilianos.

Itemquè Prudentius lib. 2. in Symmach. sic nominat, *Miramur*, inquiens, *Currus*;

—— —— Stantesquè Duces in curribus altis
Fabricios, Curios, hinc Drusos, indè Camillos.

Et Vetus inscriptio habet.

OPVS. QVADRIGÆ. CVM. EFFIGIE. IMP. HADRIANI. AVG.

Illarum quoquè Statuarum Originem è Græcia arcessit Plinius XXXIV, 5. ubi postquam ostendisset Græcos solitos ponere celetas, bigas, vel quadrigas sacrorum certaminum victoribus, addit, *Vnde & nostris currus in his qui triumphavissent.* Qui locus simul monet, viris triumphalibus hunc honorem habitum & triumphales Statuas fuisse plerumquè Curules. Tacit. Agricol. *Illustres Statuas* appellat; *Igitur*, inquit, *triumphalia ornamenta, & illustris statuæ honorem, & quicquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata decernit.* Quanquam & equestres datæ pro triumpho, Q. Marcio Tremulo triumphanti de Hernicis contigisse, Liv. lib. IX. tradit. Porro non solùm triumphantibus, sed quibuscunquè etiam imperii fines insigniter ampliantibus hoc à Romanis tributum, Suet. August. cap. XXXI. notat. *Proximum*,

 inquit,

inquit, *à Diis immortalibus honorem memoriæ ducum præstitit Augustus qui imperium populi Rom. ex minimo maximum reddidissent. Itaquè & opera cujusquè manentibus titulis restituit, & Statuas omnium triumphali effigie in utraquè fori sui porticu dedicavit.* Erant autem Curules illæ Statuæ plerumquè vel *bijuges*, vel *quadrijuges*, vel *sejuges*. Bigarum meminit Plinius modo adducto loco. *Non vetus*, inquit, *& bigarum celebratio in his, qui prætura functi, curru vecti essent per Circum.* Similiter mentionem facit inscriptio vetus Præneste.

A. MVNIO. A. F. MIN. EVARISTO. SPL. EQ. R. PAT. COL. OMNIB. HONOR. NITIDE. FVNCTO. OB. INSIGNEM. EIVS. EDITIONEM. MVNERIS. BIDVI. POPVLO. POSTVLANTI. BIGAM. PLACVIT. EQVEST. STATVA. DECRETO. ORDINIS. EVM. ORNARI.

In nummis Augusti Bijuges Curules Statuas exhibet Goltzius pag. XLIII. num. 15. Et pag. XLVII. num. 22. De quadrijugis Iul. Capitol. Gordiano Tertio cap. XXVII. De Misitheo Gordiani Socero. *Misitheo*, inquit, *quadriga equorum decreta est, & currus triumphalis.* Trebellius Pollio in Tyrann. *Nequè enim*, inquit, *melior vir quisquam fuit, neque constantior, postquam cæteri consulti statuam inter triumphales & currus quadrijuges Pisoni decreverunt.*

Item Iuvenalis Sat. 7.

Hujus enim stat currus aheneus, alti
Quadrijuges in vestibulis.

Et Prudentius II. in Symmach.

Frustra igitur currus summo miratur in arcu
Quadrijuges.

Suntquè isthæc τέθριππα illa, quorum honorem, ut insignem, suis beneficiis impendi à Cypriis & Asiaticis non sustinere sese innuit ad Aticum Cicero Epist. 21. lib. V. Hic obiter notandum

est

est, equos illos non singulos binos ut nunc fit, in quadriga junctos, sed quatuor æquata fronte, quorum duo jugo alligati, jugales dicti fuêre, reliqui verò duo funales, qui loro juncti extra currum. Illi Ζύγιοι, hi παρήοροι ideò à Græcis dicti. vid. Suidam & Hesychium. Nec alio sensu unanimes equos dici putaverim à Claudiano in Epigr. de quadriga marmorea.

Quis dedit innumeros uno de marmore vultus?
Surgit in aurigam currus; paribusquè Lupatis
Vnanimes frenantur equi.

Sejugum porrò meminit Apulejus in Floridis. *Vir*, inquit, *cui omnes provinciæ quadrijuges & Sejuges currus ubiquè gentium ponere gratulantur.* Sed clarius Plinius XXXIV, 5. qui ævum notat, & Augusto tribuit. *Non nisi*, inquit, *à Divo Augusto sejuges, sicut & Elephanti.* Vbi simul & de Elephantis discimus, qui Principibus decreti, forte ob animalis istius nobilitatem & generosam indolem, quæ quodammodo Principibus & magnis viris convenit. Sic enim de ea re Achmes Oneirocrita cap. 270. *Elephantus ad amplissimum & opulentum virum interpretando refertur.* Et deindè magis ad præsens negotium appositè. *Si quis Elephanto vehi visus sibi fuerit, Princeps erit, & principis alicujus amplissimi possessionibus potietur.* De ejusmodi Elephantorum Statuis Capitolinus in Maximinis duob. loquitur. Vbi ita acclamatum Principibus refert. *Victoria causa Principibus nostris Maximo, Balbino, & Gordiano Statuas cum Elephantis decernimus, Currus triumphales decernimus, Statuas equestres decernimus, Trophæa decernimus.* Qui tamen videntur præcipuè juncti quadrigis. Idem Capitolinus Gordiano Tertio, cap. XXVII. *Quadrigæ Elephantorum Gordiano decretæ sunt, utpotè qui Persas vicisset, ut triumpho Persico triumpharet.*

CAPUT XIX.

Habitus Statuarum. Circa gestum situmquè membrorum quid præcipuè observatum. Gestuosa manus. Pacificator habitus in Statuis quis? Dextra elata quid signarint Veteres? Causidicorum Oratorumquè Statuæ manibus

exertis apud Romanos, contra quàm Græcis usurpatum. Ex digitorum situ Sestuquè cognita interdum gestorum Magistratuum & honorum vices. Hinc quoque explicatus Plinii de Statua Iani. Statua Semiramidis. Ex aliis membris, alia similiter affectiones indicata. Habitus Citharœdicus & Athletarum Alia item hominum opera, & conditiones repræsentata. Cautum interim, ne quid fieret præter decorum. Claudiani Epigramma laudatum.

SED nequè omittendum est, de vario Statuarum habitu aliquid proferre, ut promisimus. Per habitum intelligo non vestitum solum sed & gestum. Ita Agrætius, *Habitum de vestitu gestuquè corporis dicimus*. Quem gestum sivè situm membrorum in Statuis Asconius aliàs, *Figuram*, dici ait, Comment. in Verrin. action. quæ est de Prætura Vrbana. *Figura*, inquit, *est circa gestum situmquè membrorum.* Gestus verò illi exprimi solebant, qui vel animi affectum; vel rarum aliquem eventum significarent, vel artem, quam quis profiteretur, aut aliud quodcunquè opus, vel deniquè fortunam & conditionem hominum ostenderent. Fiebantquè tum manu potissimum, unde *Gestuosæ manus*, Gellio. Noct. Att. lib. 1. Cap. 5. dicuntur, tum reliquo corpore, vel quibusdam saltem membris. Pauca de singulis, vel testimonia, vel exempla sufficient. Inter omnes præcipuus & maximè celebris est ille *Pacificator*, de quo Quintil. XI, 3. *Fit*, inquit, *& ille habitus, qui esse in Statuis Pacificator solet, qui inclinato in dexterum humerum capite, brachio ab aure protenso, manum infesto pollice extendit, qui quidem maximè placet iis, qui se dicere sublatâ manu jactant.* Sublevare manum solebant imperantes, hortantes, monentes, itemq; jussis obtemperantes. Vndè in Imperatorum statuis, quæ honori eorum post bella confecta, & pacem redditam fiebant, gestus ille exprimi solebat tanquam imperantium arma ponere, & significantium pacata esse omnia. Talis fuit in pedestri Iulii Cæs. Statua, ut in ejus nummo expressa est, quem inter cœteros ejus Cæsaris exhibet Goltzius pag. XI. num. 8. Talem fuisse in Augusti Statuis, quæ ipsi tum sine dubio decretæ fuêre Romæ, cum fugato S. Pompejo res Siciliæ composuisset, ostendunt eius Imperatoris nummi quatuor apud eundem Goltzium. pag. XLVI. num. 4. 6. 7. 9. Nec alius erat ille in Domitiani statua Equestri, de quo Statius Sylvar. lib. I.

Dextra vetat pugnas.

E

Et hodiequè ſpectatur in M. Aurelii, illa, quæ olim ante ædem Lateranenſem poſita, nunc in area Capitolina viſitur.

Nam pacem illo geſtu ſignificari diſcimus ex Cæſare de bello Gallico lib. VII. *Tametſi dextris humeris exertis animadvertebantur, quod inſigne pacatis eſſe conſueverat, tamen idipſum ſui fallendi cauſa milites ab hoſtibus factum exiſtimabant.* Et turbarum ſeditionumque ſedationem. A. Perſius Sat. IV.

Ergo cum mota fervet plebecula bile
Fert animus calidæ feciſſe ſilentia turbæ,
Majeſtate manus.

Milites itidem elatis dextris annuebant. Lucanus Pharſal. lib. I.

His cunctæ ſimul aſſenſere cohortes,
Elatasquè altè, quæcunquè ad bella vocaret,
Promiſere manus.

Sic etiam dextræ manus exeri in Oratorum & Cauſidicorum Statuis ſolebant, ut notat Dempſter. Paralip. ad IX. lib. Antiqq. Rom. Roſini, quem geſtum Oratoribus quibuſdam placere Quintil. dicto loco oſtendit. Fuerit illud apud Romanos; certè contrarium Oratorum Græcorum Statuæ oſtendunt. Nam ut in Statua Solonis illum geſtum exprimerent Salaminii, quo cum populo Athenienſi verba facere ſolebat, manum intra veſtem condidêre. Id indicat Æſchines orat. in Timarchum. *Satis ſcio*, inquit, *vos omnes trajeciſſe Salaminem, & Solonis ſpectaſſe Statuam; itaquè ipſi teſtari poteſtis, Solonem in foro Salaminiorum poſitum eſſe, manu intra veſtem condita. Quod eſt vobis, Athenienſes, monumentum ac ſimulacrum ejus habitus, quo ſit uſus, cum ad populum Athenienſem verba faceret.* Quod ſignum fuiſſe modeſtiæ, præterea conſtat ex Demoſth. Orat. de falſa legat. *Dixit*, inquit, *Solonem dedicatum eſſe, Exemplum modeſtiæ Oratorum, manum intra veſtem tenentem, quo reprehendit & exagitat Timarchi petulantiam.* Aliàs ex digitorum ſitu in Statuis cognoſci potuiſſe, quoties quis conſulatum aliumvè magiſtratum geſſerit, conjicere licet ex iis, quæ tradit Pierius Valer. Hieroglyph. lib. XXXVII. in Digitis. Nam ſi faſces, à dextra alicujus Statuæ eſſent, læva verò eo geſtu prætenderetur, ut unguiculus auricularis digiti ad medium volæ tuberculum adverteretur, primi conſulatus Hieroglyphicum apparebat. Nam digiti hoc vel illo modo compoſiti, nunc contracti, nunc

porrecti, omnem numerorum rationem apud antiquos explebant, teste Quintilian. 11, 3. Et multa istiusmodi in antiquorum Statuis reperire eodem loco idem diligentissimus antiquitatis Mysticæ indagator Pierius testatur. Nec scio an clariorem ab ullo interprete lucem accipere possit ille locus Plinii XXXIV, 7. Vbi de statua Jani à Numa Pompilio dicata, traditur, quod fuerit *digitis ita figuratis, ut trecentorum sexaginta quinquè dierum nota, per significationem anni, temporis & ævi se Deum indicaret.* Lubet eum hic audire suis se verbis explicantem. Cum Plinius, inquit, dicat digitis ita figuratis, verisimile non est, quod nonnulli putant, in dextra insculptam fuisse literam T. quæ apud Græcos trecenta significat in læva verò Ξ. & E quæ sexaginta quinquè supputant. Dicamus ergo ejus statuæ dextram eo gestu figuratam, ut ea exporrectâ tres inferiores digitos graduum in morem incurvatos haberet, qui gestus, uti dictum, trecenta signat. Lævam autem ita conformatam, ut index pollicis ungui circumductus arctissimâ eum circulatione complecteretur, infamis verò mediam palmam versus adcurvaretur, duobus reliquis exstantibus, quantumcunquè porrigi potuerint. Ita enim quinque & sexaginta describi. Hæc ille. Quæ verò fuerit hæc digitorum Iani figuratio, ex eodem cognoscitur, cum & manus depinxerit cum vario digitorum schemate gestuquè & numerorum notas singulis ad meliorem rei satis intricatæ intellectum adjecerit. Præter illum, rationem computandi per digitos etiam Rhodiginus XXIII, 11. & 12. quodammodo explicat. Sed plenius eandem Petrus Colvius executus fertur, quem videre adhuc non contigit. Præterea ex manuum gestu significari interdum solere rarum aliquem eventum, ex Statua Semiramidis ad ædem Deæ Syriæ Hierapoli posita, constat, quo exemplo quamvis externo, tamen hic utemur, quia illustre est. Rem ipsam ita exponit Lucianus de Dea Syria, Mycillo interprete. *Ad sinistram ædis, Semiramidis signum stat, ædem ipsam dextra demonstrantis. Stat autem talem ob causam. Hominibus quicunquè Syriam incolunt legem illa tulerat, ut se ceu Deam colerent, cæterorum autem Deorum, atquè ipsius etiam* Junonis *nullam rationem haberent. Atque illi tum ita faciebant. Postea autem ubi Deorum indignatione & morbi venerunt & clades, aliaquè mala, ab insania destitit, sesequè mortalem agnovit,*

vit, ac subditis iterum præcepit, ut ad Junonem converterentur. Ob eam igitur causam adhuc tali specie stat, indicans advenientibus Iunonem colendam esse, seque ipsam non amplius Deam esse, sed illam confitens. Innumeros præterea gestus fuisse in Statuis expressos, & cœterorum membrorum, puta, oculorum, oris, narium, humerorum, laterum, crurum, pedumquè, quæ pro diverso flexu, motuquè aut situ varios affectus propè quasi voce & sermone ipso indicarent, ut gaudium, iram, contemptum, minas, dolorem, pœnitentiam, spes, vota &c. ignorare non possunt, nisi qui aut nesciunt Statuariam artem imitatricem esse naturæ etiam viventis, aut putant homines eodem semper statu, & sine motu esse, quemadmodum ipsas Statuas, quorum illos oppidò rudes, hos penitus stultos esse, si qui sint, oportet. Possemus, si tanti esset, singula suis exemplis illustrare. Sed non supervacanea sectamur, magis ritibus antiquis investigandis, quam artis arcanis rimandis intenti. Illud addendum est, quod initiò dixi, non solum affectiones istas animi, sed etiam artes & alia hominum opera, quæ externo membrorum auxilio perficiuntur, vario corporis gestu sæpè solita notari. De Citharædico habitu statuarum locus apud Suet. in vita Neronis cap.xxv. locus hic extat. *Sacras coronas in cubili circum lectos posuit. Item Statuas suas Citharædico habitu, quâ notâ etiam nummum percussit.* Cujusmodi verò fuerit ille habitus, in primo Floridorum eleganter ostendit Apulejus, ubi de Statua Bathylli. *Cervix succi plena,* inquit, *malæ, uberes, genæ teretes ac modico mento facies, eiquè prorsus Citharædius status. Deam conspiciens, canenti similis, tunicam picturis variegatam deorsus ad pedes dejectus ipsos, Græcanico cingulo, clamyda velat utrumquè brachium ad usquè articulos palmarum. Cœtera decoris histrici dependent. Cithara baltheo cœlato apta strictim sustinetur. Manus ejus teneræ, procerula læva distantibus digitis nervos molitur, dextera Psallentis gestu suo pulsabulum citharæ admovet, ceu parata percutere. Cum vox in cantico interquieverit, interim canticum videtur ore tereti semihiantibus in conatu labellis eliquare.* Similem ferè gestum in Statua Apollinis, quæ in Augusti porticu erat, notat Propertius lib. II. Eleg. 31.

Hic equidem Phœbo visus mihi pulchrior ipso,
Mormoreus tacita carmen hiare lyra,

De Athletarum Statuis Æmilius Prob. in Chabria. *Hoc usquè eo tota Græcia celebratum est, ut illo statu Chabrias Statuam fieri voluerit, quæ publicè ei ab Atheniensibus in foro constituta est. Ex quo factum est, ut postea Athletæ, cæteriquè artifices his Statibus Statuis ponendis uterentur, cum victoriam essent adepti.* Docuit quippè Chabrias ille obnixo genu scuto, projecta hasta impetum hostium excipere. De Lacænis saltantibus vide Mercurial. Gymnast. lib. II. cap. II. Et infinita id genus apud Plinium XXXIV, 8. Et XXXVI, 5. Ad opera verò & quaslibet actiones significandas membrorum habitus componebatur pro arbitrio sive artificum, sive eorum, qui Statuas sibi fieri curabant, nec gestus ullus actiovè hominis excogitari potest, quæ non felici successu in Statuis similiter expressa reperiatur. Ἀποξυόμενος à Polycleto factus memoratur Plinio, priore ex citatis loco, & duo Ἀστραγαλίζοντες. *Fecit*, inquit, *& distringentem, & nudum talo incessentem, duosquè Pueros, item talis nudos ludentes, qui vocantur* Ἀστραγαλίζοντες, *& sunt in Titi imperatoris atrio, quo opere nullum absolutius perfectiusquè judicant.* Cujusmodi verò opus fuerit distringentis, ad eum locum Dalecampius indicat, Strigili nimirum sese defricantis, sudoremquè & sordes detergentis. De Discobolo Lucianus in Philopseude. *Nonne illam dicis, inquam* (Statuam intelligens) *quæ discum jacit, quæ inclinata est ad emissuri gestum, reflexa in eam, quæ discum fert, altero pede modice inflexo, quæ se erectura videtur cum jactu.* Miseram vitæ conditionem in Statua Hostilii Mancini expressam, Plinius XXXIV, 5. innuit. *Mancinus eodem habitu sibi statuit, quo deditus est.* Nudus & vinctus deditus fuit, ut Plutarch. in Gracch. narrat. Talis habitus est captivorum in arcubus Statutorum, quem exhibent nummi, & imprimis ille Drusi Germanici, quem inter opera Æneæ Vici reperio. Ibi arcus cum captivis duobus, & Statua ejus equestri superposita ostenditur. Meminit istiusmodi captivorum Iuvenal. Sat. X.

Bellorum exuviæ, truncis affixa trophæis
Lorica, &c.
— — Et summo tristis captivus in arcu,
Humanis majora bonis creduntur.

In omnibus verò observari volebant, ut quicunquè essent ge-

stus,

ſtus, probè & decorè reſponderent perſonis, quibus tribuerentur: Aliàs inepta nimis res viſa fuit. Dio Chryſoſt. Orat. XXI. *Quod certus quidam apud vos ſtat cæſtibus pugnans, qui & corpore ſit tenui & imbecillo, cæſtumquè nunquam attigerit, plane ridiculum eſt.* Sed quis ſingula perſequi poteſt? unum illuſtre exemplum proponam. Claudiani eſt Epigramma in Statuas Amphinomi & Anapi fratrum, parentes ſuos magno natu, ſublatos humeris, Ætnæ incendio eripientium. Quod meretur ob geſtuum actionumquè miram varietatem quæ ibi ab eleganti Poëta eleganter ſane depicta eſt, ut quantum ejus noſtro propoſito commodat, hic adſcribatur.

Aſpice ſudantes venerando pondere fratres,
Divino meritos ſemper honore coli.
Iuſta quibus rapidæ ceſſit reverentia flammæ,
Et mirata vagas reppulit Ætna faces.
Complexi manibus fultos cervice parentes,
Vt tollant vultus, accelerentque gradus.
Grandævi geminâ ſublimes prole feruntur,
Et carâ natos implicuere morâ.
Nonne vides, ut ſæva Senex incendia monſtret,
Vt trepido Genetrix invocet ore Deos.
Erexit formido comam, perquè omne metallum
Fuſus in attonito palluit ore color.
In juvenum membris animoſus cernitur horror,
Atque oneri metuens impavidusque ſui.
Rejectæ vento Chlamides, dextram erigit ille,
Contentus lævâ ſuſtinuiſſe patrem.
Aſt illi duplices in nodum colligit ulnas,
Cautior in ſexu debiliore labor.

Ibi ſimul vides in Statuis fratres illos ſudare ſub pondere parentum, tollere vultus, accelerare gradus. Deindè Patrem humeris filii fultum monſtrare manu incendia. Matrem verò vultu ſurſum verſo invocare Deos. Ita omnes deniquè geſtus exprimi, ut quid aliud diceret, qui vivum hominem ſeſe his periculis eripientem cerneret, non haberet. Sed ſatis de his.

CAPUT XX.

De vestitu Statuarum. Nudæ Græcis cur placuerint, aliis contra nuditatem illam detestantibus? Meretricium quid in nuditate observatum Oneirocritis. Liviæ dictum prudens & castum. Paupertas σαρκαστικῶς notata à Cicerone in nuda Filii Verris Statua. Probrum apud Romanos statui nudum. Romanas Statuas quo amictu velari oporteret, quibus ex rebus judicatum. Augurum & Pontificum Statuæ capite tectæ, & quare? triumphalis Ornatus Statuarum cujusmodi. Quotidiano vestitu quibusdam cerni volupe in statuis. Heroum Statuæ cur sine crepidis & calceis? Honorificum contra in fœminis conspici Sandalia. Discrimen in Statuarum habitu diversum, pro Reip. temporibus diversis tum pacis tum belli. Amictus civilis. Habitus Civilis, statuæ togatæ. Imago earum in nummis Lepidi & Augusti servata. Statuæ Stolatæ, Penulatæ, Palliatæ, Mitratæ, Vitratæ. Lupercalium quis habitus. Herculis Statuæ cur pelle tectæ; Hercules Scytato. Sagittis pelliger Tertulliano. Statuæ paludatæ. Statua Viri muliebri habitu, cur posita aliquando? Non semper ex eadem cum Statuis materie operimenta insculpta, sed veræ vestes injectæ interdam usu temporario. Deorum Simulacra vestita. In statuis Romanis cur nusquam pileus visatur; Ornamenta alia statuarum, Annuli, bullæ, armillæ.

ALterum restat, quod de habitu promisimus, *Vestitus nimirum, & arma,* quod alio nomine in statuis appellatur *Status* Ciceroni Verr. I. ut vult ejus interpres Asconius, cum ait, *Status est circa ornatum & habitum vestis, insignium & armorum.* De vario itaquè statuarum vestitu acturi, primò dicemus aliquando placuisse nudas. Idquè Græcorum ritu, qui nihil velant. Plinius XXXIV, 5. *Placuêre,* inquit, *& nudæ, tenentes hastam, ab Ephebcrum è Gymnasiis exemplaribus, quas Achilleas vocant. Græca res est nihil velare. Romana ac militaris thoracas addere.* Nudas fortè ideò fecerant, quod, ut dicit Lactantius de opific. Dei *ipsa nuditas hominis mire ad pulchritudinem facit.* Et hanc nuditatem in signo senis æreo, à sese empto Plinius Nepos lib. III. Epist. 6. non excusat solum, sed & deprædicat, hoc modo, *Est enim nudum, nec aut vitia, si qua sunt celat, aut laudes parum ostentat.* Nonnulli tamen parum severum aut pudicum judicantes prostare ad aspectum & usurpari oculis ea, quæ occultare natura pudorquè jubent, parum sibi placuisse illam nuditatem testati sunt, & maximè in sexu vereccundiore.

Sic

Sic nudam Venerem Côi aversabantur, nec emere volebant; quanquam excellentissimum artis exemplar. Plinius XXXVI, 5. *Duas fecerat Veneres Praxiteles, simulquè vendebat; Alteram velatâ specie, quam ob id quidem prætulerunt optione, quorum conditio erat, Côi. Cum alteram etiam eodem pretio detulisset, severum id ac pudicum arbitrantes. Rejectam Gnidii emerunt.* Illud etiam de nuditate Veneris. Oneirocritæ observant, quod illa tota nuda conspecta, non nisi meretricibus bona sit. Artemidor. lib. II. c. 42. *Venus tota nuda solis meretricibus bona est, & quæstus significativa.* Huc pertinet & illud Liviæ dictum apud Dionem Cassium lib. LVIII. *Cum obviam facti Liviæ quondam viri nudi, ea de causa essent necandi, eos ita morti eripuit, quod diceret, Pudicis mulieribus hos nihil à statuis differre.* Sed ut ibi libido nuditate notata est, ita non minus scitè ad paupertatis significationem eadem nuditas deflexa est à Cicerone, qui quasi ludens in verbo, inde occasionem arripit invehendi in rapinas & sacrilegia Verris, cujus filii statua in foro Syracusarum nuda erat statuta. Verrin. II. *Hujus*, inquit, *Fornix in foro Syracusis est, in quo nudus filius stat; ipse autem ex equo nudatam ab se provinciam prospicit.* Eodem fere sensu Astrampsychus. Γυμνὸς καθεσθεὶς σῶν ὑπεκστῇ πραγμάτων. *Nudus sedens, tuis cedes bonis.* Nudæ itaquè statuæ locabantur apud Romanos, sed raro, præsertim iis, qui in dignitate aliqua constituti fuere; unde apud Dion. Cass. lib. XLV. Cicero in Antonium invehitur, quod ipse consul, nudus Lupercalibus urbem percurrisset, & consulatus Majestatem, quæ populi publica erat, ista turpitudine affecisset. *Dignus profecto*, inquit, *Antonius, cui ipsi quoque statua ponatur; ut cum Horatius armatus in Tiberi conspiciatur, hic nudus in foro cernatur.* Ideò crebrius velatæ amictu aliquo erant, puta ex eâdem cum statuis ipsis materie. Vnde Artemidorus IV, 38. Oneirocr. *Quidam in Magnesia sibi visus æreis vestibus amictus esse; rectè mortuus est. Erant enim vestes ipsum complectentes immobiles, quales statuis circumdari solent, hæ autem non vivunt.* Ille vero amictus plerumquè addebatur, qui aut officii ejus, munerisquè proprius erat, in quo constitutus quisquè fuisset, eo tempore, quando ipsi decernerentur statuæ, aut quem quisquè sibi ad usum quotidianum induere soleret. Officii munerisquè insigne fuit

habitus

habitus Auguralis, quo conspicuæ erant statuæ Augurum; capite velato. Dionys. Halicarnass. III, 13. de statua Navii Auguris, à Tarquinio Prisco posita. *Ejus*, inquit, *æneam statuam fecit, eamquè in foro erexit, quæ ad nostra usquè tempora adhuc extabat ante Curiam posita, prope sacram ficum, minor hominis mediocris statura, & CAPITE VELATO.* Hoc habitu Augurali cernitur statua M. Antonii, capite scilicet velato & dextrâ lituum; qui Augurum insigne erat; præferente, in nummis Antonii ap. Goltzium. pag. XLVI. num. 8. Quin & Pontifices Maximi, quià hic ejus dignitatis cultus fuit, eò etiam in statuis suis spectari volebant. Sic Æmilii Lepidi statuæ duæ apud eundem Goltzium pag. XXXIV. num. 2, & 6. habitu pontificali cernuntur, velatis capitibus; & gerentes dextrâ manu capedunculas, sive vascula sacra, quorum usus erat in sacrificiis, quibus præerant Pontifices. Lepidus Pontificatum Maximum per vim invasit, post mortem Iulii Cæsaris, qui ipse Imperator hujus officii sacri honorem, antea etiam plebeiis communicatum sibi vendicavit, & cum Imperatorio culmine consistere voluit, quod ita etiam penes Imperatores mansit, usquè ad Gratianum, qui edicto vetuit, ne Pontifex Maximus appellaretur, ut Zosimus tradit. De more velandi capitis; Pontificibus & sacrificantibus usitato, passim traditur, ne hoc loco multis de illo agam. Illud tamen juverit forsan hic monuisse illum ab Ænea in Italiam transvectum, & sic postea in sacris mansisse. Aurel. Victor in Breviar. hist. Rom. de Ænea. *Cum interim*, inquit, *immolata sue in littore sacrificium perageret, traditur forte advertisse Argivam classem, in qua Vlysses erat; Cumquè vereretur ne ab hoste cognitus periculum subiret, itemquè rem divinam interrumpere summum nefas duceret, caput velamento obduxisse; atquè ita pleno ritu sacra perfecisse. Vnde posteris traditum morem ita sacrificandi.* Idem Festus Pompejus in verb. Saturnia. *Nam Italici, authore Ænea, velant capita.* Causam aliam tradit Servius ad illum Virgilii versum III. Æneid.

Purpureo velare comas adopertus amictu.

Sanè sciendum est, inquit, *Sacrificantes Diis omnibus capita velare consuetos, ob hoc, ne se inter religionem vagis offerret aliquid obtutibus.* Porro celebris fuit & ille *habitus* statuarum *triumphalis*. Liv. XXXVIII. cap. 56. de Scipionis Affricani ima-

imagine. *Probibuit ne decerneretur, ut imago sua triumphali ornatu è templo Iovis Opt. Max. exiret.* Et Valer. Max. I V, I. *Voluerunt imaginem ejus triumphali ornatu indutam, Capitolinis pulvinaribus applicare.* Cujusmodi autem hic ornatus fuerit optime, ni fallor, hic Livii locus ex lib. XXX. cap. 15. docebit, qui de triumphalium ornamentorum honore agit, quem Masinissæ Scipio habuit. *Ibi*, inquit, *Masinissam primum regem appellatum, eximiisquè ornatum laudibus aureâ coronâ, aureâ paterâ, sellâ curuli & scipione eburneo, togâ pictâ, & palmatâ tunicâ donat.* addit verbis honorem, *nequè magnificentius quicquam triumpho apud Romanos, nequè triumphantibus ampliorem eo ornatu esse, quo unum omnium externorum dignum Masanissam populus Roman. ducat.* Sed ad cœteros statuarum habitus nos accingamus; Dictum est solere eas interdum poni eo habitu & vestitu, quo uterentur illi quotidiè, quibus ponebantur. Comprobat Valer. Max. I I I, 6. exempl. 2. *Lucii vero Scipionis*, inquit, *statuam Chlamydatam & crepidatam in Capitolio cernimus; Quo habitu videlicet, quia aliquando usus erat, effigiem suam formatam poni voluit.* Hic tamen notandum occurrit, Valerium tanquam inusitatum quid notare, quod Scipionis statua Chlamydata & crepidata conspecta fuerit, Nam Heroum statuæ ab antiquis plerumquè sine calceis & crepidis fiebant, contra quam valetudinarii & senes pingebantur. Philostrat. Epist. ad Excalceatum Adolescentem. *Lautia, Sandalia, crepidæ, calceiquè ægrotantium vel senum sunt gestamina. Philocletem igitur his sepimentis pingunt tanquam claudum vel ægrum.* Vt hic habitus insolens in Heroum statuis fuit, ita laudatum erat, & honori fœminis, si in sandaliis illarum statuæ cernerentur, ob significationem industriæ & domi actæ vitæ. Plutarch. Quæst. Rom. XXX. *Cajæ Cæciliæ in Sancti templo statua priscis temporibus posita fuit cum sandaliis & fuso: quæ domi actæ vitæ, industriæquè sunt signa.* Verum ut in ordinem redeam, discrepabat ille amictus pro diversis Reip. temporibus. Alius pace, alius bello erat. Itidem in statuis. Ad pacis tempora sine dubio pertinet amictus statuarum civilis, habitus civilis, & statuæ togatæ. De quibus mentio fit in antiquis inscriptionibus. *Amictus civilis* meminit inscriptio vetusta Romæ.

BAS-

BASSÆO. M. F. STEL. RVFO. PR. ETC.

HVIC. SENAT. AVCTOR. IMPP. ANTONINO. ET. COMMODO. AVGG. STATVAM. ARMAT. IN. FORO. DIVI. TRAIANI. ET. ALIAM. CIVIL. AMICTV. IN. TEMPLO. DIVI. PII. ET. TERTIAM. LORICATAM. IN. TEMPLO. — — — — — — — — NENDAS.

De *civili habitu* alia Romæ in Foro Trajani reperta.

M. PONTIO. M. F. PVE. &c.

HVIC. SENATVS. AVCTORE. M. AVR. ANTONINO. AVG. ARMENIAC. MEDIC. PARTHIC. MAXIMO. GERM. SARMAT. STATVAM. PONI. HABITV. CIVILI. IN. FORO. DIVI. TRAIANI. PECVNIA. PVBLICA. CENSVIT.

Antonino à Macrino & Diadumeno decretas statuas civili habitu Capitolinus in Opilio Macrino indicat, cujus hæc verba. *Antonino autem divinos honores, & miles decrevit, & nos decernimus; Et vos P. C. ut decernatis, quum possimus imperatorio jure præcipere, tamen rogamus, dicantes & duas statuas equestres, pedestres duas habitu militari, sedentes CIVILI HABITV duas &c.* Togatarum fit mentio in hisce.

Romæ in ædibus Cardinalis de Altembs.

ACILIO. GLABRIONI. SIBIDIO. V. C. ET. OMNIBVS. MERITIS. ILLVSTRI. LEGATO. &c. ANICIVS. ACILIVS. GLABRIO. FAVSTVS. V. C. LOCI. ORNATOR. TOGATAM. STATVAM. OFFERENS. PIÆ. NON. MINVS. QVAM. DEVOTÆ. MENTIS. RELIGIONE. PONENDAM. ERIGENDAMQVE. CVRAVIT.

Item

Item in aliâ ibidem.

TARRVTENIO. MAXIMILIANO. V. C. ELOQVENTISSIMOQVE. CONSVLARI. PICENIANO. &c.

ANICIVS. ACILIVS. GLABRIO. FAVSTVS. V. C. LOCI. HVIVS. ORNATOR. TOGATAM. STATVAM. LIBENS. POSVI.

Ad pacis tempora pertinere togam, satis notum est. Isidor. Orig. XIX, 24. *Togâ Romani in pace utebantur.* Qua togâ opertas fuisse statuas inde togatas dictas, eodem loco ostendit. *Est*, inquit, *pallium purum forma rotunda & fusiore, & quasi inundante sinu, & sub dextro veniens, super humerum sinistrum ponitur. Cujus similitudinem in operimentis simulacrorum vel picturarum aspicimus, easquè statuas togatas appellamus.* Nec oblitus fuit Plinius XXXIV, 5. *Togatæ effigies antiquitus ita dicabantur.* Asconius in Scaurianam. *Cato prætor judicium, quia æstate agebatur, sine tunica exercuit, campestri subtogâ cinctus. In forum quoque sic descenderat, jusquè dicebat, idquè repetierat ex vetere consuetudine, secundum quam & Romuli ætatis statuæ in Capitolio, & in Rostris Camilli fuerunt togatæ sine tunicis.* Togatarum habitum nobis conservavere nummi Lepidi apud Goltzium pag. XXXIV. n. 2. & 6. item Augusti apud eundem inter ejus imperatoris nummos pag. XLVI. n. 10. 12. item pag. XLVII. n. 2. pag. LXXI. n. 7. Aliorum porro habituum, in statuis passim apud authores mentio fit. De *stolatis* statuis Vitruv. Archit. lib. 1. cap. 1. De statua Cœciliæ *Zonâ cincta* Sext. Pomp. Festus in voce, *Prædia.* De *Penulatis & Lupercalibus*; Plin. XXXIV, 5. quas inter novitia inventa computat. De *Palliatis*, idem lib. d. cap. 8. De *mitratis*, *vittatis*, vel *fasciatis*, quas διαδυμένους appellabant, idem d. l. Illud monuerim, diversum longè à communi & usitato habitu fuisse illum *Lupercorum*, qui Lupercalium sacris, discurrebant pellibus pudenda succincti, cœtera nudi. Dion. Halicarn. Antiqq. Rom. 1, 10. author est, *Illos solere pagum nudos cursu circumire, pellibus victimarum recens mactatarum pudenda succinctos.* Talis in statuis haud dubiè habitus. Quod verò Heroum statuæ & Herculis maximè pelle consueverit tegi,

alia subest causa, quàm indicat Festus in voce Pellis. *Pellem, inquit, habere Hercules fingitur, ut homines cultus antiqui admoneantur.* Herculem inde Tertullianus lib. de pallio, appellat *Scytato sagitti pelligerum*, quod clavam, sagittas & pellem gestaret. Cœterum dixi alium habitum belli temporibus convenire. Eratquè inprimis Paludamentum, quo opertæ statuæ dicebantur *Paludata*. Talem Augusti statuam videmus in nummo apud Goltzium, cujus diligentia in hac obscura materie multum juvamur. extat ille inter nummos ejus Imperatoris pag. XXXVI. num 23. Hoc, inquam, Paludamentum, in bellum iturus imperator induebat. Varro VI. de L. L. *Paludamenta*, inquit, *sunt ornamenta & insignia militaria. Ideo ad bellum cum exit imperator, & lictores mutant vestem, & signa incinuerunt, paludatus dicitur proficisci.* Paludati Imperatoris typum exhibet Lipsius ad fin. Lib. II. de Milit. Rom. ex quo de statuis paludatis judicabis licet. Nam & ille ex statuis sumpsit, ut innuit in comment. ad Plinii panegyr. num. 633. Paludamentum autem, inquit, Chlamys (in statuis nummisque imperatorum apparet) ab humeris dependens. Cœterum ob negotia Reip. belli temporibus gesta ponebantur statuæ variis accinctæ armis; Sed de illis postmodum, ut quando hic sumus, de vestibus, quantum expedit, absolvamus. Observatum est interdum statuam viri, habitu muliebri positam. Quintil. Declamat. CCLXXXII. *Tyrannus cum in arce ducijusisset cujusdam sororem, frater habitu sororis ascendit, & occidit tyrannum, eodem habitu magistratus illi præmii nomine statuam collocavit.* Sed injuriæ loco habitum est, & Magistratus injuriarum reus ibidem declamatoriâ & Scholasticâ excusatione factum purgat. Hoc loco, ubi de statuarum operimentis agimus, non prætereundum est, quod interdum veris vestibus & temporario amictu statuæ vestitæ fuerint. Sueton. in Caligul. cap. XXII. *In templo*, inquit, *simulacrum Caligulæ stabat aureum Iconicum. Amiciebaturquè quotidie veste, quali ipse uteretur.* Voluit hac ratione ipse Caligula suo judicio Deus esse. Nam Deorum simulacra vestiri solebant, Hieremiæ Prophetæ testimonio cap. X. v. 9. *Hyacinthus & purpura indumenta eorum, opus artificum universa hæc.* Indicium facit & Julius Firmic.

lib.

lib. III. Astron. *Mercurius*, inquit, *cum Venere in tertio ab horoscopo loco, faciet vestitores Deorum.* Et Severus Sulpit. de vita D. Martini lib. I. *Quia esset hæc Gallorum rusticis consuetudo, simulacra Dæmonum candido tecta velamine, miserâ per agros suos circumferre dementiâ.* Quod vero nullæ antiquæ Romanorum statuæ, cum pileo visuntur; causa est, quod Romanis veteribus pileus nullus in usu fuit, nisi solis diebus Saturnalibus. Alii enim nudo capite erant, aut caput veste velabant. vid. Hadrian. Turneb. Adversar. VIII, 4. & Lips. de Amphithear. cap. 19. Variis præterea tum dignitatis insignibus, tum ornamentis aliis conspicuas statuas fuisse legimus, in quibus sunt *Mitræ*. De Iulio Cæsar. Plutarch. in ejus vita. *Statuæ Cæsaris conspectæ sunt, regiis mitris redimitæ.* Et *Annuli*. Plin. XXXIII, I. *Singulis primo digitis geri mos fuerat, qui sunt minimis proximi. Sic in Numæ & Servii Tullii statuis videmus. Postea pollici proximo induere, etiam Deorum simulacris.* Miratur etiam quasdam Regum statuas sine annulis positas. d. l. *Nullum habet Romuli in Capitolio statua, nec præter Numæ, Serviique Tullii alia, ac ne L. quidem Bruti. Hoc in Tarquiniis maximè miror, quorum è Græcia fuit origo, unde hic annulorum usus venit, quanquam etiam nunc Lacedæmone ferro utantur.* Et paulo post. *Et ideo miror Tarquinii ejus statuam sine annulo esse.* Eundem morem ornandi annulis statuas confirmat Cicer. ad Attic. Lib. VI. Epist. I. ubi ex statu, amictu, annulo & imagine colligit Scipionis utramquè esse statuam, & quæ ad Opis, & quæ ad Pollucis ædem posita esset. *De statua Affricani ain tu? Scipio hic Metellus proavum suum nescit Censorem non fuisse? Atqui nihil habuit aliud inscriptum nisi COS. ea statua, quæ ad Opis per te posita in excelsô est. In illa item, quæ est ad* Πολυδεύκους, *hercule inscriptum est COS. quam esse ejusdem status, amictus, annulus, imago ipsa declarat.* Sunt etiam *bullæ*. Vnde statuæ bullatæ. Valer. Maxim. III, I. de Æmilio Lepido. *M. Lepidus*, inquit, *puer etiam tum progressus in aciem, hostem interemit, civem servavit. Cujus tam memorabilis operis index est in Capitolio statua bullata, & incincta prætexta. S. C. posita.* Itidem *armillæ* in finistris brachiis. Sic me docet editor libri, qui titulo *Antiquæ urbis splendor*,

circumfertur; Ad tabulam xv. ubi præmia militibus à triumphantibus distributa recenset, æneisquè figuris illum actum eleganter expressum oculis subjicit, etiam armillas numerat, easquè ita inseri brachiis sinistris militum dicit ut in antiquis statuis videre est, nimirum juxta humeros. Cœtera omnia recensere quis sustinebit, aut quis minutius prolata non fastidiet? Quin ad reliqua ergo, quæ proposuimus progredimur.

CAPUT XXI.

Romanorum Statuæ habitu ut plurimum militari, declarando bellicæ gloriæ studio. Loricatæ, pectore solum munito. Thoraces additi à Romanis. Roma Galeata quare. Frequens in Statuis Græcorum galea. Pericles σχοινοκέφαλος. Ejusque ob id capitis vitium. Statuæ galeatæ. Gladius in Statuis nunc strictus, nunc vagina tectus. Quis modus gestandi gladios apud veteres Græcos, Gothos, Persas? Hastatæ. Hasta Symbolum fortitudinis. Mars in hasta cultus. Ritus commovendi Martis hastam. Arcubus armatæ Statuæ. Et interdum Tropæa ferentes. Coronæ impositæ variæ, cujusmodi? Poëtarum Statuis ex hedera Corona data.

AD habitum statuarum, non vestes, sed & arma, ut dixi, pertinent; cum & quædam ex iis tegant corpus. Inde dictæ statuæ *militares* & *armatæ*. Romani antiqui ut rebus bellicis impensè delectabantur, inquè iis præcipuam gloriam statuebant, ita eo maximè habitu in statuis spectari gestiebant. Cic. offic. 1. *Declaratur autem studium bellicæ gloriæ, quod statuas quoquè videmus ornatu ferè militari.* Talis erat statua Horatii Coclitis, de quâ Dionys. Halicarnass. antiqq. Rom. V. 4. *Postquam ex mortis periculo evasit, populus æneam ejus statuam armatam, in maximè conspicuo fori loco erexit.* Meminit Ammian. Marcell. & talium lib. xix. *Horum*, inquit, *Campiductoribus ut fortium factorum antesignanis, post civitatis exidium armatas statuas apud Edessam in regione celebri locari jusserat Imperator.* Et inscriptio vetus Romæ.

HVIC. SENAT. &c. STATVAM. ARMATAM. IN. FORO. DIVI. TRAIANI. ET. ALIAM. &c. — — — — NENDAS. — — — —

Duæ

Duas item statuas militari habitu Antonino decretas ex Capitolino, capite præcedente meminimus. Sed quemadmodum arma duplicia sunt, ut ait, in Originib. Isidorus, vel *quibus percutimus*, vel *quibus tegimur*, ita utroquè armorum genere muniri & accingi consuevisse statuas reperimus. Inter tegentia arma sunt loricæ, thoraces galeæ.

De Loricata statua Cæsaris Plinius XXXIV, 5. *Cæsar quidem Dictator Loricatam sibi dicari in foro suo passus est.* Talis spectatur in Augusti nummo ap. Goltzium pag. XXXVI. num. 23. Hanc Loricam, quanquam non dubitaverim interdum ex hamatis illis fuisse, quarum meminit Polyb. lib. VI; tamen pro solo pectorali accipit Servius, & antiquis statuis tribuit, ad illum versum Æneid. VIII.

Ægidaquè horrificam, turbatæ Palladis arma,

Ægis, inquit, *est munimentum pectoris æreum, habens in medio Gorgonis caput; Quod munimentum si in pectore numinis fuerit, Ægis, vocatur, si in pectore hominis sicut in antiquis Imperatorum statuis videmus Lorica dicitur.* Illud discrimen item Martialis VII. Epigram. 1. ostendit, ubi de Lorica Domitiani sic ait, adûlatorio more,

Dum vacat hæc Cæsar, poterit Lorica vocari,
Pectore cum sacro sederit, Ægis erit.

Thoracas statuis addidisse Romanos etiam Plinius dict. loc. testatur. *Græca res est nihil velare, at contra Romana ac militaris, Thoracas addere.* De Galeâ ex eo certè constat, quod Romam suam Romani, quam etiam statuis, tanquam numen aut Deam decorabant, semper Galeatam statuêre, ut in nummis compluribus cernere licet. Quod vel ea causa factum videtur, ut Martiamillam & bellicosam esse monstrarent. Frequens ille habitus apud Græcos fuit, imo fœminis etiam communicatus. De Thelesillæ illustris fœminæ statua Pausan. in Corinth. tradit, quod galeam capiti jam impositura manu teneret. Erat hoc in fœmina illustre virtutis præmium. Causam ibi vide. Sed alio fine Pericli, viro alioquin forti & præclaro galeam fuisse additam Plutarchus in ejus vita notat. *Forma reliqui corporis ea in qua culpari posset nihil, capite tantum oblongo & inconcinno. Itaquè statuæ ejus fere omnes galeatæ conspiciuntur, quod artifices id ei vitium exprobrare noluerint. Attici verò Poëtæ* σχοινοκέφαλον, *quasi caput scillæ*

ſimile habentem vocaverunt. Talia ſunt arma, quibus tegitur ſimul & protegitur corpus. Quibus vero offendimus, ſunt gladii, haſtæ, arcus, &c. quibus item inſtructas ſtatuas legimus; Gladium dedêre ſtatuis vel ſtrictum in manu, vel appenſum. De ſtricto gladio in manu I. Bruti Plutarch. in M. Bruto. *Marcus Brutus genus ſuum ab Iunio Bruto deduxit, quem priſci Romani æreum inter reges in Capitolio poſuerunt, cum enſe ſtricto.* Gladio accinctam Domitiani ſtatuam Statius Papinius Sylv. I. docet.

—— *latus*, inquit, *enſe quieto*
Securum, magnus quantum mucrone minatur,
Noctibus hybernis, & ſidera terret Orion.

Qui locus etiam oſtendit modum geſtandi gladios in ſtatuis. ad latus nimirum inſertos cingulis, contra quam fecere Græci & Gothi antiqui, quibus ex humeris enſes pendebant. de Græcis indicio eſt Homer. Iliad. II.

Ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον.

Circum humeros jecit gladium argenteis clavis diſtinctum

Et Virgilius Homeri imitator ſæpius inculcat, ad heroica forte tempora reſpiciens. De Gothis Sidon. Apollin. lib. IV. Ep. 20. *Penduli ex humero gladij, baltheis ſupercurrentibus, ſtrinxerant clauſa bullatis latera Rhenonibus.* Perſæ vero demiſſos geſtabant ad femora. Iul. Pollux. I, 10. *Perſicus enſis femori aptatus.* Sed & haſtæ ut dixi, dabantur ſtatuis. Vnde illa apud Senecam Epiſt. LXV. Doryphoros ſtatua, & apud Plinium XXXIV, 8. doryphori duo Caſilai, & Ariſtodemi opera præcipuæ laudis. Haſta enim erat Symbolum fortitudinis. Et ipſe Mars Romanorum Deus Quirinus appellatus ab haſta, quæ antiquis nominata Quiris, ut ex Plut. diſcimus Quæſt. Rom. LXXXVII. exemplar ſuæ ſtirpi præbere potuit. Martiis enim rebus Romani præſtare cœteris gentibus ſemper annisi ſunt. Idcirco & armorum apparatu, ſuæ virtutis gloriæque authori ſimiles eſſe voluere. Sed & ſub ſola haſtæ ſpecie ipſe Deus colebatur. Iuſtin. Lib. XLII. cap. 3. *Nam & ab origine rerum pro Diis immortalibus veteres haſtas coluere; ob cujus religionis memoriam adhuc Deorum ſimulacris haſtæ adduntur.* Simulacris, inquit, nam non Marti ſolum haſta tributa, ſed Palladi, ut ex Suida conſtat, &

Iuno-

Iunoni, ut Plutarch. in Quæst. Rom. meminit. Quod hasta Mars instructus fuerit, docet Servius ad VIII. Æneid. princip. ad ea verba.

Vtquè impulit arma.

Vbi simul alium quoquè ritum in hasta notat. *Is*, inquit, *qui belli susceperat curam, sacrarium Martis ingressus primo ancilia commovebat, post hastam simulacri ipsius, dicens, Mars vigila.* Romani itaquè Numinis sui exemplo statuis hastas addebant. Præter alias, hoc apparatu insignes sunt M. Æmilii Lepidi duæ statuæ equestres, quæ ita conspiciuntur in nummis Goltzii pag. XXXII. n. 1. & 3. Statuam Constantini Magni Romæ in celebri loco cum hasta in manu erectam, tradit Euseb. de vita Constant. lib. 1. cap. 33. Sed ut ille Christianum se profiteretur palam, crucem imposuit. De quo instituto clarè Codinus in Originib. Constantinopolit. Fuisse etiam arcus ad statuas discimus ex Herodiani lib. 1. cap. 14. ubi de statuis Commodi. *Quin statuas quoquè sibi tota urbe poni jussit, inquè iis unam pro curia, quæ arcum contenderet.* Nec illa arma duntaxat in statuis, sed & victoriarum insignia & Trophæa spectabantur. Plutarch. in Romulo. *Quin & Romæ videre est statuas Romuli trophæum ferentes, pedestres omnes.* Tales & illæ equestres Lepidi, cum trophæis videlicet, quas ex nummis Goltzii jam modo indicavimus. Item coronæ. Quæ variæ, & vel Quernæ sive Iligneæ, servatæ Reip. decus, vel Laureæ victoriarum de hostibus partarum indices, vel oleagineæ, collatæ iis, qui triumphum victoribus procurassent, ut meminit inter alios Gellius N. A. V. 6. imo & iis, qui prælio vicissent, quemadmodum suos milites victo S. Pompejo Augustus oleagineis honestabat, teste Dione. Vel etiam gramineæ, quas obsidione obsidione pressi & soluti, liberatori suo dare consueverant. Fiebant autem illæ in statuis ad similitudinem foliorum arborum earum sive graminum à quibus denominabantur. Tales Iulio Cæsari collocatas fuisse, Zonaræ Annal. Tom. II. notatum est. *Pro tribunali*, inquit, *Cæsaris duas statuas collocarunt alteram ob cives servatos, alteram ob urbem obsidione liberatam corona civica & obsidionali ornatas.* Vbi per civicam, iligneà intelligen-

igenda est, ob civem videlicet servatum, secundum illud Claudiani III. de Laud. Stilic.

Mos erat in veterum castris, ut tempora quercu
Velaret, validis fuso qui viribus hoste
Casurum potuit morti subducere civem.

Per obsidionalem vero, Graminea, ob liberatos obsessos, *quia* ut Plinius XXII, 4. causam reddit, *summum victoriæ indicium erat, herbam porrigere victos.* De Laureatis Furii Camilli, L. Apronii, & Iunii Blæsi statuis Tacit. IV. Annal. *Priores*, inquit, *duces sibi impetrando triumphalium insigni sufficere res suas crediderant, hostem omittebant, jamque tres laureatæ in urbe statuæ.* De hederaceis statuarum coronis haud dubiè intelligendus est Persius, Prologo Satyr. de Poëtis loquens, ubi ait,

Heliconidasquè, pallidamquè Pirenen,
Illis relinquo, quorum imagines lambunt
Hederæ sequaces.

Nequè ab hoc sensu ejus loci interpretes abeunt.

CAPUT XXII.

De sumptibus Statuarum. Publice decretæ, publico sumptu positæ. Consuetudo Statuas æquo precio faciundas locandi. Per curatores interdum id factum, aut pecunia adnumerata iis, quibus honos decretus, ut ipsi curarent. Quæstorum Vrbanorum munus publicas impensas erogandi. Honores accepto quosdam contentos impendium Reip. remittere solitos, inscriptionum formulis probatum. Idque extra Romam utplurimum, in Vrbe raro. Causa ejus rei. Provinciarum præfecti in urbibus potissimum opulentioribus statuas sibi quæ causa erigi voluerint. Mos quorundam Statuas sibi propria impensa ponendi, remisso sumptu Reip. idque vel per ipsos, dum viverent, vel per hæredes post mortem. Alij honorem decreti transferre in Principem, & ex suo ponere soliti. Moderatio circa precium, numerumque & pondus. Decreti Statuarum sumptus in alios usus publicos à nonnullis interdum conversi. Ab aliis plane recusatum. Notata Vespasiani sordities. Decurionum in Municipiis & Coloniis liberalitas. Cauponatio Statuarum apud Rhodios reprehensa Dioni Chrysostomo. Statuæ ex stipe collata. Ex ære collato. Æs illud cujusmodi. Redditum à quibusdam. Symbola Senatus populique. Legata populo ad divisiones epulumque data, benemeritorum interdum statuis impensa. Imperatorum mos ab amicis, clientibus & Vrbibus pecuniam nomine Statuarum exigendi. Aurum coro-

coronarium. Provinciarum Praefectis quatenus Statuas à provincialibus accipere aut exigere licuerit? Quinquennium consumendae pecuniae in Statuas collatae praescriptum. Avaritia quorundam, crudelitas & libido in hoc notata. Siculorum novum postulatum. Imperatores cur vetuerint aere collato Statuas sibi poni.

DE sumptibus & impensis Statuarum, ne simus promissi immemores, nunc aliqua dicemus, secuti ordinem, quem ex Senatusconsultorum Ciceronianorum formulis nobis proposuimus. Quae itaquè publicè & solenniter decretae erant, plerumquè publicis sumptibus statuebantur. Quod cum fieret, aut ab illis ipsis, qui decreverant locabantur cuiquam faciundae, qui honesto & aequo precio illas faciundas suscipere vellet, aut per curatores negotium gerebatur, ut supra dictum est, aut Statuas adepturis numerabatur pecunia, ut vel illi ipsi, vel quibus imperassent, erigendas curarent. Cic. Verr. II. *Quaero abs te, utrum ipsae Civitates solitae sint Statuas tibi faciundas locare, ei cui possunt optima conditione locare, an aliquem curatorem praeficere, qui Statuis faciundis praeesset, an Tibi, an cui tu imperasses, adnumerare pecuniam.* Cum locatae Statuae absolutae essent, qui publicae pecuniae curam gerebant, pactum precium persolvebant ei, cui locatae essent. Indè est quod in Senatusconsulto, de Statua Ser. Sulpicii. ap. Cicer. Philipp. IX. Senatui placuit, *ut Coss. alter, ambove Quaestoribus Vrbanis imperarent, Statuam locare, quantiquè locaverint, tantam pecuniam redemptori attribuendam solvendamquè curarent.* Quaestorum autem Vrbanorum officium, inter coetera hoc unum & praecipuum erat, ut curam aerarii gererent, & populi Romani pecuniam in aerarium conderent, aut ex usu Reip. eandem publicè vel privatim erogarent. Hinc & illae in titulis formulae, STATVAM. PECVNIA. PVBLICA. PONEND. CENSVIT. ET. LOCARI. SVMPTV. PVBLICO. PLACVIT. Fiebat verò interdum, ut nonnulli honore contenti publicis impensis parcerent, ne quo carere bonus civis salva dignitate posset, id habere malle videretur cum dispendio ac onere Reip. cujus opes utilius honestiusque in necessaria, quam superflua erogantur. Testantur hoc in inscriptionibus illae singulares literae. H. C. I. R. hoc est. HONORE. CONTENTVS.

IMPENSAM. vel impendium REMISIT. vel H. A. I. R. hoc est. HONORE. ACCEPTO. IMPENSAM vel impendium REMISSVM. Sed rara hæc modestia Romæ, ubi nemo non libenter spectari gestiebat in ære vel marmore; Has itaquè impensas remissas invenies ut plurimum, in aliis extra urbem civitatibus, in municipiis & coloniis, ne fortè pecunia publica, quæ tenuior haud dubie ibi erat, sic cum notabili detrimento Reip. ad privatos honores averteretur, aut, quod facile suspicer, ne liberalitate publica usi modestiæ laudem amitterent, cum præterea in locis minus celebribus haud pro magno æstimaretur Statuis donari. Ideò etiam Provinciarum præfecti, in urbibus quæ opulentiores erant, erigi suas Statuas quidem passi sunt, sed tenuioribus parcebant. Dio Chrysost. Oratione XXXI. ad Rhodios. *Quendam Rhodiorum audivi dicere, non pares esse illorum* (Athenienses, Lacedæmonios, Bizantinos & Mitylenæos intelligit, quos Præfectis Romanis Statuas erigere solere dicit, quanquam tenuiores illorum opes essent, quam Rhodiorum) *& vestras res; illis enim solam superesse libertatem, exceptis Atheniensibus, & hos tamen nihil magni possidere. Vestram autem civitatem invidia laborare apud omnes tanquam opulentissimam, ideoquè eam pluribus benevolis indigere. Præterea neminem Romanorum ægre ferre, si non apud illos erigatur, honorem autem hujus civitatis eos non negligere.* Remisso igitur sumptu Reip. qui decretus erat, de propria pecunia aut ipsi sibi ponebant vivi. Inscriptio Narbone.

DEC. IIIII. VIR. AVGVST. P. OLITI. O. APOLLONIO. IIIIII. VIR. AVG. ET. NAVIC. C. I. P. C. N. M. OB. MERITA. ET. LIBERALITATES. EIVS. QVI. HONORE. DECRETI. VSVS. IMPENDIVM. REMISIT. ET. STATVAM. DE. SVO. POSVIT.

In aliis hæ formulæ leguntur.

HONORE. CONTENTVS. SVA. PECVNIA. POSVIT. Vel *QVORVM. HONORE. CONTENTVS. IMPENSA. SVA. POSVIT.*

Aut

Aut propinqui vel hæredes post mortem. Inscriptio Tarraconensis. P. cujusdam Fabii.

REMISSA. IMPENSA. QVAM. MATER. EIVS. IVLIA. SEX. FILIA. REBVRRINA. DE. SVO. DEDIT.

Quidam impensis Reip. remissis, de suo quidem ponebant, sed non sibi, verum Principi, ut ita venerationem, devotionemquè suam erga illum testarentur, qui omnis honoris quasi fons esset & origo, & cujus benignæ dispensationi ac indulgentiæ accepti referri deberent, quotquot in Rep. conferrentur honores. Perusiæ in Vmbria in basi Statuæ, quam editorludorum Antonino Pio posuit, hoc leges.

HONORE. CONTENTVS, IMPENSAM. REMISIT. ET. IMPETRATA. VENIA. AB. ORDINE. PERVSINORVM. OPTIMO. MAX. Q. PRINC. DE. SVA. PECVNIA. POSVIT.

Alii nimis preciosas fieri sibi vetabant. Tacit. XIII. Annal. de Neron. *Sibi Statuas auro & argento solidas adversus offerentes prohibuit.* Xiphilin. lib. LXVIII. de Nerva Coccejo. *Statuas aureas, aut argenteas sibi fieri vetuit.* Aut si fierent, determinabant numero stricto. Dio Cassius lib. LX. de D. Claudio. *Imaginem sui unam modo argenteam Statuasquè duas ex ære & lapide, initio sibi decretas, admisit, inutiles videlicet hos omnes ajebat sumptus esse.* Inscriptio Neapolitana.

HVIC. CVM. ET. POPVLVS. IN. SPECTACVLIS. ASSIDVE. BIGAS. STATVI. POSTVLASSET. ET. SPLENDIDISSIM. ORDO. MERITO. DECREVISS. PRO. INSITA. MODESTIA. SVA. VNIVS. BIGÆ. HONORE. CONTENTVS. ALTERIVS. SVMPTVS. REIP. REMISIT.

Et pondus definiebant.

Xiphil. lib. LXXVIII. de Macrino. *Vetuit ne sibi*

fieret Statua argentea, ultra librasquinquè, aut aurea, ultra tres Quin potius in publicos usus quidam converterunt, partim factas olim. Vt Augustus, quem Dio Cassius tradit lib. LIII. reficiendis muniendisquè viis publicis, nonnullas argenteas Statuas ex suis in nummos conflasse. Ita illum docuerat ante Mecœnas. lib. LII. *Statuas tibi nequè aureas, neque argenteas unquam fieri sine: Nam non modo magnis sumptibus eæ constant, sed insidiis etiam opportunæ ac parum diuturnæ sunt.* Partim oblatas, ut de eodem Augusto Zonaras II. Annal. *Pecunia collata, sui nullam imaginem erexit, sed publicæ Salutis, Concordiæ & Pacis statuas fecit.* Fuerunt & qui penitus recusarent, imò deprecarentur, ut modestiam indè simul & frugalitatem indè æstimes. Plin. Paneg. ad Trajan. *Cum arcus, cum trophæa, cum statuas deprecaris, tribuenda est verecundiæ tuæ venia, illa enim sanè tibi dicantur.* Id fecit ante eum Tiberius. Dio Cass. lib. LVII. *Edicto vetuit palam, ne quis privatus, neve urbs alia Statuam ipsi poneret injussu suo, sed addiderat nunquam se id concessurum.* Vt frugi videretur, nam eam ob causam etiam strenas accipere recusabat, quod rependendæ civium benevolentiæ, vix ingentes sumptus sufficere intellexit. Sed initio imperii tam bonæ indolis semina jactabat callidus & simulator Princeps, quæ deinceps in turpia vitia degenerabant. Turpiter itaquè fieri videbatur si quis decretas sibi statuas nollet ponere honoris causa, sed precium retinere explendæ avaritiæ. De Vespasiano Zonaras II. Annal *Avaritiæ crimen ex eo subiit, quod decreta sibi à quibusdam Statua precio 150. millium drachmarum, manu extenta pecuniam sibi dari jussit, nam Basin paratam esse.* Sed ut hoc moneam, interdum benemeritis viris, qui honore contenti, sumptibus publicis pepercissent, ipsi Decuriones de suo posuerunt. Inscriptio vetus Forosemproniensis in Piceno.

C. HEDIO. C. F. CLVST. VERO. &c. QVOD. CVM. ANTEA. EI. NOMINE. PVBLICO. OB. MERITA. EIVS. DECRETA. ESSET. ET. IS. HONORE. CONTENTVS. SVMPTIBVS. PVBLICIS. PEPERCIS-

CISSET. DECVRIONES. EX. SVO. PO-SVERVNT.

Parum vero honeſtè videntur feciſſe Rhodii, qui levandi ſumptus cauſa, eaſdem Statuas, aliis atque aliis ſubindè aſſignare ſolebant. Quod integra Oratione perſtringit Dio Chryſoſtomus, quæ Rhodiaca inſcribitur, & paſſim ſordes, vel parcitatem, invidiam, ingratitudinem, flagitium, injuriam, contumeliam appellat, hoc nihil aliud eſſe, quàm Donationes cauponari dicens. Sic Cajo Imperatori Cleopatræ ſtatuam aſſignatam ridicula planè, ſed non indigna metamorphoſi tradit Philo. Iud. Legat. ad Cajum. Cœterum fuit & alia ratio habendi ſumptus, ut populus videlicet ſtipem conferret. Vtrumquè genus, una inſcriptio Surrentina L. cujuſdam Aruntii indicat.

HVIC. DECVRIONES. STATVAS. DVAS. ALTERAM. EX. PECVNIA. PVBLICA. ALTERAM. EX. ÆRE. — — POPVLO. COLLATO. IN. FORO. PONENDAS. DECREVERVNT.

De Minutii Statua hoc ſumptu poſita à populo, Plin. XXXIV, 5. meminit, ubi & quantum quiſquè contulerit, indicat. *P. Minutio*, inquit, *præfecto annonæ extra portam trigeminam, unciaria ſtipe collata.* Vncias enim ſingulas æris ſinguli conferebant. Sueton. Auguſt. cap. LIX. *Medico Antoniæ Muſæ, cujus opera ex ancipiti morbo convaluerat, Statuam ære collato, juxta ſignum Æſculapij ſtatuit.* Græci ἀνδριάντας ἐκ συντελείας vertuut. Ob hanc rationem conferendi ſumptus ad Statuas, legimus item in antiquis inſcriptionibus frequenter has formulas EX. ÆRE. CONLATO. & ÆRE. CONLATO. ut in illa Ariminenſi.

L. BETVLIO. L. F. &c.

PLEBS. VRBANA. EX. ÆRE. CONLATO. OB. HONOREM. AB. EO. INTEGRE. ET. SINE. AMBITIONE. ADMINISTRI. L. D. D. D.

Et in illa Hiſconienſi.

HVIC.

HUIC. PLEBS. UNIVERSA. HISCONIENSIUM. STATUAM. ÆRE. CONLATO. DECREVIT. CURAT. R. P.

Id conferebant non viri solum, sed interdum & fœminæ. Inscriptio interamnas. Helvidiæ Burreniæ.

OB. MERITUM. AMOREMQUE. EIUS. CIVES. INTERAMNANAE. CIVITATIS. UTRIUSQUE. SEXUS. AERE. CONLATO. POST. OBITUM. HUIUS. PATRONAE.

Illud verò æs *aut* intelligendum est de certa pecuniæ portione, à singulis collata, æs enim pro pecunia sumi nemini ignotum est; *aut* de certo metalli pondere, quod quisquè appenderit, ut de unciaria stipe ap. Plinium d. l. constat, nisi mavelis ibi assem, qui uncialis interdum, à singulis tum collatum, cum retribuendum statuæ honore à populo esset id beneficium, quod præfectus annonæ præstitit, frumento Meliano assibus in modios æstimato, ut simul & beneficii & præmii memoria, æqualitate precii notabilior redderetur. Sed illud pondus interdum in ære facto, interdum rudi conlatum fuit. Vasa ænea in hos usus collata, ut conflarentur, opinari licet ex illis, quæ de simulacris Deorum collata stipe factis tradit Arnobius lib. VI. adversus gentes, ubi dicit simulacra illa, quæ Idololatras terrerent æra esse, argentum, aurum, &c. *Et ex cacabulis, ollulis, & candelabris, ex lucernis, aut aliis obscœnioribus vasculis congesta, conflata.* Minutius Felix Octavio. *Et Deus æreus, vel argenteus de immundo vasculo, ut sæpius factum, AEgyptio Regi conflatur.* De rudi ære, post modò adducta subjungit Arnobius. *Si aliquis ponat in medio æs rude, atquè in opera nulla conjunctum, argenti massas indomiti, infectum aurum, lignum, lapides & ossa, resque alias cæteras, quibus signa consueta sunt & Numinum simulacra conflare; imò si aliquis ponat in medio collisorum Deorum vultus, conflata atque imminuta simulacra, jubeatque vos idem frustis hostias & fragminibus cœdere, informibus massis sacra & munia impertire divina, audire ex vobis exposcimus facturine istud sitis, an contra quam imperabitur, recusaturi?* Quemadmodum

verò

'erò antea vidimus publicam pecuniam sæpius remissam Reip. uisse, ita reperiuntur, qui passi quidem sunt in Statuam æs conerri, sed conlatum reddiderint, positâ ex suo statuâ. Inscriptio basis Sutri in Hetruria.

C. LEPIDIO. C. F. PAP. VICTORI. II. VIRO. IVRE. DIC. CVR. PEC. PVBL. ET. OPERVM. PVBLICORVM. QVIBVS. EX. FIDE. REFECTIS. OB. MERITA. EIVS. DECVRIONES. ET. AVGVST. ET. POPVLVS. STATVAM. PONENDAM. EX. AERE. CONLATO. DECREVERVNT. QVI. HONORE. CONTENTVS. EX. SVO. POSVIT. ET. CONLATIONEM. REDDIDIT.

ed neque hoc omittendum est, quod interdum & Senatus na cum Populo factâ symbolâ æs contulerit ad Statuas. Zonoas II. Annal. de Statuis Augusti. *Pecunia à Senatu & opulo, ad ejus imagines faciendas collata.* Nonnunquam Poulus quod ipsi donatum, ut in publica lætitia sæpè consuevit, ut Legatum alicunde ad divisiones aut epulum esset relitum, Statuis benemeritorum impendit. Ostendit hoc vetus nscriptio.

L. IVLIO. TROM. AGILIANO. PRAEF. FAB. CONS. TAB. MIL. PROC. AVG. PATRON. COLON. QVI. ROGATVS. AB. ORDINE. PARITER. AC. POPVLO. VT. GLADIATORII. MVNERIS. PVBLICI. CVRAM. SVSCIPERET. FECIT. ET. EXPLICITO. QVOD. PROMISERAT. IMPENDIVM. BIGAE. QVAM. POPVLVS. EX. COLLATIONE. LEGATIVI. AC. DONATIVI. EPVLI. OFFEREBAT. REMISIT. EO. ANNO. QVO. ET. OPTIMVS. IMPERATOR. HADRIANVS. ETIAM.

DVVM.

DVVMVIRATVS. HONOREM, SVSCEPIT.

Legari enim & donari populo ac civitati pecuniam ad epulum; ludos, aliosquè similes usus solere expresse ait Iurisconf. Paulus. in l. civitatibus. ff. de Legat. 1. Erat praeterea aliud genus colligendi sumptus, cum nimirum Imperatores ab amicis & clientibus, imò & urbibus Statuas sibi fieri curarent, magis sub ratione muneris, quam liberi aut legitimi cujusdam decreti beneficio. Quo praetextu I. Caesarem Dio Cassius lib. XLII. tradit magnam pecuniae vim coëgisse. *Ibi* Romae videlicet *quod magna coacta pecunia, quam partim sub ratione muneris, (quod genus erant, Coronae, Imagines; reliquaquè ejusmodi quae afferebantur) idquè non à privatis tantum, sed ab ipsis adeò Vrbibus accipiebat.* Et hoc acceperant titulo auri coronarii, de quo titulus est in codice Iustin. Vetus quippe mos erat tàm apud Romanos, quàm Graecos, ut Victor imperator ab amicis & sociis coronas aureas acciperet, imò interdum à devictis hostibus, in triumpho praeferendas. Deindè coepêre pro coronis aurum, hoc est, pecuniam afferre, quae res ita postmodum crevit, ut non jam muneris amplius, sed tributi speciem haberet, nec in triumphis solum, sed in qualibet laetitia publica daretur, ut hic Caesari ex Asia reduci, victo Pharnace. vid. Lips. de Magnitud. Rom. lib. II. Cap. 9. Licebat ita etiam Praefectis Provinciarum statuas, vel earum nomine pecuniam ab ipsis provinciis, urbibus aut quocunquè hominum genere accipere, sed sub certis conditionibus, videlicet, ne in alios usus privatos eam averterent, tum ut modum observarent, ne nimiis oneribus conferentes gravarent, & deniquè ut à volentibus non invitis acciperent. Cicer. Verr. II. *Quod si quem Statuae magnopere delectant, & si quis earum honore & gloria ducitur, is haec tamen constituat, necesse est, primum averti pecuniam demum non placere; Deinde ipsarum Statuarum modum quendam esse oportere, deinde illud, certè ab invitis exigi non oportere.* Praescribebatur etiam lege quinquennium, intra quod pecunia illa in Statuis consumenda fuit, quod si non fieret, actio repetundarum competebat. Idem loco laudato. *Verum ubi tandem, aut in quibus Statuis tanta pecunia consumpta est? Consumetur, inquies. Scilicet expectemus*

legitimum illud quinquennium, si hoc intervallo non consumpserit, tum denique nomen ejus de repetundis pecuniis Statuarum nomine deferamus. Nam ut insignis moderatio fuit nolle ærarium publicum, aut facultates privatorum exhaurire, parcendo sumptibus non necessariis; aut moderatè utendo; ita contra turpe erat per avaritiam, ambitionem, libidinem, crudelitatem, aliasquè malas artes pecuniam exigere, aut per vim metumquè extorquere. Quod faciebant illi sæpè; qui imperio aliquo & potestate præditi erant. Vt imperatores Tyranni. De Nerone Xiphilinus. Comp. Dionis lib. LXIII. *Cum Statuam ejus mille librarum Augustales se facturos promisissent, omnem Equitatum ad eam faciendam impensam conferre coëgit.* De Domitiano Iornandes de regn. Success. cap. LXXII. *Multos nobilium exilio relegans, nonnullos occidens, de Substantiis eorum aureas argenteasquè Statuas sibi fecit.* De Commodi violentiâ mentionem facit Lampridius Cap. XX. Faciebant & immoderatiores præfecti Provinciarum. Dio Chrysost. XXXI. de Rhodiis. *Vos prætereuntes præfectos timetis, ut si uni cuipiam non æneam erigatis Statuam, libertatem putetis vos amissuros.* Illud Cicero accusatoria acerbitate damnat in Verre Siciliæ prætore, qui ut sumptus ei ad Statuam suppeterent, contra leges multiplicavit Magistratus, qui pecuniam conferrent. Verrin. II. *Palam singulis censoribus denarii trecenti ad Statuam Prætoris imperati sunt. Censores CXXX. facti sunt. Pecuniam illam ob censuram contra leges clam dederunt, hæc denarium XXXIX. millia palam salvis Legibus contulerunt in Statuam.* h. e. 3900. coronatos. Singuli enim Censores 30. coronatos conferebant. Coëgit Statuarum nomine etiam pecuniam ingentem à Siciliæ civitatibus. Idem *Non mihi prætereundum videtur, ne illud quidem genus pecuniæ conciliatæ, quam Tu à Civitatibus Statuarum nomine coëgisti. Video enim ejus pecuniæ summam esse prægrandem ad H. S. CXX. millia.* h. e. 300. coronatorum. Simili furto & rapina vexavit aratores & negociatores Siciliæ, à quibus Statuarum impendia extorsit. Tullius ibidem; *Quis tum tibi molestus esset, aut quis appellare auderet, cum videret Statuas ab negotiatoribus ab aratoribus, à communi Siciliæ,* Nec solum pecuniam Statuarum nomine coëgit, sed &

ſtatuas vi extorſit, quas Siculi omnibus locis ipſi erexerant per Provinciam. Syracuſis maximè, tum cœteris in urbibus, apud Taurominitanos, Tyndaritanos, Centuripinos, Leontinos &alios. Nec his terminis immenſa ejus libido ſtetit, quin imperaret etiam pecuniam conferri in eas ſtatuas quæRomæ ponerentur Vide ſis ipſum accuſantem Tullium, & hoc eſt in quod invehitur Iuv. Sat. VIII, comparans Verrei ſeculipræfectos Antonium & Dolabellam, utroſquè damnatos, quod hic Aſiam, ille Achajam deprædatus eſſet, itemque Verrem ipſum, Siciliæ prædonem, cum primis illis præfectis, qui nuper victis provinciis moderatius egerunt, & Provincialium opes reliquêre integras & intactas.

Non idem, inquit, *gemitus olim, nec vulnus erat*
par.
Damnorum ſociis florentibus & modo victis.
Plena domus tunc omnis, & ingens ſtabat acervus
Nummorum, Spartana Clamys, Conchylia Coa,
Et cum Parrhaſii tabulis, ſigniſquè Myronis.
Phidiacum vivebat ebur, nec non Polycleti
Multus ubiquè labor, rara ſine Mentore menſa,
Inde Dolabella eſt, atquè hinc Antonius, indè
Sacrilegus Verres, referebant navibus altis
Occulta ſpolia, & plures de pace triumphos.

Ex eadem Verris intemperantia éſt, quod civitatum Siculorum Legati, novum poſtulatum ediderunt, ut ſtatuas ne cui Senatus, niſi cum is de provincia deceſſiſſet, polliceretur. Igitur contra iſtiuſmodi iniquas exactiones non ſolum & furta, ſed & ad omnes alias collationes, in ſtatuarum ſumptus prohibendas, directa eſt Lex 4. cod. de ſtatuis & imaginibus, quæ propriis ſumptibus jubet Statuas erigi. *Et virtutum præmia tribui merentibus convenit, & aliorum honores aliis damnorum occaſionem fieri non oportet. Idcircò quoties vel judicibus noſtris vel cuilibet alii Statua fuerit à quocunquè collegio ſeu officio, vel in hac ſacratiſſima Civitate, vel in Provinciis poſtulata, nequaquam ex deſcriptione ſumptus colligi patimur, ſed ejus cujus ad honorem petitur, expenſis propriis Statuam collocari præcipimus.* Quod verò Imperatores noluerint

ſibi

sibi ære collato Statuas poni, causa est, quam Lex tertia Cod. tit. eodem indicat. *In nostræ serenitatis imaginibus ac Statuis erigendis privatæ collationis injuriam propulsari præcipimus, ne quid in eis suum collator cognoscat.*

CAPUT XXIII.

Quibus locis positæ Statuæ. Romæ poni, quàm in provinciis quanto honorificentius habitum? In provinciis & municipiis locus quomodo & qua auctoritate statuis datus. Quæ in ipsa urbe cautio circa hanc rem. Iani Medii Patronus cur à Cicerone dictus L. Antonius? Sedes statuarum præcipua Capitolium. Vnde migratum tandem ob angustias. Fori magna hoc in negotio celebritas. Remotæ inde aliquando eorum statuæ qui per ambitionem eò sese intruserant. In celeberrimis locis statui velle, offendiculum quoddam publicæ libertatis habitum. Fora Romæ plura. Statuæ in porticibus. Equus æneus Trajani. Poëtarum statuæ in foro Vlpio collocatæ, & quare; Municipia in plerisquè Romanos mores imitata. Post statuas latere, quo sensu dictum. Rostra locus oculatissimus eximiis tantum viris concessus. Modestiæ documentum, ibi nolle statui; quamvis liceret. Facultas quibusdam concessa, ut statuas ponerent ubicumquè vellent. Locus aliquot pedum circum statuam concessus, spectandis ludis, quanto honori fuerit? In comitio & Curia statuæ. Atheniensium consuetudo in theatro comicos Poëtas præcipuè, & Tragicos ponendi. Statuæ in palatio, in templis. Neque hoc vulgo, sed magnis viris permissum. Locus fortuitus interdum statuis datus, & quas ob causas? Loca à statuis appellationem sortita. De statua Valeriana conjectura.

REstat ut de loco agamus, qui itidem certus decretus. Ac initiò quidem eum considero dupliciter. Vel *Generatim*, & sic non Romæ solùm, sed in provinciis & municipiis, ac universo orbe Romano statuæ ponebantur. Vnde est quod ex Dionis LXVI. Xiphilinus de Domitiano tradit. *Tot*, inquit, *ei & tanta decreta sunt, ut in omni ferè orbe terrarum, qui sub ditione ejus erat, statuæ aureæ atquè argenteæ positæ sint.* Vel *Speciatim*, quibus videlicet Vrbis in locis statutum fuerit easdem ponere. Primum quidem, quamquam nemini non potest constare, honorabilius fuisse Romæ, quàm in provinciis poni, tamen quia juvamur indicio Plinii, eum hic non præteribimus. Ille enim XXIV, 6. *Extant*, inquit, *Catonis in censura vocifera-*

tiones, mulieribus Romanis in Provinciis statuas poni; Nec tamen potuit inhibere, quo minus Romæ quoque ponerentur. Quibus verbis clare significatur, minus honoris fuisse in Provinciis, quam Romæ poni; cum Plinius eâ locorum factâ collatione tanquam insolentius aliquid notet, hunc honorem haberi mulieribus, in clarissima orbis terrarum, & virorum illa Vrbe Roma, cum nimium videri posset, ut revera Catoni visum fuit, eas ita honorari in Provinciis. Locus vero ipse utrobique certus assignabatur. De Provinciis & Municipiis id monstrant antiquæ inscriptiones in quibus sæpenumero leguntur hæ vel similes formulæ. Locus à Provinciâ impetratus, ut in illa Tarraconensi.

M. FABIO. M. F. GAL. PAVLINO. EQVO. PVB. DONATO. AB. IMP. CÆS. HADRIANO. AVG. ILERDENSES. CIVI. OPTIMO. OB. PLVRIMAS. LIBERALITA. IN REMPVBLICAM. SVAM. LOCO. A. PROVINCIA. IMPETRATO. POSVERVNT. D. D. Q.

Locus decretus & assignatus ab ORDINE municipii, ut in illa Alcaudetensi.

Q. VALERIVS. OPIALIS. AVGVSTALIS. PERP. HVIC. ORDO. MVNICIPI. FRAVASON. EIGITANORVM. CENAS. PVBLICAS. DECREV. ET. LOCVM. IN. QVO. STATVAS. SIBI. VXORI. LIBERISQVE. PONERET. LOCO. ASSIGNATO. PONENDAS. CVRAVIT.

Legitur & sæpius Locus datus decreto Decurionum, quod singulis his literis innuitur. L. D. D. D. Inscript. Ariminensis.

L. BÆTVTIO. L. F. PAL. FVRIANO. ÆDILI. CVR. ET. CVRVLIS. I. D. ET. PLEBEIA. MANDATA. ET. PLEBS. VRBANA. EX. ÆRE. CONLATO. OB. HONOREM. AB. EO. INTEGRE. ET. SINE. AMBITIONE. ADMINISTRAT. E. D. D. D.

Et illa in agro Tudertano.

T. POPILIO. T. F. VOL. ALBINO. TVDER. PRÆF. COH. I. ALPINOR. TRIB. LEG. VII. GEM. FEL. PRÆF. ALÆ. I. TVNGRORVM. FRONTON. VICANI. VICI. MARTIS. TVDERT. EX. ÆRE. CONLAT. L. D. D. D.

Plebs etenim urbana cum convenisset de statua cuiquam ponenda, à Decurionibus, qui erant ut ante dictum, quidam quasi Senatores in Municipiis & coloniis, locum petebat, quem si obtineret, his literis indicabatur. Nam negari solitum interdum docet Pomponius Iurisconf. l. 14. ff. de condit. & demonstrat. *Titius si statuas in Municipio posuerit, hæres esto. Si paratus est ponere, sed locus à Municipibus ei non datur, Sabinus Proculus hæredem eum fore.* Præterea est & hæc formula in titulis. LOCVS. ASSIGNATVS. A. II. VIRIS. Fuêre II. Viri in Coloniis, qui ita referebant ad Decuriones, ut Romæ ad Senatum Consules. Ita quoquè referebant ad Decuriones in Municipiis IV. viri. vid. Paul. Minut. de Senat. Rom. Sed erant & aliæ id genus formulæ, quas exscribere non vacat, nequè fortè decet. Ejus verò, qui alteri statuam peteret, arbitrio relictum interdum fuit, locum eligere ubi vellet. Inscriptio Prænestina, quæ decretum habet.

Q. F. Q. IVNIO. SILANO. ET. C. SEPTIMIO. VALERIANO. COS. POSTVLANTE. CLAVDIO MARONE. VTI. LVCVS. AD. STATVAM. PONENDAM. OPTIMÆ. MEMORIÆ. VIRO. QVOND. FIL. ÆLI. AVG. LIB. ANATELLONTI AMANTISSIMO. REIPVBLICÆ. NOSTRAE. PLACVIT. ET. IN. HONOREM. ANATELLONTIS. SEMPER. ET. VBIQVE. DE. REP. OPTIM. MERIT. IN. GRATIAM. CLAVDI. MARONIS. LVCVM AD. STATVAM. PONENDAM. AD. ELECTIONEM. IPSIVS. ATTR. DARE.

Sic ubivis locorum extra Romam, certus dabatur locus; Quod itidem in ipsa urbe factum fuisse ex Senatus Consultorum decretorumquè formulis constat. Maximè verò observabatur, ut is assignaretur locus, qui aliqua

ſive manifeſta ſive occulta ratione cujusque dignitatem, virtutem, merita, vitam, ſtudia & mores ſignificaret. Vnde Cicero Philipp. VI. cavillandi nactus eſt occaſionem in L. Antonium, malæ fidei hominem, cujus ſtatua in Jano Medio poſita erat, quo in loco fœneratores conveniebant. *Sed illa*, inquit, *ſtatua palmaris de qua ſi meliora tempora eſſent, non poſſem ſine riſu dicere L. ANTONIO. IANI. MEDII. PATRONO itane? Ianus medius in L. Antonij clientela ſit? Quis unquam in illo Jano inventus eſt qui L. Antonio mille nummûm ferret expenſum?* Quaſi diceret nequaquam convenire L. Antonii ſtatuæ hunc locum, in quo omnia ex fide agi oporteret, cum L. Antonio nemo unquam crediderit, nemo vel mille nummos mutuo dederit, fallere & concoquere ſemper ſolito. Sed fuit locus ille varius. Ex omnibus tamen maximè celebrabatur *Capitolium*, Tum *Fora Vrbis*, *Roſtra*, *Comitium*, *Curia*, *Theatra*, *Palatium*, *Templa*. Et quidem in Capitolio antiquiſſimam ſedem hujus gloriæ putamus. Quippe ibi fuiſſe ſeptem Regum Statuas Plinius tradit XXXIV, 5. *Primas*, inquit, *putarem has*, videlicet Sibillarum Statuas, *& Actij Navij, poſitas ætate Tarquinij Priſci, niſi Regum antecedentium eſſent in Capitolio.* Et primi Conſulis L. Iunii Bruti, quem idem Plinius XXXIII, 1. & Plutarchus in Bruto, tradunt à Priſcis Romanis æreum inter Reges in Capitolio poſitum. Item L. Cæcilii Metelli Pontificis, & Q. Fabii Maximi & Trebii Ædilis. ut ex P. Victor. in Regione urbis VIII. conſtat, aliorumquè deinceps illuſtrium Romanorum, ſine numero. Tanta enim ejus loci fuit celebritas, ut omnes ibi geſtirent cerni, inq; ſtatuis ſpectari, tanquam in auguſtiſſimo urbis loco, donec adeò repletum fieret Capitolium, ut ob anguſtias debuerit Auguſtus alio eas transferre. Suetonius in Caligula indicat; quem ſubvertiſſe dicit *ſtatuas virorum illuſtrium*, *ab Auguſto ex Capitolina area propter anguſtias in Martium campum collatas.* Nec minus celebre Forum fuit, in quo ſpectari glorioſum habitum eſt. Seneca Rhet. lib. X. controverſ. 2. *Cæſtius hoc colore uſus eſt, putaſſe ſe patri honeſtius hoc eſſe, certe domui, laudes utriusquè*, ſtatuam intelligit, *in foro inſpici.* Vnde indi-

gnatur

gnatur Cicero Philipp. modo laudata, quod L. Antonii hominis improbi statua in foro steterit, non minus quam illa, cujus Livius lib. IX. meminit, Q. Tremuli clarissimi & Triumphalis viri, qui Hernicos devicit. *In foro*, inquit, *L. Antonii statuam videmus, sicut illam L. Tremuli, qui Hernicos devicit, ante Castoris. O impudentiam incredibilem.* In foro itaquè, antiquis Reipub. temporibus, infinita statuarum multitudo spectabatur; Non solum eorum quibus ille honor publico decreto concessus erat, verum etiam illorum, qui ex mera ambitione sine indultu senatus sese ibi collocabant. Quas tamen idcirco removeri interdum contigit. Quod factum legimus P. Cornelio Scipione, & M. Popilio Censoribus. vid. Plin. XXXIV, 6. De solo Scipione meminit S. Aurel. Vict. de viris illustr. Cap. 44. *Censor*, inquit, *statuas quas sibi quisquè per ambitionem in foro ponebat, sustulit.* Ut quandam captandæ dominationis speciem quodammodo habere videretur, si quis connivent bus oculis pateretur sibi statuas in celeberrimis quibusquè locis poni; Contra verò libertati favere putabatur, quisquis negavit. De Scipione Plutarch. in ejus vita cap. LVIII. *Quantum enim Romanæ libertati consuluerit, facilè intelligi potuit, cum Regale nomen ab Hispanis delatum repudiavit, cum Populo Romano succensuit, quod eum perpetuum Consulem & Dictatorem vellet facere, cum in Comitio, in Rostris, in Capitolio sibi statuas fieri vetuit.* Forum hoc, de quo loqui cœpimus, fuit Romanum illud & vetus, quod aliàs & Magnum, & Latium appellabatur. De quo Statius in Sylvis, cum in eo positam Domitiani equestrem statuam meminit hoc modo.

Quæ super imposito moles geminata Colosso
Stat Latium complexa forum.

Postea Constantini, cujus Marlianus Topographiæ Urbis III, 21. mentionem facit. Sed cum plura Romæ essent fora, à variis imperatoribus condita, notare licet in singulis eorum isthæc decora cerni solita. De foro Augusti, Suetonius in August. cap. XXXI. ubi de statuis Ducum Romanorum, qui rem Romanam imperiumquè insigniter auxissent. *Statuas*, inquit, *omnium triumphali effigie in utraquè*

sui fori porticu dedicavit. Vnde etiam illud cognoscimus, non solum sub dio statuas in foro constitutas, sed in porticibus, quas ad latera fori magnifico opere extruxêre Romani Principes.

De Foro Nervæ constat ex Lampridio in Alexand. Sever. *Statuas*, inquit, *Colossas, vel pedestres nudas, vel equestres, Divis imperatoribus, in Foro Divi Nervæ, quod Transitorium dicitur, locavit.* Fori Trajani Capitolinus meminit. Ita ille de M. Antonino. *Nobilibus viris bello Germanico defunctis statuas in foro Vlpio collocavit.* Vlpium forum idem est quod Trajani. In hoc foro etiam collocata erat statua Augusti ex Electro, & Nicomedis Bithyniæ Regis ex ebore. vid. Pausan. Eliac. prior. Statua Equestris ænea Trajani, à S. P. Q. R. ipsi posita, magnitudine stupenda. Ammianus XVI, 17. Constantium scribit, cum urbem ingressus, ad hoc forum pervenisset, *attonitum hæsisse, omni spe hujusmodi quicquam conandi depulsa. Trajani tamen Equum solum in atrii medio locatum qui ipsum principem vehebat, imitari se velle dictasse; eique propè astantem Regalem Hormisdam, respondisse gestu gentili; Ante, Imperator, stabulum tale condi jubeto, si vales.* Porticum intelligit, cujus ænea tecta fuisse Pausanias tradit, cujusquè tam vasta moles erat, ut non hominum sed Gigantum manu facta videretur, adeoquè ab eodem Ammiano, *Singularis sub omni cœlo structura* appellaretur. In hoc foro etiam Poëtarum statuæ collocari solebant. De Claudiani statua ibi erecta testatur inscriptio.

STATVAM. IN. FORO. DIVI. TRAIANI.
ERIGI. COLLOCARIQVE. IVSSERVNT.

Scilicet Arcadius & Honorius Principes. De statua Ausonii Sidonius Apollinaris.

Plausores cui fulgidam Quirites,
Et carus popularitate Princeps,
Trajano Statuam foro locarunt.

Idemquè author de sua ibidem positâ.

Quod legimur medio conspicimurquè foro.

Cur vero Poëtæ sibi statuerentur, Venantius Fortunatus lib. IV. indicat, quod ibi, tanquam dicato sibi loco Poëtæ scripta sua recitare consueverint.

Vix modo tam nitido speciosa poëmata cultu
Audit Trajano Roma verenda foro.

Quod

Quod notavit olim Georgius Fabricius in suæ Romæ cap. VII. Et Barthius Adversar. XLIX, I. Nec sua solum ibi Poëtæ, sed & Poëtarum veterum poëmata recitabant, ut idem vates Christianus lib. VII. meminit.

Si tibi forte fuit bene notus Homerus Athenis,
Aut Maro, Trajano lectus in urbe foro.

Sic itaquè in foris statuæ. Ex qua consuetudine in principe urbe recepta, traxere exemplum moremquè municipia, quorum fora statuis quoquè conspicua erant. Plin. XXXIV, 4. *Excepta deinde res est à toto orbe terrarum humanissima ambitione, & jam omnium municipiorum foris statuæ ornamentum esse cœpere.* Adeoque fora ita replebantur, ut post statuas latere & investigantium curam fallere facilime possent, quibus hoc facto usus fuit. Vlpianus Iurisconf. leg. Fuscinius §. *idem sciendum ff. Quibus ex causs. in Possess. eatur.* Vbi de debitore occursum creditoris vitante. *Eum*, inquit, *qui in foro eodem agat, si circa columnas aut statuas,* (ita pro *stationes* recte locum emendat Iac. Cujac. Obseruat. Iuris. Tom. v. lib. I. cap. 12.) *se occultet, videri latitare veteres responderunt.* Quo respexit Ambrosius lib. de Tob. cap. 7. *Ille gressus*, inquit, *debitoris singulos numerat, aucupat deflexus, iste continuò post columnas, caput obumbrat.* Hunc etiam morem post confertas statuarum turmas latitandi, notat Sidonius Apollinaris lib. I. Epist. ad Montium, *Alii mihi plus*, ait, *quam deceret, ad genua provolvi, alii ne salutarent, fugêre post statuas, occulti post columnas.* Porro fori Romani non omnis locus æquè honoratus erat, sed præcipuus fuit in Rostris. Cicero pro Dejotaro. *Nullus locus est ad statuam quidem Rostris clarior.* Idem Philipp. IX. *Si S. Sulpitio statuam in Rostris decreto vestro statueritis, nulla ejus legationem posteritatis inobscurabit oblivio.* Illum *oculatissimum locum* Plin. XXXIV, 6. appellat, ubi de C. Octavio in legatione interfecto, *Senatus*, inquit, *statuam poni jussit, quàm oculatissimo loco in Rostris.* De Rostris idem paulò antè d. l. *Ex his Romuli est sine tunica, sicut & Camilli in Rostris.* Et deinceps. *Inter antiquissimas sunt & Tulli Cœlii, L. Roscii, Sp. Nautii, C. Fulcinii in Rostris, à Fidenatibus in Legatione interfectorum.* Ideo summorum in Rep. virorum statuæ ibi collocabantur, Consulum videlicet, Principumquè; Nec pro alio

loco accipio illos Ammiani. *Elatos vertices scansili suggestu, quos Consulum & priorum principum imitamenta portasse*, dicit mox citato loco. Præter indicatas jammodo statuas aliæ quamplurimæ ibi sitæ fuisse leguntur, ut Syllæ equestris, apud Cic. Philipp. IX & Appian. 1. de Bell. Civil. Augusti itidem equestris, apud eundem V. ejusdem tituli libro. Curulis Antonii ab Augusto ipsi posita, apud Dionem XLIX. Palmata Divi Claudii, apud Trebell. Pollion. in ejus Cæsaris vita. Sed quis recensere singulas potest? Multæ in memoriis antiquis occurrunt. Longè verò plures authorum silentio suppressæ, in ruderibus suis etiam nomen amisêre. Cœterum interdum illis, qui meruere in Rostris spectari, adeoquè poterant ibi statuam ex senatusconsulto ponere, liberum factum fuit, si alia in parte fori potius collocari vellent, fortè ne modestiæ clarorum virorum ita intercederetur, qui judicari poterant honores ingentes verecundâ manu carpere, quam plenis ulnis arripere malle. De M. Lepido Cicero Philipp. V. ait, *Ei statuam Equestrem inauratam in Rostris, aut quo alio loco in foro vellet, ex Senatus sententia statui placere.* Vbi juxta & illud notandum, quod magno honori habitum fuit, si cui permitteretur ponere ubi vellet. Plinius XXXIV, 6. *Invenitur statua decreta & Taracia Caja, sive Sufetia Virgini Vestali, ut poneretur ubi vellet. Quod adjectum non minus honoris habet, quàm fœmina esse decretam.* Sic in illo decreto de statua A. cujusdam Quinctilii, sub Ferentino, hoc leges. HVIC. STATVAM. PVBLICE. PONENDAM IN. FORO. VBI. IPSE. VELLET. CENSVERE. Singulari etiam beneficio liberis posterisquè illustrium virorum, qui statuas meruêre, concedebatur circum statuam locus aliquot pedum, spectandis ludis in foro, cum alias in tanta populi multitudine parum commoda futura esset mansio, nisi ita assignata & vindicata à vulgo spectantium. Cic. Philipp. IX. in decreto Senatus in honorem Servii Sulpicii. *Senatui placere*, inquit, *Ser. Sulpicio statuam pedestrem æneam in Rostris statui. Cuicumquè eam statuam locum ludis gladiatoribusquè, liberos posterosquè ejus quoquo versus pedes quinquè habere.* Edebantur enim

crebrò

crebrò munera in foro, præsertim antequam Amphitheatra extruerentur, quæ spectaculis illis destinata. vid. Lips. Satur. Serm. 1, 17. Cœterum ad forum pertinet Comitium, quod ejus pars quædam erat, antiqua veneratione clarum, & in quo statuas publico decreto locari placuit. In hoc stabat Horatii Coclitis statua, ut apud Gellium IV, 5. N. A. videre est. & Hermodori Ephesii, de quâ Plinius XXXIV, 5. ut & Alcibiadis, ut apud eundem ejusdem libri. cap. 6. extat. Tum aliorum plurimorum. De Curia simul indicat Valer. Maxim. IV, 1, 6. in domesticis, ubi de P. Africano Majore. *Voluerunt illi statuas in Comitio, in Rostris, in Curia, in ipsa deniquè Iovis Opt. Max. cellæ ponere.* Fuit & Pompeij statua in curia ab illo facta. Dio Cass. lib. XLIV. Quod similiter in provinciis factum; Cic. Verr IV. de statua Verris in Curia Syracusanorum. *Respondi non me postulare, ut quicquam contra C. Verrem decer eretur in eadem Curia, in qua inauratam C. Verris statuam viderem.* Ita Athenienses in suo Prytaneo Miltiadis & Themistoclis statuas posuere, ut author est Pausan. in Atticis; & Democharis, teste Plut. in Demosthen. lib. de x. Rhetor. De Theatro constat ex Dion. Cass. lib. LVII. *Tiberius*, inquit, *Sejani vivi statuam æneam in theatro posuit.* Idem fecere Athenienses, sed Comædorum inprimis Tragædorumquè statuas in theatro ponebant, quippe quorum præcipuæ essent in loco illo partes. Pausan. in Atticis. *Sunt*, inquit, *apud Athenienses in theatro statuæ Comicorum & Tragicorum.* Cœterum in Palatio quoquè poni statuas, sed rarò contigit, quod indicat Sueton. Salvio Othon. cap 1. *Senatus honore rarissimo, statua in Palatio posita, prosecutus est eum.* Quanto honori fuerit apud Palatium statui, docet Taciti locus XV. Annal. *Tigellinum & Nervam ita extulit Nero, ut super Triumphales in foro imagines, apud palatium effigies eorum quoquè sisteret.* In Templis verò collocari solere, non consecratorum tantum, quibus non solum stare inter simulacra Deorum, sed & Numinum instar propriis & in eum usum extructis templis honorari sæpissimè contigit, ut suo loco dicam; Verum etiam aliorum quorumvis illustrium hominum statuas valdè frequenter legimus.

mus. Quod adeo tralatitium Romæ erat, ut causam querendi D. Claudius haberet, quod suo tempore in tantum increbesceret statuarum multitudo, ut omnes ædes, πάντες ναοὶ hoc est, templa, istis plena essent, ut apud Dion. Caff. lib. LX. videre licet. Sic in Templo Fortunæ Tullii Regis statuam fuisse, Dionysius Halicarn. IV, 5. C. Cæciliæ in templo Sancti, Plut. Quæst. Rom. P. Africani majoris, in cella Iovis Opt. Max. Valer. Max. IV. 1. 6. & VIII, 15. 1. M. Antonii in templo Concordiæ, Dio. Caff. l. XLIX. Cleopatræ in templo Veneris, Idem lib. LI. I. Cæsaris in fano Quirini, idem lib. XLIII. testatur. Illud verò præcipuè dabatur magnis viris, ut Imperatoribus, Themistius. Orat. XIII. *Effigies in templo Imperatoris perfectæ absolutæque collocantur.* Interdum verò & aliis, quos peculiari favore prosequi constitutum fuit Tacit. XIV. Annal. de Imaginibus Octaviæ, cum illam evocasset Nero. *Exin læti Capitolium scandunt, Deosquè tandem venerantur. Effigies Poppeæ proruunt. Octaviæ imagines gestant humeris, spargunt floribus, foroq; ac templis statuunt.* Et in summis honoribus hunc censet Dio. Chryf. Orat. XLIV. *Hoc*, inquit, *homini sufficit, ut diligatur à suis civibus. Et qui hoc obtinet, quid ille ultra indigeret imaginibus aut præconiis, aut primæ honore sedis, aut in auro compactus stet in illustrissimis templis.* Item Orat. XXXI. Rhodiaca. De statuis in templis collatis *Prætorũ quisquè, quemcunq; volebat obsequio demereri, cum quasi vobis honorantibus, contendebat quam honestissimè locare.* Sic itaquè quibus in locis decretæ statuæ ponerentur, quiquè celeberrimi omnium essent, vides, ne omnes urbis angulos, compita & vicos enumerare hic necesse sit. Priusquam tamen hoc caput claudam, addendum est & illud, non semper stata & certa fuisse, sed interdum extra ordinem & fortuitò data loca statuis, tàm extra, quàm intra urbẽ, ob rarum aliquem eventum, ubi videlicet aliquid miraculosè vel fortiter, vel interdũ etiam nefariè gestum esset: Liv. I, 36. De Accii Auguris, cotem navacula dissecantis statua. *Statua*, inquit, *Accii, posita velato capite, quo in loco res acta est, in Comitio in gradibus ipsis ad lævam curiæ fuit.* Dio Cassius LV. de Druso Germanico testatur, quod ipsi fuerint *honores statuarum fornicum, & honorarii ad ipsum Rhenum tumuli dati.* Etenim per illa loca victricia arma tulit, ibiquè mortuus est Drusus. Nisi Dionis illa verba in sensu diviso intellecta mavelis, ita ut statuarum & fornicum honores ipsi Romæ decretos, solos verò tumulos ad

Rhe-

Rhenum erectos putes. Quicquid sit, de re constat. Non absimile est huic, quod de Gryllo quodam tradit in Arcadicis Pausanias. *Quin, inquit, apparet Mantinenses Gryllum publicè sepelevisse, & quo loco cecidit, statuam ei posuisse, ac dicasse super cippum viri sociorum fortissimi.* De Galbæ Imperatoris statua senatus decretum fecit, ut poneretur *in parte fori, quâ trucidatus erat*. Suet. Galba. c. XXIII. Aureliano Cæsari & Mnesītheo ejus liberto, cujus fraude interemtus fuit, similiter utrisquè in eodem loco statuæ positæ fuêre, ubi peracta cædes Imperatoris, & sumtum de parricida supplicium erat. Ita Vopiscus in D. Aureliano. *Sanè Mnestheus postea surrectus ad stipitem, bestiis objectus est. Quod statuæ Marmoreæ positæ in eodem loco utrimquè significant. Ubi & in columnis Divo Aureliano statuæ constitutæ sunt.* Qua ex re non dubito evenisse, ut aliquando à statuis loca ipsa denominarentur. Sic in basi marmorea prægrandi Romæ, sub porticu domus Conservatorum in Capitolio, inscripti sunt XIV. regionum urbis vici, cum vicorum Curatoribus & Magistris. Inter cæteros legitur etiam vicus STATVÆ VALERIANÆ. Quæ fuerit illa statua Valeriana, difficile est indagare, nisi suspicari licet, illam fuisse Valeriæ, Publicolæ Consulis filiæ, quam Plinius XXXIV, 6. ex Annio Feciale *contra Iovis statoris ædem, in Vestibulo Superbi domus, fuisse* dicit. Vici STATVÆ SICCIANÆ in XIV. urbis regione P. Victor meminit. Sed & Ædiculæ interdum nomen à statuis traxêre. Sic apud eundem Victorem in eadẽ regione reperies ÆDICVLAM. STATVÆ. VALERIANÆ. Sic locus, ubi porta Romana erat, ante appellabatur *Statuæ Ciniciæ*. Festus. *Romanam portam vulgus appellat, ubi ex epistylio defluit aqua, qui locus ab Antiquis, appellari solitus est Statuæ Ciniciæ, quod in eo fuit sepulcrum ejus familiæ.* Ita etiam loco nomen impositum ab æneo Alexandri simulacro. Herodianus III, 4. memor. *Manet adhuc trophæum, & tantæ victoriæ testimonium, urbs in colle Alexandria simul æneum ipsius simulacrum, unde loco impositum nomen.*

CAPUT XXIV.

In Bibliothecis publicis positæ statuæ & imagines, sed præcipue doctorum. Ejus instituti quis Author. Vivis initiò raro hic honos habitus, Mortuis frequẽtius. Mos mentitis figuris exprimendi imagines clarorũ hominum, quorum vultus non extarent. Libri in publicis Bibliothecis dicati. Cura veterũ in conquirendis doctorum imaginibus. Numeriano Cæsari ingenii causa, statua in Bibliotheca

Vlpia

Vlpia constituta Trajani statua in Bibliotheca Prusensium. Ejus doctrina. Statuæ item & imagines in Bibliothecis privatorum. Indocti quîj his rebus perinde ac docti vacarunt, notati. Statuæ gypseæ. Pluteus. Pluteatia sigilla. Pictæ imagines. Quinam veterum editis voluminibus imagines doctorum ad posteros transmiserint? Hebdomades Varronis. Statuæ in Gymnasiis & Academiis, exemplo Græcorum. Non hominum solum illic statuæ, sed signa Numinum collocata. Nec omnium promiscue, sed præcipue Mercurii & Minervæ. Media Minerva quid Iuvenali? Hermathena. Gymnasia duplicia veterum. Signa γυμναπώδη. Hermeracles. Quid Herculi cum Musis quæsitum? Cura veterum in propria cuique Numini sede assignanda. Eadem circa Statuas hominum cautio.

PEnè omiseram de Bibliothecis publicis mentionem facere, quas in urbe plures fuisse, inquè quibus statuas poni & imagines ex monumentis illius ævi didicimus. Quantum igitur de illis memoria suppeditat, hic proferemus. Ponebantur ibi præcipuè statuæ doctorum. Hoc institutum Asinio Pollioni tribuunt Plinius, cujus verba mox adducam, & Isidorus, qui de Pollione. *Primus*, inquit, *Romæ Bibliothecas publicavit, Græcas latinasquè additis Authorum imaginibus.* Eorum verò, quorum statuæ in Bibliothecis ponebantur, quidam vivi sic dicabantur, quamquam initiò raro. Plin. VII, 30. *Marci Varronis in Bibliotheca, quæ prima in urbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata Romæ est, unius viventis posita imago est.* Nisi quod deinceps consuetudo illa satis increbuit. Nam nobilium Poëtarum, qui carmina sua recitarunt imagines in Æde Camænarum solitas collocari subindicat Horatius Sermon. lib. I. Satyr. IV. ubi indignatur hunc honorem contigisse Fannio Quadrato Poëtæ ineptissimo, quem senatus imagine ultrò oblatâ in numerum bonorum Authorum recipi jussit, ne sæpius cogeretur ejus nugas audire; cum ipsi Horatio non mereri hanc gratiam liceret, Satyras scribenti, quas recitare in publico non auderet.

——— ——— *Beatus*, inquit, *Fannius ultrò*
Delatis capsis, & imagine. ———

Ad quem locum Commentator vetus, *Qui erat in authoritatem receptus, ejus imago ponebatur inter Poëtas.* Sidonio Apollinari etiam vivo hoc contigisse, ipse innuit Lib. IX. Epist. 16.

Cum meis poni statuam perennem
Nerva Trajanus titulis videret,

Inter

Inter Authores utriusque fixam
Bibliothecæ.

Græcam pariter & Latinam intelligens. Pleriquè tamen post mortem ita statuebantur, ex ea causa, ob quam etiam antiquos, & qui ante ætatem nostram fuêre, scriptores, magis quàm recentes & vivos, quantumvis bonos, æstimamus. Viventes enim comitatur invidia, quæ post fata obmutescit, secundum illud Martialis,

Esse quid hoc dicam, vivis quod fama negatur?
Et sua quod rarus tempora lector amat?
Hi sunt invidiæ nimirum, Regulè mores,
Præferat antiquos semper ut illa novis.

Deindè, quorum ora vultusquè non extabant, fictis tamen figuris exprimebantur. Plin. XXXV, 3. *Mentiri clarorum imagines, erat aliquis virtutum amor, multoquè honestius quam mereri, ne quis suas expeteret. Non est prætereundum & novitium inventum, siquidem non solum ex auro argentove aut certè ex ære in Bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animæ in iisdem locis ibi loquuntur. Quinimò etiam quæ non sunt, finguntur, pariuntquè desideria non traditi vultus, sicut in Homero evenit. Quo majus ut equidem arbitror, nullum est felicitatis specimen, quàm omnes semper scire cupere, qualis fuerit aliquis.* Qui locus simul indicat, solenne fuisse ibi dicari authores, quorum scripta & libri ibidem extarent, imprimis autem veteres. Magna itaquè cura eorum imagines si haberi possent, conquirebantur. Plinius Nepos. Epist. lib. I. de Saturnino. *Si inter eos, quos nunquam vidimus floruisset, non solum libros ejus, verumetiam imagines conquireremus.* Fuit ergo doctrina & literarum gloria in illis locis imprimis spectata, considerata parum reliquâ vitæ conditione. Vnde Numerianus Cæsar, cum ei statua in Bibliotheca ponenda esset, non Imperatoriæ dignitatis nomine, sed ob ingenii & Eloquentiæ laudem ibi locum invenit. Flavius Vopiscus de eo. *Hujus oratio tantum habuisse fertur eloquentiæ, ut illi statua, non quasi Cæsari, sed quasi Rhetori decerneretur, ponenda in Bibliotheca Vlpia cui subscriptum est.* NVMERIANO CÆSARI, ORATORI SVIS TEMPORIBVS POTENTISSIMO. Ita ante eum Trajanus qui Vlpiam Bibliothecam instituit, artiumquè & ingeniorum præstantium benignus patronus extitit, Prusæ in Bithynia provincia statuam

in

in Bibliotheca habuisse traditur à Plinio. Nepot. Epist. l. x *Ipse*, inquit, *in re præsenti fui* , *& vidi tuam quoquè statuam in Bibliotheca positam.* Vt ex eo simul cognoscamus , & eundem morem viguisse in Provinciis, qui Romæ fuit, & Trajanum maximè ingenii causa in illo loco dicatum. Trajanus doctrinâ præstabat. Dacica enim scripsit. Ex quorum lib. I. Priscianus in VI. aliquid in rem suam adducit. Cæterum, ut dixi, non publicæ tantum bibliothecæ sic ornabantur; Sed privatam quisquè suam docti, non libris solum , sed & hoc genus statuis & imaginibus instruxêre , quo simul & suum erga honestas literas amorem testarentur, sedes illarum exornando , & ipso adspectu vultuum qui doctrinâ claros celebresquè homines referebant, illi ad similem sapientiæ virtutisquè gloriam acquirendam incitarentur. Quo fine non veterum tantum, sed coævorum etiam, quos ob virtutem & amicitiam inprimis colebant, imagines sic statuebant. Ideo Martialis gloriatur , quod imaginem ipsius Stertinius , quem Avitum nominat, *ponere in Bibliotheca sua voluerit*. Præf. ad lib. IX. Epigram. Quin laudi hæc cura & honori erat apud veteres. Contra vero penè ridiculum stolidumquè habitum fuit, si quando indocti , ut domi viderentur , non solum omnis generis scriptores librosq; falsa significatione doctrinæ conquirerent , sed sibi etiam Philosophorum veterum imagines ac statuas in Bibliothecis suis collocandas coëmerent. Tales Hypocritæ à Iuvenale Satyr. II. falsè irridentur ubi ait.

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, & Glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt.
Indocti primum: Quanquam plena omnia gypso
Chrysippi invenies. Nam perfectissimus horum est,
Si quis Aristotelem similem, vel Pittacon emit,
Et jubet Archetypos pluteum servare Cleanthas.

Ex quo loco , præter ea quæ dicta sunt , & illud observamus , quod non solum ex metallis , sed etiam gypso fierent statuæ , quæ in Bibliothecis locabantur , pro facultatum cujusquè modo. Deinceps & indè conjicere licet , quod non semper ad justam magnitudinem effictis statuis suas bibliothecas ornarint antiqui , sed non rarò minores adhibuerint , quas pluteis imponebant , ut ad hunc locum observat doctissimus Lipsius , in suo

de

de Biblioth. Syntagmate. Fuit enim pluteus tabula obliquata, & uno sui latere ita subrecta, ut libri impositi commodius inservirent oculis legentium. Super talibus pluteis videtur voluisse poëta collocatas fuisse interdum has statuas, sive Iconicas, sive Hermæas, sive capite solo vultum doctorum referentes. Huc forsan respexit Tullius ad Attic. scribens. lib. I. Epist. 9. cum ipsi mandaret, *Plutealia sigilla duo.* Sic enim fortè melius legitur, quàm *putealia sigillata.* Scilicet quę apta essent imponi pluteis. Cœterum & hoc monere in transcursu lubet, quod de statuis dictum est, idipsum etiam, ut partim ante monitum, & loca initio adducta probant, de pictis imaginibus doctorum in Bibliothecis locatis intelligi debere. Hoc Seneca vult de Tranquillit. cap. 9. Luxum tamen improbat. *Iam enim,* inquit, *inter balnearia & thermas, bibliotheca quoquè ut necessarium domus ornamentum expolitur. Ignoscerem planè, si è studiorum nimia cupiditate oriretur. Nunc ista exquisita, & cum imaginibus suis descripta sacrorum opera ingeniorum in speciem & cultum parietum comparantur.* Aliquantò expressius illud ipsum Plinius Nep. lib. IV. Epist. 28. indicat. *Herennius,* inquit, *Severus, vir doctissimus magni æstimat in Bibliotheca sua ponere imagines Municipum tuorum, Cornelii Nepotis, & Titi Cassii, petitquè si sunt istic, ut esse credibile est, describendas pingendasquè delegerem.* Simile quid innuit Cic. ad Attic. IV, 9. *Malo,* inquit, *in tua illâ sedecula, quam habes sub imagine Aristotelis sedere, quàm in istorum sella curuli.* De imaginibus talibus forte intelligendus est & Suetonius Tiberio LXX. *Fecit & Græca Poëmata, imitatus Euphorionem & Rhianum & Parthenium, quibus poëtis admodum delectatus, scripta eorum & imagines, publicis bibliothecis inter veteres & præcipues authores dedicavit.* Solebant quoquè veteres editis voluminibus sive rebus gestis, sive sapientia & doctrina illustrium hominum non laudes solum, sed imagines etiam, orisquè formam ad posteros transmittere. Talia Volumina M. Varronem & Atticum edidisse, Plin. XXXV, 2. testatur. *Imaginum,* inquit, *amorem flagrasse quondam testes sunt, & Atticus ille Ciceronis, edito de his volumine, & M. Varro, benignissimo invento, insertis voluminum suorum fœcunditati, non nominibus tantum septingentorum illustrium, sed & aliquo modo imaginibus, non passus intercidere figuras, aut vetustatem ævi contra homines valere.* Varronis isti libri, *Hebdomades*, à septem descriptorum

in illis centuriis, item, *De imaginibus*, duplici titulo, more librorum Platonis inscripti fuere. vid. Lud. Carrion. Emend. 11, 14. Præter Plinium, etiam operis ab Attico editi meminit Cornelius Nepos in ejus vita, quem, ait, *librũ composuisse de viris illustribus, atquè versibus non amplius quaternis, quinisquè sub singulorum imaginibus facta, & Magistratus eorum descripsisse.* Hæc ideo hic referre operæ preciũ duxi, ut illis satisfieret, qui mirari possent, undè similitudinem figuramq; hominum ab ultima vetustate depromerẽt illi, quos studio tali flagrasse, & statuis expressisse jam dudum vitâ functos memoriæ veteres produnt. Quod jam de Bibliothecis dictũ est, velim de Academiis etiam & Gymnasiis veterum intelligi. Nam talibus ornamentis artium, bonarumquè literarum sedes plerumq; decorabantur. Sic Veris statua in Gymnasio Leontinorum apud Cic. Verr. II. & ap. Tac. Ann. XV. quædã in Gymnasio Neronis statua constituta legitur. Profecto haud dubiè à Græcis more & exemplo. In Gymnasio Atheniensi quod Ptolomæium vocabatur, fuisse Ptolomæi, Iubæ, & Chrysippi statuas Pausanias. in Attic. tradit. Et de Berosi statua Plin. VII. 37 *Astrologia*, inquit, *enituit Berosus, cui ob divinas prædictiones Athenienses publicè in Gymnasio statuam inaurata lingua statuère.* Sed tamen antiquo instituto, non tàm hominum statuas, quàm Numinum signa iis in locis constituta fuisse reperio. Pausanias in Atticis, de Bibliotheca Atheniensium à Pisistrato structa, & à Xerxe primum, deinceps à Sylla direpta, quam Adrianus Imperator Romanus instauravit. *Sunt*, ait, *& cella hic, lacunari inaurato, ex lapide alabastro, insuper ornata signis & picturis, repositiquè illic libri.* Et quia Deorum antiquitus immensa multitudo fuit, verum numen non cognoscentibus paganis, ea cautio hanc circa rem adhibebatur, ut non omnibus locis, sine discrimine omnia Deorum simulacra statuerentur, sed quæ cuiquè loco maximè idoneà propriaquè essent, quod ex traditâ vulgo cujusquè numinis vi ac potestate debebat æstimari. Sic ad Gymnasiorum Aacademiarumque ornamenta, Mercurii signa, quæ Hermas appellabant, item Minervæ, & imprimis Hermathenæ, statuæ scilicet ex Mercurio & Minerva junctim constructæ, destinabantur. De Hermis Cic. ad Attic. lib. I. Ep. 8. *Signa Megarica & Hermas, de quibus ad me scripsisti, vehementer expto; Quicquid ejusdem generis habebis, dignum Academia*

Tibi,

Tibi, quod videbitur, ne dubitaris mittere Idem Verrin. v *Te Mercuri, quem Verres in villa & privata aliqua palæstra posuit, P. Africanus in urbe sociorum & in Gymnasio Tyndaritanorum juventutis illorum custodem & præsidem voluit esse, imploro & obtestor.* De Minerva Iuvenalis Sat. III.

Hic libros dabit, & forulos, mediamque Minervam.

Vbi mediam Minervam dupliciter exponunt interpretes ita videlicet dictam, aut quod in medio, ad exornandam bibliothecam reponeretur, aut quod non integræ & perfectæ staturæ, sed dimidiata tantum, & usque ad umbilicum efficta, solam sui προτομὴν ostendens, dedicaretur. De Hermathena Cic. ad Attic. I. I. *quod ad me,* inquit, *de Hermathena scribis, per mihi gratum est, ornamentum Academiæ proprium meæ, quod & Hermes commune omnium, & Minerva singulare est ejus Gymnasii.* Commune omnium, ait, quia Gymnasia alia erant, in quibus corpus exercebant, alia in quibus animus excolebatur disputationibus commemorationibusque de studiis Philosophiæ. Vtrorumque ergo communis Mercurius fuit; Minerva autem singularis & propria iis, quæ ad animi cultum solum instituebantur. Vulgo quippe constat, amica & artibus faventia numina, ingeniorumque liberalium antistites habitos fuisse Mercurium ac Minervam. Ista igitur simulacra, quæ ad Gymnasii ornamentum ab Attico Cicero poscit, appellat γυμνασιώδη, Epist. 6. dicti libri. *Tu velim, si qua ornamenta γυμνασιώδη, reperire poteris, quæ loci sunt ejus, quem tu non ignoras, ne prætermittas.* Et Epist. 8. *Genus hoc est voluptatis meæ, quæ γυμνασιώδη maximè sunt, ea quæro.* Sequente item Epistola generaliori voce οἰκεῖα vocat, domestica & quasi cujusque loci propria *Signa,* inquit, *nostra, & Hermeraclas, ut scribis, cum commodissimè poteris, velim imponas, & si quod aliud οἰκεῖον ejus loci, quem non ignoras, reperies, & maximè quæ tibi palæstræ Gymnasiique videbuntur esse.* Quid vero, inquies, in hoc loco & in Gymnasio Hercules, vel Mercurio Hercules, qui Hermeracles? Docet illud optime Eumenius Rhetor. in Orat. pro restaur. scholast. *Fulvius,* inquit, *ille Nobilior, in Græcia cum esset imperator, acceperat Herculem Musagetem esse, hoc est comitem ducemque Musarum, idemque primus signa novem, h. e. omnium Camænarum, ex Ambraciensi oppido*

translata, sub tutela fortissimi numinis consecravit, quia mutuis operis & præmiis juvari ornariquè deberent. Musarum quies defensione Herculis, & virtus Herculis voce Musarum. De æde Herculis Musarum. Sueton. Aug. Cap. XXIX. *Multaquè à multis extructa sunt, sicut à Marcio Philippo, ædes Herculis Musarum.* Quæ itaquè signa cuiquè loco optimè convenirent, accurate observabant, ne fortè in Numina peccarent, quæ propriis maximè sedibus coli ostentariquè velle videbantur. Idem etiam in hominum statuis factum est, & in locorum electione non tantum conditio vitæquè genus spectatum, ut in propria ac idonea sede locarentur, sed & ipse status habitusquè statuarum debuit decenter ad loci genium naturamquè conformari. Ob id neglectum Licinius Mathematicus Alabandeos apud Vitruvium VII, 5. reprehendit, dicitquè illos *satis acutos ad omnes res civiles haberi, sed propter non magnum vitium indecentiæ insipientes eos judicatos esse, quod in Gymnasio eorum, quæ essent statuæ, omnes essent causas agentes. In foro autem discos tenentes, aut currentes seu pila ludentes. Ita indecens*, ait, *inter locorum proprietates status signorum publicè civitati vitium existimationis adjecit.*

CAPUT XXV.

Inter plures statuas uno in loco positas quis ordo? Prope Deorum simulacra statuas hominum collocari, quo merito concessum. Ambitio quorundam notata. Iuxta Regum statuas poni Romæ, quàm invidiosum. Mos Romanorum distinctas in classes digerendi statuas hominum, unius ordinis & professionis. Ignobiles & claros viros simul poni, iniquè latum. Ex æqualitate meritorum & rerum gestarum similitudine ducta aliquando sociandarum statuarum ratio. Sanguinis & familiæ aliquis hic respectus habitus. Inferi familiæ suæ alienas imagines quàm studiosè vetuerint Romani veteres, & quare? Eadem ratio in statuis. Facinorosorum & improborum statuæ procul viciniâ honoratorum submotæ. Alienæ tamen statuæ ob virtutem quandoque in seriem gentilitiarum admissæ. Discrimen loci inter statuas ejusdem generis & dignitatis hominum unde constitutum? Inter propinquos ætatis, inter Reges successionis ratio habita. Ex locorum situ intercessisse aliquid huic negotio ostensum.

NVdè ita locum spectavimus: jam quæ ratio fuerit inter plures statuas uno loco simul positas, quis ordo, qui respectus dispi-

dispiciendum nobis est. Sæpè Deorum ac hominum statuæ simul stabant: & quidem juxta Deorum statuas honorabilem locum ipsa Numinis vicina majestas fecit, iis præsertim, qui publico judicio sic honorati fuêre. Sic reperimus interdum ibi collocatos eos, quibus feliciter aliquid evenerat, in exercitio artis ejus, cujus præses ille Deus quisquis fuerat, vulgò habebatur. Ita Medicum Augusti ob restitutam Principi sanitatem Romani juxta Æsculapii statuam collocaverunt. Sueton. August. cap. LIX. *Medico Antonio Musæ, cujus opera ex ancipiti morbo convaluerat, ære collato juxta signum Æsculapii statuerunt.* Aut cum aliàs insigniter honoratum quempiam ob grande aliquod meritum cuperent. Sic Lucullum Chæronenses, juxta Bacchum suum in foro, quod testimonium salutare civitati eorum aliquando in gravi cum Orchomeniis controversia tulisset, posuêre. Plutarch. Cimon. cap. III. *Itaquè Chæronenses, quibus cum Lucullus salutem attulit, statuam ei lapideam in foro juxta Bacchum posuerunt.* Interdum tale quid nonnullis affectio privata suasit. Ita juxta Veneris Genetricis simulacrum Cleopatram suam posuit Iulius Cæsar post Ægyptium triumphum. Appianus ἐμφυλ. II. *Ad Deæ latus effigiem Cleopatræ statuit, quæ hodiè juxta visitur.* Aliàs ambitiosa nimis res erat, si quis privato judicio illum sibi ipsi honorem arrogaret; unde ineptus judicatus Fabius, qui suam statuam juxta Herculis Colossum posuit. Plutarch. in ejus vita cap. XL. *Colossum Herculis Tarento translatum in Capitolio statuit, ac juxta equestrem sibi statuam posuit aream, multo hàc in re, quàm Marcellus ineptior, imò plane ejus humanitatem & clementiam admirabilem reddens, quod ex iis intelligi potest, quæ in hujus vitâ scripsimus.* Illa verò Fabii cum Marcello comparatio in eo consistit, quod cum Marcellus Syracusanis bello Punico devictis, multa Deorum simulacra auferendo, & per triumphum ducendo, iisdemquè urbem ornando, magnam apud populum gloriam acquisiverit; Hic Fabius Tarento captâ nihil ille abstulerit præter hunc Colossum; sed cujus translati honorem non modestius ferre potuerit, quàm ut ipsum sese ambitione non toleranda juxta statueret. Quæ quamvis ita disertè in Marcelli vita, ad quam lectorem suum ille Auctor remittit, non traduntur, sic sese rem tamen habere ex iis quæ ibi dicuntur, haud dubiè colligitur. Sic Iulium Cæsarem Suetonius in

ejus vita cap. LXXVI. iure cæsum existimatum fuisse dicit, quod *amplioria humano fastigio decerni sibi passus fuerit, sedem auream in Curia & pro tribunali, thensam & ferculum Circensi pompa, templa, aras, simulacra juxta Deos, pulvinar, Flaminem, lupercos, appellationem mensis è suo nomine.* Similiter Domitianum Plinius Nepos in Panegyrico acerrimè reprehendit, quod suas statuas Deorum simulacris misceret *Paulo*, inquit, *ante aditus omnes, omnes gradus totaquè area, hinc auro hinc argento relucebat, seu potius polluebatur, cum incesti Principis statuis permixta Deorum simulacra sorderent* Vt vel hoc nomine, quanquam alias non bonus Princeps Tiberius aliquam laudem meruisse videatur, quod prohibuerit suas statuas inter simulacra Deorum poni Suetonius Tiber Cap XXVI *Probibuit*, inquit *statuas atquè imagines, nisi permittente se poni permisitquè ea sola conditione, ne inter simulacra Deorum, sed inter ornamenta ædium ponerentur.* Sic non sine cautione, statuas Deorum hominumque junctim positas videmus. Quin hominum inter se statuæ aliquo etiam ordine censeri & discerni volebant Spectata ibi fuit imprimis *fo*rtuna & vitæ conditio Quamobrem, quamquam inter Regum statuas poni honori erat; magis tamen invidiosum habitum est, ut iniqui semper in memoriam Regum, nomenque Romani extitêre post primos pulsos Cicero pro Deiotaro, ad Cæsarem. *Blesamius ad Regem scribere solebat, te invidiose tyrannũ existimari, Statua inter Reges posita, animo hominum vehementer offensos, plaudi tibi non solere* & deinceps *de statua quis queritur una præsertim cum tam multas videat valdè enim invidendum est ejus Statuæ cujus trophæis non invidemus.* Suet. Jul. Cæsare, C. LXXVI. inter nimios honores, quos appetiit hunc eundem memorat, *Statuam inter Reges.* Quod Junius Brutus inter Reges in Capitolio positus fuerit, voluntate populi factum est, ut astaret scilicet semper minax ense stricto, publicæ libertatis contra impotentem Regum, & inprimis Tarquiniorum Dominatum vindex. Id indicat in vit. Marci Bruti Plutarch. cap. I *Marcus Brutus*, inquit, *genus suum à Junio Bruto deduxit quem prisci Romani æreum inter Reges in Capitolio posuerunt cum ense stricto, quod ejus maxi*

me virtute Tarquinii ejecti, libertasque Romanorum confirmata esset. Deinde video observatum fuisse, ut eorum statuæ, qui artem eandem profiterentur, seorsim in suas quasdam classes digererentur, ut ordine aut intervallo quodam distinctæ essent à simulacris aliorum, qui aliis artibus aliisque studiis tale præmium meruerant. Tacit. Annal. 11. Hortensii imaginem in Curia inter Oratores locat. *Igitur*, (inquit, de Horatio loquens) *quatuor filiis ante limen Curiæ adstantibus, loco sententiæ, quum in Palatio senatus haberetur, modo Hortensii inter oratores sitam imaginem, modo Augusti intuens ad hunc modum cœpit. Patres conscripti &c.* Vides hic aliam fuisse Oratorum Classe distinctam ab illa, in qua Principis Augusti imago. Plane geminus huic est & ille ejusdem Authoris & libri locus, ubi de honoribus Germanico mortuo decretis mentio fit, nisi quod Clypeum ibi Germanico positum legas. Quod ne huc pertinere non credas, eadem erat statuas Clypeosque decernendi ratio, iisdem meritis utrumque dabatur, & in Clypeo æquè ac in statuis, effigies extabat insignium virorum. Sed quod ad rem facit, ipsa verba audiamus. *Cum*, inquit, *censeretur Clypeus auro & magnitudine insignis, inter Authores eloquentiæ, adseruit Tiberius solitum paremque cæteris dicaturum. Neque enim Eloquentiam fortuna discerni & satis illustre, si veteres inter scriptores haberetur.* Igitur inter Oratores, inter Authores eloquentiæ, inter veteres scriptores hic dixit, ut inter complures statuarum Classes non ignoraretur, quasdam hujus, alias illius artis aut meriti hominibus fuisse adsignatas. Firmum ejus rei testimonium & hæc inscriptio Tarraconensis præbet.

C. VAL. ARABINO. FLAVIANI. F. BERGIDOF. OMNIB. HON. IN. R. P. SVA. FVNC. SACERDOTI. ROMÆ ET. AVG. P. H. C. OB. CVRAM. TABVLARI. CENSVALIS. FIDELITER. ADMINIST. STATVAM. INTER. FLAMINALES. VIROS. POSITAM. EXORNANDVM. VNIVERS. CENSVER.

Ignobiles verò & imperiti, si juxta ponerentur, clarorum & celebrium virorum honori officere putabatur. Eam ob causam Athenienses reprehensione dignos censet Dio Chrysostomus Orat. XXXI. quod nimirum vilem Poëtam juxta Menandrum statuerint. *Apud Athenienses*, inquit, *multa nunc fiunt, ob quæ quis non immeritò eos objurget, non circa alia tantum, sed etiam circa honores; nam vilem quendam poëtam qui etiam apud vos* (Rhodios alloquitur) *aliquando fabulas edidit, non solum æneum posuerunt, verum etiam juxta Menandrum.* Porrò meritorum æqualitas & similis rerum gestarum eventus, quorundam statuas in uno loco interdum conjunxit. Id contigisse Bruto & Cassio, Cæsaris percussoribus apud Athenienses, author est Dio Cassius libro XLVII. positis eorum juxta Harmodium & Aristogitonem Tyrannicidas, statuis. *Cumquè*, inquit, *essent etiam ferè ubiquè locorum propter factum suum honorati, ab Atheniensibus etiam æreæ statuæ eis juxta Harmodium & Aristogitonem, tanquam horum imitatoribus poni jussæ fuerant.* Quin sanguinis & familiæ rationem in hoc negotio habitam fuisse etiam constat. Virgil. III. Georg. in templo, quod Augusto dicaturus erat, cunctam majorum ejus seriem in statuis ponendam, ibi dixit.

Stabunt & Parii lapides, spirantia signa,
Assaraci proles, demissæque ab Iove gentis
Nomina, Trosque Parens, & Trojæ Cynthius Author.

Cæsaris enim Prosatores omnes hi fuerant ab ipso usquè Iove. Ipse Iulius Cæsar, cujus pronepos Augustus erat, progeniem ab AEnea duxit. AEneæ pater Anchises fuit, hic à Capii descendit, qui patrem habuit Assaracum Trois filium; Tros verò Ericthonii natus erat, quem Electra & Iove genitum fabulæ produnt. Totam hanc gentem simul stare poëta voluit. Cavebant præterea, ne eadem stirpe oriundi, alienis immixtis statuis & imaginibus dividerentur, ne turbata familiæ serie, quodammodo ipsa ejusdem imminueretur dignitas. Plinius XXXV, 2. *Extat Messalæ oratoris indignatio, quâ probibuit inseri genti suæ Levinorum alienam imaginem. Similis causa Messalæ seni expressit volumina illa quæ de familiis condidit, cum Scipionis Africani transisset atrium, vidissetque adoptione testamentaria Salutionis (hoc enim ei fuerat cognomen.) Africanorum dedecore notam irrepentem Scipionum*

Nomini.

Nomini. Illud de imaginibus gentilitiis haud dubiè intelligi debet ; sed nequè minus de statuis. Spartianus Severo. *Plautiano*, inquit, *iratus præcipuè quod inter propinquorum & affinium Severi simulacra suam statuam ille posuisset*. Nisi causa indignationis Severi potius in crimina alia Plautiani rejicienda sit, cujus effigies vel ideo juxta nullius boni modo & honesti hominis simulacrum, nedum inter propinquorum imperatoris statuas tolerari deberent. Nam ut laudi gloriæquè fuit honoratorum statuas simul & eodem loco collocari : ita invidiæ indignationisquè plena res erat, si facinorosorum statuæ juxta insignes virtute, meritisquè & dignitate claros viros ponerentur. Stomachatur eam ob causam Cicero in ministros sociosquè scelerum ac injuriarum Verris, Theomnastum, AEscrionem, Dionysidorum, & Cleomenem, quod Verrem scelestum hominem juxta M. Marcellum collocaverint. Verba ejus hæc sunt. *In Curia Syracusis, quem locum illi Buleuterion vocant, honestissimo loco, & apud illos clarissimo, sub illius ipsius M. Marcelli, qui cum Syracusanis locum eum eripere belli ac victoriæ lege posset, conservavit & reddidit, statua ex ære facta, ibi inauratam isti*, (Verri scilicet) *& alteram filio statuam posuerunt, ut dum istius hominis memoria maneret, Senatus Syracusanus sine lachrymis & gemitu in curia esse non posset*. Ex simili ferè causa est illa indignatio Cordi apud Senec. consolat. ad Marciam, cap. XXII. *Decernebatur Sejano statua in Pompeii theatro ponenda, quod exustum Cæsar reficiebat. Exclamavit Cordus, tunc verè theatrum perire. Quis ergo non rumperetur, supra cineres Cn. Pompeii, constitui Sejanum, & in monumentis maximi imperatoris consecrari pessimum militem ?* Vt plane statuas eorum, qui aut vita & moribus tàm longe diffidebant, aut alioqui inimicitias publicis privatisve de causis alebant, non solum non simul stare voluerint, sed omni prope locorum commercio ita secluserint, ut communio nulla intercederet. Planè ut homines inter ipsos fieri assuevit, quod Creon expressit apud Senecam, appropinquante Medéa, his verbis. *Arcete famuli tactu & accessu procul.* Hinc existimo intelligendam esse mentem Augusti cum Pompei statuam è Curia transtulit. Suetonius August. cap. XXXI. *Pompeii quoque statuam contra theatri ejus regiam Marmoreo jano superposuit, translatam è curia, in qua I. Cæsar fuerat occisus*. Id enim ultima illa verba videntur indicare. Nam cum constituisset

Auguſtus, ſummum honorem præſtare memoriæ Ducum, qui imperium P. Romani, ex minimo maximum reddidiſſent, inter cœteros Pompejum ſic vel maximè honoraturus ſibi videbatur, ſi præterquam quod oculatiore in loco ſtatuam ejus collocaſſet, eam etiam inde liberaret, ubi perpetua foret ob cædem, memoria Cæſaris, qui Pompejo cauſa exitii fuit. Cœterum quod de Gentilitiis ſtatuis, aut imaginibus dicere cœpi, non adeò ſtrictè obſervatum fuit, ut non aliorum etiam interdum ſtatuæ ob venerationem virtutis admitterentur. Lampridius Heliogabalo. *Nomen Antoniorum tu Conſtantine ſacratiſſime, ita venerari, ut Marcum & Pium inter Conſtantios Claudioſquè, velut majores tuos, aureos formaveris, adoptans virtutes veterum tuis moribus congruentes, & tibi amicas caraſquè*

Ex dictis itaquè manifeſtum eſt, ejuſdem conditionis, profeſſionis, ſimilium meritorum, & ſanguinis rationem plerumque, ut eodem loco ſtatuæ ponerentur obſervatam fuiſſe. Jam an loci diſcrimen aliquod in ſtatuis ejuſdem generis inter ipſas adhiberetur, inquirendum eſt. Atque ita locum alium inter illas honoratiorem, alium viliorem reperio. Vbi Regum, aut eorum, qui æqualis dignationis erant, ſtatuas ſimul conſtitui fors aliquando voluit, rerum geſtarum magnitudo loci prærogativam dedit. Quod quamquam non obſcurum eſt, tamen confirmabo illuſtri exemplo, quod etſi non Romanum, tamen hic non alienum ſuggerit Diodorus Siculus Biblioth. 1, 58. *Gloria,* inquit, *Seſoſtris Regis adeò cum temporibus prolatata invaluit, ut cùm multas poſt ætates redacta ſub imperium Perſarum Ægypto, Darius Xerxis Parens ſuam Memphi imaginem Seſoſtri anteponi contenderet; Flaminum Princeps in Sacerdotum concione, ubi de hoc diſputabatur, contradixerit, Darium Seſoſtris geſta non dum ſuperaſſe demonſtrans.* Alioquin deprehendo ætatis inter propinquos, & ſucceſſionis inter Reges ordinem fuiſſe conſideratum. Virgil. VII. Æneid. de Regis Latini regia.

Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum,
Antiqua ex cedro, Italuſquè paterquè Sabinus
Vitiſator, curvam ſervans ſub imagine falcem,
Saturnuſquè ſenex, Janiquè bifrontis imago,

Ve-

Vestibulo astabant, aliique ab origine Reges.

Vbi Servius. *Sanè, inquit, intelligendum est, ita ut nati fuerant, sic eorum imagines fuisse compositas.* Silius Italicus belli Pun. 1. lib. ubi describit templum, in quo Annibal juravit bellum contra Romanos,

——— Stant marmore mæsta inquit,
Effigies, Belusque parens, omnisque Nepotum
A Belo series, stat gloria gentis Agenor,
Et qui longa dedit terris cognomina Phœnix,
Ipsa sedet tandem æternum conjuncta Sychæo.

Vides ibi primum stare Belum, & post illum seriem Nepotum, h. e. successorum, ultimam tandem Didonem cum suo Sichæo. Porro ex situ dignitatem etiam mensurasse veteres reperio, ita ut altius cæteris erigi, prærogativa quædam honoris esset. Propterea apud Tacitum Granius Marcellus ab Hispone accusatur, quod ejus statua altius posita, quàm ipsorum Cæsarum esset. *Addidit*, (inquit Historicus I. Annal.) *Hispo statuam Marcelli altius quàm Cæsarum sitam.* Vbi τὸ altius, utrum de naturali loci altitudine, an verò de excelsiore basi capiendum sit, utrumque enim potest, malim inquirat ille, cui cura est nosse, Hecuba ne, an Helena minor fuerit, ut Seneca alicubi nimis curiosos perstringit, aut quo pede claudicaverit Philippus, cum nusquam id sit à Demosthene proditum, ut est apud Plutarch. in Sympofio.

CAPUT XXVI.

De statuarum basibus. Veterum statuæ supra columnis, & quare? columnarum, quàm statuarum Curulium origo antiquior. Columna Rostrata. Locus Appiani à Gelenio male versus & suo sensui redditus. Res gestæ Principum insculptæ columnis. Columna Trajana. Antoniniana. Tituli & Elogia columnis inscripta. Arcuum statuarumque in iisdem positarum inventum & causa. Quibus meritis dati iidem. Qui ante Fornices, postmodo Arcus vocati. Iani. Abusus ejus honoris mutante Republica. Arcus cum statuis ob vias munitas. Spolia devictarum gentium ad pedes statuarum. Ducis Albani arrogantia. Bases vulgares. Ratio illigandi statuas basibus, per clavos & plumbum. Saxa, terra & alia pondera ad stabilimentum injecta. Colossis

damna statuarum aliquot ex tempestate, aliisve casibus, ob parum fidam connexionem. Damna ex vetustate, vi frigoris, æstu, fulmine, terræ motu aliisque contra quæ nulla firmandi ratio satis valida.

CVm ita alicubi poni statuam decretum esset, ne in imo solo, nudave humo destitueretur, varia arte cautum fuit. Etenim subdebantur fulcra, seu sustentacula quædam, quibus è terra altius attolli posset, ut conspicuus magis honor esset. Ratio vero attollendi duplex erat; Vna quidem propria Magnis viris, & non nisi ob valdè insignia merita concessa. Alia communis magnis pariter & mediocribus. Illa in columnis, arcubus, aliisve raræ inventionis fundamentis, hæc in basibus vulgaribus statuas locavit. Quod columnas attinet, notandum est, ut ferè indicavi, causam ejus instituti fuisse eximium honorem, quo spectari supra cœteros mortales voluerunt antiqui eos, qui animi sublimitate, & virtutum gloria communem meritorum famam antegrederentur. Plinius XXXIV, 6. *Columnarum ratio erat attolli supra cœteros mortales.* Et diu quidem ille in usu honor apud Romanos erat, antequam curules statuæ ingentibus meritis adinventæ essent. Idem Plinius XXXIV, 5. *Antiquior columnarum*, inquit, *celebratio est, sicut C. Menio, qui devicerat priscos Latinos.* Quæ haud dubie est illa Equestris, quæ ipsi in foro posita a Livio VIII, 13. traditur, quemadmodum & alia equestris L. Furio Camillo ejus collegæ ibidem tum decreta, ut columnæ impositam utramquè ex hoc Plinii loco colligamus. Alia fuit columna Mènia, cujus meminit Cicero in Divin. & ibi Asconius. Peculiari tamen quodam consilio columnas cum navium rostris circumfixis statuas deprehendimus, *Rostratas* ideò dictas, haud dubio argumento victoriæ navalis. Id C. Duilio contigit, qui primus classe Pœnos devicerat. Plinius XXXIV, 5. *Columna posita C. Duilio qui primus navalem triumphum egit de Pœnis, quæ est etiam nunc in foro.* Et Quintilianus lib. 1. cap. 7. meminit ejusdem columnæ rostratæ, *quæ est C Duilio in foro posita.* Illius statuæ typum exhibet Onuphrius Panvin. lib. de triumpho; Quemadmodum eadem hodiequè spectatur in Capitolio incisa Marmori, & parieti inclusa. Hoc marmor, quod etiam inscriptionem antiquam servat, quamvis mutilam, superioribus annis inter Capitolinas urbis ruinas repertum fuit. Talem statuam in

rostra-

roſtrata columna ſenatus Auguſto poſt victum Sext. Pompejum decrevit. Appianus V. ἐμφυλ. *Ex honoribus per S. C. oblatis accepit thenſam in Circenſibus, & annua ſolennia diebus victoriæ, auratamquè pro roſtris ſtatuam, quæ ad veram effigiem expreſſa eſt, cum hoc titulo. OB. PACEM. POST. DIVTVRNA. BELLA. TERRA. MARIQVE. REDDITAM.* Sed locum illum non ſatis commodè expoſuit Latinus interpres Sigismundus Gelenius. Clarius in Græco expreſſum eſt, ubi legitur, Περικειμένων τῷ κίονι νεῶν ἐμβόλων. Quibus roſtra navium indicat affixa fuiſſe circum columnam, cui ſuperpoſita Auguſti ſtatua erat. Similem item ſtatuam imperatori Galbæ ſenatus decrevit. Sueton. Galba. cap. XXIII. *Senatus ſtatuam ei decreverat, roſtratæ columnæ ſuperſtantem in parte fori, quâ trucidatus eſt.* Aliud genus columnarum fuit, quibus etiam bellorum ac victoriarum, aliarumquè rerum, quas quiſquè geſſit, ſimulacra incidebantur. Ejuſmodi columnam Trajano apud Parthos bellum gerenti ſenatus dedicavit, in cujus ambitu Dacicum præcipuè bellum mira arte cœlatum viſitur, cujuſquè faſtigio Principis olim ſtatua impoſita erat, de quo S. Aurel. Vict. in Epitom. Cap. XIII. *Hujus exuſti corporis cineres relati Romam, humatiquè Trajani foro, ſub ejus columna, & imago ſuperpoſita.* Talis ferè eſt Cochlis Antonini Pii columna, quam ad ſimilitudinem Trajanæ ipſe ſibi erexit, habetque res ab illo geſtas circumquaquè inciſas. In cujus vertice olim nudum Principis ſimulacrum ſtetit, ut docet in Topograph. Rom. Marlianus cap. CXI. Sic Aureliano, ut tradit Vopiſcus in ejus vita; ſic Conſtantino, ut in Annal. Zonaras refert; ſic Eudoxiæ imperatrici, teſte Sozomeno. VIII, 20. & aliis apud alios ſtatuæ in columnis leguntur conſtitutæ, quos vide ſi lubet. Mihi enim indicem talium ſtruere non integrum eſt. Sufficit hoc tantum adjeciſſe, in columnis, ut in aliis ſtatuarum baſibus factum fuiſſe porrò oſtendemus, rerum geſtarum titulos & elogia inſcribi conſueviſſe. Trebellius Pollio. D. Claudio. *Dicit Ennius de Scipione. Quantam ſtatuam faciet Populus Romanus, quantam columnam, quæ res tuas geſtas loquetur?* Ita inſcriptam fuiſſe columnam Duillii, marmor Capitolinum, de quo ante, ſatis monſtrat. Cœterum arcubus ſtatuas interdum ſuperpoſitas fuiſſe

fuisse dixi. Causa eadem, quæ in columnis. Plin. XXXIV, 6. cum dixisset, columnarum rationem fuisse attolli supra cæteros mortales, addit, *quod & arcus significant novitio invento*. Novitio invento, ait, non quod ante sua tempora non diu fuerint arcus, sed quod vetere stante Repub. non tanto ornatu extruerentur, ut sub Cæsaribus fieri cœptum. Erigebantur olim iis, qui exteras gentes & provincias subjugassent, vid. Georg. Fabricii Romam cap. XV. & Salmuth ad Pancirol. rerum memorabil. part I. Tit. XXVIII. Dicebantur antea *Fornices*, quod semicircularis eorum figura esset; postea vero, cum quadrati unâ, binis aut ternis ingentibus portis fornicatis & patentibus fierent, *Arcus* nominati sunt. Et ideo sæpius confusam reperies horum nominum appellationem; Quem Cicero *Fornicem Fabianum* Divinat. in Verr. nominat, P. Victor *Arcum Fabianum*, dicit. Statuæ itaque in his arcubus interdum positæ. Asconius Ped. in divin. Cic. de eodem Fornice Fabiano. *Fornix Fabianus*, inquit, *arcus est juxta regiam, in sacra via, à Fabio Censore constructus, qui à devictis Allobrogibus, Allobrox cognominatus est, ibique statua ejus propterea posita est*. De arcubus Germanico & Druso structis, additis statuis, ob res in Oriente & in Germania gloriosè gestas, meminit Tacit. II. Annal. *Patres decrevere ut Germanicus atque Drusus ovantes urbem introirent, structi & arcus circum latera templi Martis Vltoris cum effigie Cæsarum.* Domitianus ipse sibi struxit. Suetonius in ejus vita cap. XIII. *Ianos arcusque cum quadrigis & insignibus triumphorum per regiones urbis, tot tantosque extruxit, ut cuidam græce inscriptum sit arcui, Ἀρκεῖ.* Ianos, non jani statuas, sed fornices sive portas illas magnas ad viarum capita, ab antiquis Romanis extructas, & una tantum janua aditum præbentes, interpretantur Beroaldus & Marcell. Donatus. Eorum unum triumphalem cum quadrigis, post victoriam Sarmaticam poni jussum Epigrammate 65. lib. VIII. celebrat Martialis, ubi inter alia.

Stat, (inquit) *sacer edomitis gentibus arcus ovans.*
Hic gemini currus numerant Elephanta frequenter,
Sufficit immensis aureus ipse jugis.

Quasi dicat, Auream Domitiani statuam inter geminas Elephanto-

phantorum quadrigas mediam, utrisque regendis parem à adulatione consueta, in Numen Cæsaris, quod negatas mortalibus vires majestate sua expleret.

Extat quoque inscriptio, sed mutilata, cujus residuum ostendit Arcum, Arcadio, Honorio & Theodosio. Auggg. cum eorum statuis à S. P. Q. R. fuisse erectum.

IMPP. CLEMENTISS. FELICISS. TOTO. ORBE VICTORIB.
ARCADIO. HONORIO. ET. THEODOSIO. AVGGG.
AD. PERENNE. — — — — M. TRIVMF. QVOD. — — — ARVM.
NATIONEM. IN. OMNE. ÆVUM — — — CERE. — —
ARCVM. SIMVLACRIS. EORVM. TRIVMFISQ DECOR. — — —
TOTIVS. OPERIS. SPLENDOR. — — — —
S. P. Q. R.

Sed invenio etiam ob leviores causas quam quas dixi, arcus cum statuis extructos, verum non nisi senescente & pessum eunte Re Romana. Verri Fornicem in foro Syracusani statuere, sed per vim forte metuque iniqui Prætoris, ad id adacti. *Hujus,* (inquit Cicero Verrin. II. *Fornix in foro Syracusis est, in quo nudus filius stat, ipse autem ex Equo nudatam à se Provinciam prospicit.* Ob vias munitas Augusto imperatori decretas in arcubus statuas & quadrigas complures, ostendunt, nummi quos exhibet Goltzius p. XLVI. & XLVII. Galbæ imperatori senatus consulto, arcū & statuas in illo Equestres datas ob abolitionem quadragesimæ, à Nerone prius quidem remissæ, sed statim revocatæ, docet itidem nummus in ejus facti memoriam percussus. Eum eruditissimis suis ad Suetonium animadversionibus inseruit Is. Casaubonus. Quid quod privatos interdum statuas super arcubus, posuisse privatis legimus. Ita docet inscriptio vetus.

MELIA. ANNIANA. IN. MEMOR. E. LAEPICI. Q. F. SER. BASSI. MARITI. S V I. EMPORIVM. STERNI. ET. ARCVM. FIERI. ET. STATVAS. SVPERPONI. TEST. IVSS. EX. HS. DCDXX. PR.

Initio

Initio hujus Capitis dictum erat novæ inventionis fundamenta, statuis insignium virorum aliquando substrata. Inter ista censeo orbem illum, cui Cæsaris statua post Affricam debellatam & devictum Iubam imposita fuit. De quo Dio Cassius Lib. XLIII. *Decreverat senatus ut ipse super imaginem orbis terrarum statueretur cum hac inscriptione.* SEMIDEVS. EST. Tale quid est Rhenus devictus sub equo Domitiani. Statius I. Sylvarum.

—— vacuæ pro cespite terræ,
Ænea captivi crinem tegit ungula Rheni.

Huc referri etiam debent spolia devictarum gentium, quibus imponi statuas quoque moris fuit antiqui. Ita in nummo Tiberii, quem inter Augustarum imagines Æneæ vici, à Ioh. Baptista Duvallio restitutas videre licet, statua ejus triumphalis super spoliis Germanorum insidens conspicitur, cum effigie Drusi ab altera parte, qui res in Germania imperante Patre prospere gessit. Huic simile est recentius, & ab ævo nostro Ferdinandi Albani Ducis exemplum, sed immanis & operosæ arrogantiæ plenum. Ille enim, ut author est Iacob. August. Thuanus Part. II. Hist. lib. XLVI. in Anno 1569. Æneam statuam loricatam Antverpiæ, in medio castri erigi sibi curavit, in mole ingenti conflata ex tormentis æneis, Luduvico Nassovio in pugna Gemingensi ereptis. Ejus pedibus statuæ duæ æneæ substratæ tanquam supplices, plura brachia habentes, & manibus libellos porrigentes, Crumenas insuper, fractas secures, faces & malleos tenentes, quæ Belgii nobilitatem & plebem, sacro ordine à violentia utriusque asserto devictam referebant. His & pendebant ab auriculis scutellæ, & à collo peræ mendicantium, quod protestantibus Belgii nomen inditum est, insignia, unde serpentes ac colubri prorepebant, cum larvis & hujusmodi terriculamentis, quibus falsitas, malitia, avaritia eorundem notabantur. Anteriori stylobatæ ex lapide cærulæo inscriptum erat.

FERDINANDO. ALVAREZ. A. TOLETO. ALBÆ. DVCI. PHILIPPI. II. HISPANIARVM. APVD BELGAS. PRÆFECTO. QVOD. EXTINCTA. SEDITIONE. REBELLIBVS. PVLSIS. RELIGIO

LIGIONE. PROCVRATA. IVSTITIA. CVLTA. PROVINCIIS. PACEM FIRMARIT. REGIS. OPTIMI. MINISTRO. FIDISSIMO. POSITVM.

Ad dextrum stylobatæ latus Opilio visebatur, cum ovibus ad pascua tendens, lupis & leonibus diffugientibus, & bubonibus & vespertilionibus avolantibus, ad auroræ surgentis & luce sua pestes illas discutientis splendorem, cum inscriptione, Ἀλεξίκακος ἠώς. Ad sinistrum latus inscriptum erat: DEO PATRVM NOSTRORVM. Et paulo inferius. PIETAS. Additis trophæis & instrumentis bellicis victoriam significantibus. Sed hæc jam minus vulgata fuit ratio attollendi statuas. Ea verò omnibus omninò statuis communis erat cum in Cippis suppedaneis, vel basibus quadratis sive rotundis ponerentur. Plutarch. libello, cum Principibus viris Philosopho maximè esse disputandum. *Non statuarii morem servat Philosophiæ oratio, ut simulacra (quod est apud Pindarum) faciat in suâ perpetuò hærentia basi.* Fuere autem istæ bases aut *solidæ*, ut hodiequè multæ passim spectantur, quibusquè suæ adhærent Statuæ; aut *structiles*, de quibus Pompejus Jurisconf. l. 245. ff. de verb. signif. ubi, *Statuæ*, ait, *affixæ basibus structilibus &c. non sunt ædium.* Sed cum vulgò de hac re constet, non operæ pretium duco, rei protritæ immorari; Nisi quod hoc forsan non ineptum fuerit ostendere, qua ratione illæ omnes statuæ in suis basibus ad ventorum impulsus, aliosquè incumbentium fortuitò ponderum pressus expositæ, firmatæ fuerint; ne everti & corruere facilè possent. Quod tanto excusatius fecero, quantò diligentius id notatum à probis scriptoribus deprehendo. Primo itaque necesse fuit, ut justa fieret inter statuam & basin proportio, ne præ nimia gravitate aut mole in exiguo fundamento nutaret superstructum opus. Plutarch. Orat. 11. de Fort. Alexand. *Inepti opifices*, ait, *dum magnas bases parvis donariis supponunt eorum pravitatem hoc ipso arguunt, oportuit etiam ad lineam & angulos rectos imponi.* Idem lib. ad Princip. indoct. *Hoc inter Statuas Colossicas & ineruditos Principes interest, quod statuarum istarum moles rectitudinem servat perpetuam absquè inclinatione. Ineruditi autem Principes ab interna sua inscitia sæpenumero labefactantur, atquè subvertuntur. Basi enim non sita ad lineam & angulos rectos potestatem superstruentes*

excelsam, una vergunt. Hæc ab arte. Nihilominus externis quibusdam adminiculis, & vinculis opus fuit, quæ videbimus. Ne tamen nimis superstitiosè singula persequar, duos præcipue firmandi modos indicabo, *Per infixos clavos & per affusum plumbum.* De clavis Plutarch. lib. de oracul. defect. ubi Stoicorum Deos fatis suis obstrictos simulacris comparat, quæ basibus suis affixa sunt. *Neque enim,* inquit, *liberos & solutos instar aurigarum ac gubernatorum faciunt, sed quomodo simulacra suis basibus affixa sunt. Ita Deos corporea inclusos natura ac tanquam clavis immissis adstrictos faciunt, consortes omnium mutationum, etiam ad interitum usq;.* De plumbo affuso Cic. in Som. Scipion. *Sed quanquam,* inquit, *sapientibus conscientia ipsa factorum egregiorum amplissimum virtutis est præmium; tamen illa divina virtus, non statuas plumbo inhærentes, nec triumphos arescentibus laureis, sed stabiliora quædam & viridiora præmiorum genera desiderat.* Quem locum præ oculis habuit sine dubio author consolationis, cui nomen Ciceronis falso adscribitur. Verba enim manifestam loci hujus Ciceroniani imitationem habent. Sed quicquid de eo sit, de plumbo assentitur. *Itaque,* inquit; *tam egregiis eximiisq; factis, non infixas plumbo statuas, non arescentes triumphorum coronas, satis diuturna persolvere posse præmia judicatum est.* Vlpianus I.C. l. si sepulcrum. ff. de sep. viol. *Celsus quærit, si neq; applumbata fuit statua, neq; adfixa, an pars monumẽti effecta sit, an vero maneat in bonis nostris.* Et Prud. l.1. in Sym. de Castore & Polluce. *Suffuso figunt vestigia plumbo.*

Item de simulacris Numinum. Arnobius lib. VI. adversus gentes. *Si permanendi necessitatem patiuntur, quid miserius his esse, aut quid infelicius poterit, quam si eos in basibus ita unci retinent & plumbeæ vinctiones?* Majores vero statuæ, & colosseæ illæ, injectis saxis, terra, plumbo, pondere ipso stabiliebantur Plin. XXXIV, 7. *Spectantur intus,* inquit, de Colosso Rhodio agens, *magnæ molis saxa, quorum pondere stabiliverat constituens.* Plut. lib. Ad Principem indoctum. *Plerique Principum ac Regum,* inquit, *nihil omnino differunt à Colossicis istis statuis, quæ foris heroica aut divina ornata forma, intus terrâ, lapidibus & plumbo sunt repleta.* Quin totos Colossos ex lapidibus constructos,

ſtructos, & æreis tabulis veſtitos fuiſſe argumento eſt, quod de Coloſſo ſtructili in Hippodromo Conſtantinopolit. tradit P. Gyllius Topograph. Conſtantinop. II, 12. Liſippus, ut Coloſſum Tarenti factum contra vim ventorum muniret, columnam objecit, quâ maxime furebat tempeſtas. Plin. d. l. *Id quidem & providiſſe artifex dicitur, modico intervallo, unde maximè flatum opus erat frangi, oppoſita columnâ.* Et quidem cautè. Nam ſtatuis ſæpe magnum damnum attulit tempeſtas. Cic. Philipp. IX. *Statua intereunt tempeſtate, vi, vetuſtate.* Statuas tempeſtate everſas memorat Livius lib XL. *Ver*, inquit, *procelloſum fuit eo anno, pridiè Palilia, medio ferè die atrox cum vento tempeſtas coorta, multis ſacris profaniſque locis ſtragem fecit. Signa in Circo maximo cum columnis quibus ſuperſtabant, evertit.* Item Spartianus in Severo. *Die Circenſium, cum tres victoria more ſolito eſſent locata gypſea, cum palmis, media, qua Severi nomine adſcripta orbem palmis tenebat, vento icta de Podio ſtans decidit, & humi conſtitit. Eaquè qua Geta nomine inſcripta erat & omnis comminuta eſt. Illa vero qua Baſſiani titulum praferebat, amiſſa palma, venti turbine vix conſtitit.* Vicini ponderis alliſu, vel caſu imminutæ interdum reperiuntur. Livius lib. XLIX. *Ludis Romanis eo anno, quos Publius Cornelius Cethegus & A. Poſthumius Albinus faciebant, malus in circo in ſtabulis in ſignum Pollentiam procidit, atquè id dejecit.* Hæc & ſimilia fata ſuſtinuere ſæpè illæ ſtatuæ, quæ non firmiter ſtabilitæ fuere. Contra erant & alia, quibus nulla firmandi fingendique curâ ſtabilitatem præſtare potuit. Præcipuum verò à vetuſtate. Prudent. lib. 2. in Symmach.

Virtutem nil vile decet, nam vile quod atas
Eripit, ara cadunt, aut fulvum defluit aurum,
Aut candor perit argenti.

Et Juvenalis Sat. VIII. vim temporis in ſtatuas agnoſcens, *quod prodeſt*, inquit, *oſtendere.*

—— Curios jam dimidios? Naſumque minorem
Corvini? Et Galbam auriculis naſoquè carentem?

Et frigus nimis intenſum æreas ſtatuas interdum frangere ſolitum. Diodor. Sicul. Bibliothec. III. *ubi ob intentionem frigoris area etiam ſtatua franguntur.* Et æſtus flagrantior. Horatius lib. I. Sat. 5.

 —rubra

— rubra canicula findet
Infantes statuas —

Plures adhuc statuarum pestes enumerat Prudent. lib. 1. in Symmach.

Si lapis est, senio dissolvitur, aut crepat ictu,
Percussus tenui; mollis si bractea gypsum
Texerit, infido rarescit glutine sensim.
Si formam statuæ, laminis commisit ahenis,
Lima terens, aut in partem cava membra gravata,
Pondere curvantur, scabra aut ærugo peresam,
Conficit effigiem, crebroquè foramine rumpit.

Quid vero de fulminis vi, terræ motibus, aliisquè detrimentis statuarum variis dicam? immensum foret omnia persequi. Hæc de his itaque sufficiant. Et quoniam bases illæ, præterquam quod statuas sustentarent; etiam titulos & inscriptiones habuerunt, ad illarum rationem, quantum instituti ratio patitur, explicandam potius nunc accedo.

CAPUT XXVII.

De statuarum Inscriptionibus. Index, Scriptura, Nota, Titulus, sensu eodem. Inscriptionum usus. Cur statuis quibusdam nihil inscripserint veteres, & præsertim Græci, quæsitum? Diversum apud Romanos. A quibus procuratæ inscriptiones, earundemque formulæ præfinitæ. Tituli breves & semipleni. Trophæorum apud Græcos inscriptiones sine verbo. Tituli statuarum una sæpe, duabus aut tribus tantùmmodo voculis absoluti. Sedes inscriptionum basis plerumque. Tabula miniata quandoque appensa. Pagina honorum. Collo & pectori, aliisque membris quare & quibus in statuis tituli incisi. Mos Græcorum honores hominum simulacris Deorum inscribendi, ejusque causa. Tituli alii prosa, alii versa oratione concepti. Acumen requisitum.

HAbuerunt itaquè statuæ suas inscriptiones, hoc est, literas inscriptas, indicantes quod maximè sciri intererat. Plutarch. lib. de Homero. *Elegans est etiam genus orationis Epigramma, sive inscriptio: quod inventum est imaginum & monumentorum gratia, compendio indicans, qualis sit, cui honoris causa, aliquid tale obtigit.* Quæ ideo *Indices* interdum appellatæ. Tibull. paneg. ad Messal.

Non tua majorum contenta est gloria famâ,
Nec quivis quid quâque index sub imagine dicat.

Vellejo *Scriptura* dicitur II, 61. ubi de statua Augusti, *Ætatem*, inquit, *ejus scriptura indicat.*

Horatio *Nota publica.* lib. IV. carm. od. 8.

Non incisa notis marmora publicis &c.
——— ——— clarius indicant.
Laudes quam Calabræ Pierides.

Vbi commentator vetus. *Notæ*, inquit, *sunt Characteres, tituli, inscriptiones, quibus defuncti duces quandam immortalitatem consequuntur.* Græcis ἐπιγραφή, præter alia plura Synonyma in hanc rem, quæ enumerat Iul. Pollux Onomastic. lib. v. cap. 38. Frequentissima Latinis est appellatio *Tituli*. Sueton. Caligul. XXXIV, *Statuas virorum illustrium ita subvertit, atquè disjecit, ut restitui salvis titulis non valuerint.* Sic imaginum tituli leguntur apud Livium libris IV. VIII. X. XXII apud Valer. Max. IV, 4. & V. 8. Horat Sat. V.

Populus, inquit, *stupet in titulis & imaginibus.*

Quanquam interdum per titulum tota statua intelligatur. Remigius præfat. in Epist. Pauli. *Titulus est porrò, cum totam statuam denotat.* Et dicuntur tituli quoquè, qui à statuis sejuncti seorsim laudes honoratorum enarrant. Firmicus Astron. lib. VIII. cap. 7. *His etiam honores perpetui, tituli, & honorabilium statuarum decernentur insignia.* Causa vero ejus instituti fuit propagatio laudis & memoriæ in posteritatem. Damascenus de imaginibus. Orat. III. ex Chrysost. in tertium Psalm. in Davidem & Absolon. *Ducibus, qui victores extiterint, statuas virtutis ergo Reges decernunt: Aurigis & certatoribus Principes columnas quasdam victoriæ indices erigunt; Epigrammate tanquam insigni quodam materiæ adjuncto præconium adhibentes.* Nam non perinde ut ipsum æs aut marmor, ita honores & merita subitò in oculos hominum incurrere, aut inoffenso cursu transire ad seram ætatem poterant, nisi titulis istiusmodi provisum fuisset. Vnde *immortales titulos* Arnobius appellat. Tertullian. Apolog. cap. 45. cum de Mutio, Empedocle, Didone, Regulo, Anaxarcho aliisque, qui designatis ingentibus facinoribus statuas meruêre, quantum satis, meminisset, *Illis*, inquit, *omnibus & statuas diffunditis, & imagines inscribitis, & titulos inciditis, æternitatem, quantum de monimentis*

potestis, scilicet praestatis, & ipsis quodammodo mortuis resurrectionem. Eodem sensu Horatius Carm. IV, 4. ad August.

Quae cura patrum, quaeve Quiritium,
Plenis honorum muneribus tuas,
Auguste, virtutes in aevum,
Per Titulos, memoresque fastos
AEternet.

Non tamen omnes statuae ab antiquis Graecis praesertim inscriptae fuere; nam plurimae inscriptionem nullam habebant. Causa videtur fuisse constans & firma opinio, quam fovebant de immortali famâ eorum, quos sic honorabant. Non enim tantis honoribus ornabant prisci, nisi Deos aut Heroas. Adeò rarum iis temporibus hoc decus. Videbatur itaquè pertinere ad detrimentum gloriae ipsorum, & dedecus posteritatis, quae sic nimium ingrata erga ingentia merita judicanda foret, si desperare de perennitate famae necesse esset cautione brevium titulorum. Id eleganter explicat. Dio Chrysostomus Orat XXXI Rhodiaca *Considerate*, inquit, *viri Rhodii, causam, quamobrem quasdam statuas ita positas esse verisimile sit. Nequè enim oblitum esse, nequè gravatum positorem verisimile est, neque pepercisse hac in re expensis. Nulla enim erant. Reliquum est igitur, ut ex duobus alterum fuerit in causa; Aut quod quidam fuerint valde magni, atque in veritate heroës, eoque non putarunt illorum nomina inscribi oportere, ut qui omnibus alioquin essent noti. Existimantes propter tunc vigentis gloriae excellentiam in omne tempus atque in posterum nomen mansurum, ut quorundam semideorum aut etiam Deorum. Deinde tandem propter temporis longitudinem in ignorationem venisse. Deos enim non moris est inscribere; ut ego non desperem, & aliorum quasdam esse hujusmodi.*

Ex eo est, quod ambigit Apulejus in Floridorũ I. an statua illa, quae ante aram Junonis Samiae stabat, Pythagorae aut Bathylli fuerit: utrumquè enim ferebatur; nihil tamen certè constitit, cum inscriptione careret. Quicquid sit hac de re; illud certum est, si non semper, at verò ut plurimum, praesertim apud Romanos obtinuisse morem inscribendi statuas. Eas dico, quae certis hominibus dabantur honoris causa. Nam

d

de iis, quas lucri sui, aut ostentandæ artis causa artifices, ad veterum statuarum archetypos fingebant, ut φιλοκάλοις & emacibus Dominis venderent. Cujusmodi infinitas prope adhuc inter ornamenta ædium, & monumenta vetustatis apud hodiernos Romanos videre licet, non hic mihi nunc sermo est. Inscriptionem verò plerumque illi procurabant, qui decernendi potestatem habuere. Qui interdum tamen eos in consilium adhibuerant, quibus honorem illum ibant oblatum. Id patet ex literis II. Virorum, & Decuriorum Forosemproniensium ad Verum quendam, cui statuam decreverant. Illæ, ut inscriptio Forosemproniensis monstrat, ad calcem sic habent.

QVOD. SVPERET. VOLVNTATI. NOSTRÆ. CONSVLE. ET. QVALEM. INSCRIPTIONEM. DANDAM. PVTAS. PETENTIBVS. FACITO. NOTVM. OPTAMVS. TE. BENEVALERE.

Sin autem cuiquam statuam erigere vellent, aut plebeii in civitatibus aut corpora, sive collegia, vel alia hominum genera, quibus in publicum aliquid decernendi potestas nulla fuit, illi ut ponendæ statuæ facultatem, ita inscriptionis formam à magistratibus accipere solebant. Ita monstrat Curiæ quoddam decretum, Neapoli, quanquam mutilum, quo corpori Dendrophororum forma datur inscriptionis, statuæ Octavii incidendæ: ejus verba quæ huc pertinent hæc sunt.

QVOD. POSTVLANTE. GN. CAJO. PVDENTI.

O. V. DE. FORMA. INSCRIPTION. DANDA.

STATVÆ. QVAM. DENDROPHOR. OCTAVIO.

AGATHÆ. P. C. N. h. e. *ponere communi nomine.* STATVERVNT CN. PAPIRIVS SAGITTA. ET. P. ÆLIVS. AENON. II. VIR. RETVLERVNT.

Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. id est, *quid de ea re fieri placeret, de ea re ita censuerunt.*

PLACVIT. VNIVERSIS. HONESTISSIMI. CORPORIS. DENOROPHORORVM. INSCRIPTIONEM. QVÆ. AD. HONOREM. — — — — DARET. QVÆ. — — — SERTA. EST.

Partim vero illi titulum adornabant, qui statuas accepêre. Martialis, cum ipsi statuam in Bibliotheca sua Stertinius, quem Avitum appellat, ponere vellet, ipse inscriptionem Tetrasticho condit, quam statim adducemus.

Titulorum vero alii Breviores, alii pleniores erant. Breviores illi, & semipleni, ut intelligerentur, subaudiri aliquid oportuit, quod supplere scientis & docti lectoris erat; non secus ac in Acclamationibus antiquis, ubi quædam quasi imperfecta & sine nexu verba videbis prolata, nec facile intelligenda, nisi sensum per te elicias, & quid res ipsa requirit, ingenio industriaque tua subodoreris. Cujusmodi plures inscriptiones Tropæorum apud Græcos quoquè fuisse sine verbo conceptas, in Animadvers. suis in Athenæum VIII, 10. observavit doctiss. Isac. Casaubonus. Absolvebatur itaquè tota inscriptio interdum unicâ dictione, ut in Africani statuis, quarum Cicero meminit lib. VI. Epist. I. ad Atticum, ubi prodit, *illam, quæ ad Opis posita erat in excelso, nihil aliud habuisse inscriptum, nisi* CENSOR. *in illa vero, quæ erat ad Pollucis, inscriptum fuisse* CONSVL. Interdum duabus. Horat. II. od. 24.

Si quæret, PATER VRBIVM
Subscribi statuis, indomitam audeat
Refrenare licentiam.

Tales illi Iulii Cæsaris, quarum uni SEMIDEVS EST: alteri, INVICTO DEO, subscriptum testatur Dio Cassius lib. XLIII. Et nonnunquam tribus, ut hæc apud Ciceron. Epist. 3. lib. XII. ad Familiar. *In statua, quam posuit in rostris, inscripsit,* PARENTI OPTIME MERITO. Item quatuor, ut illa Syllæ, de quâ Appianus I. ἐμφυλ. S. P. Q. R. *statuam auratam equestrem pro rostris ei posuit, hoc titulo.* CORNELIO SYLLÆ IMPERATORI FELICI: & alia Lucii, Vitellii imperatoris patris, cuius meminit Suetonius in Vitellii vita cap. III. *Defunctum*, inquit, *senatus honoravit statua, pro rostris cum hac inscriptione.* PIETATIS IM-

IMMOBILIS. ERGA. PRINCIPEM. Frequentius tamen videbis inſcriptiones ſtatuarum, pleniori verborum ambitu conceptas, ut notum eſt, & deinceps magis patebit. Fuit etiam, cum una inſcriptio pluribus reſponderet ſtatuis. Aſcon. Pedian. in Orat. Cic. contra Piſon. *Marcellus qui naufragio ad ipſam Africam periit, cum ſtatuas ſibi, ac patri, itemquè avo poneret in monumentis avi ſui, ad Honoris & Virtutis ædem ſubſcripſit; III. Marcelli novies Coſſ: fuerat autem avus quinquies, pater ſemel, ipſe ter. Itaque neque mentitus eſt, & apud imperitiores patri ſui ſplendorem auxit.* Vides conſilium ut inæquales trium honores, uno, eoquè obſcuro titulo æquales imperitis redderet, veneratione præcipuâ patris ſui, cui dempti avo duo conſulatus hac arte acceſſiſſe poterant videri. Iam vero propria & quaſi patria inſcriptionum ſedes baſes fuêre. Plin. XXXIV, 4. *Cœpit prorogari memoria hominum, & honores legendi ævo baſibus inſcribi, ne in ſepulcris tantum legerentur.*

Quas ideo etiam curatius paulo ſtrui conveniebat, & à terra ſublevari altius ne inſcriptionem aggeſta humus ſordidaret, aut obliteraret. Quod ſtatuæ Chriſti, quam ipſi Paneæ de Hæmorrhouſa mulier collocavit, accidiſſe author eſt Philoſtorgius Hiſt. Eccleſiaſt. VII, 3. quem à Photio contractum, in lucem nuper edidit Iac. Gothofredus. Interdum tamen non baſibus incidebantur tituli, ſed infra appendebantur ſive affigebantur tabulæ inſcriptionem oſtendentes, præcipuè cum altius poſitæ ipſæ ſtatuæ eſſent. Ioan. Chryſoſt. Homil. in Pſalm. XIII. *Statuæ ſuperiore loco ſtantes infra miniatas quasdam tabellas habent, quibus indicatur quiſnam rex ſit, quoque patre natus, & quod bellum confecerit.* Et hæc fortaſſe eſt illa *Longa atque inſignis honorum pagina*, apud Iuvenalem Sat. X. quam vetus Scholiaſtes, ante ſtatuas affirmat ſtetiſſe, continentem gradus honorum. Attamen ſæpe ipſis ſtatuis inciſos titulos videmus; Et non uno in loco. Interdum enim in collo ipſo, ſed nomen tantummodo inſcriptum fuit. Quod monſtrant non nullæ earum, quarum typos edidêre Fulvius Vrſinus, & Achilles Statius, cujuſquè modi complures non Romæ ſolum, ſed alibi in Italia extant. Suſpicor tamen à repertoribus earum, aut aliis, ad quos illarum poſſeſſio tranſiit, adjectum nomen fuiſſe, quoties capita ſtatuarum truncis ſuis avulſa (ut ſæpe monumenta talia ætas & duræ

molientium manus rumpunt: reddere Dominis suis voluêre, quamvis persæpe falso eventu, cum non adeò certa fides imaginis esse posset, ubi nullum nisi ex conjecturis fieret judicium. Magis solenne fuit in Pectore inscriptionem ponere. Illud tamen temere non reperies, nisi in Hermæis statuis, quas olim sine alia basi in terram destitui, & agrorum limitibus præfigi solitas, argumento est, præter id, quod antea diximus, illarum forma, in rudem quandam extremitatem desinens. Non itaquè commodior tituli locus, quam in ipso pectore fuit. Hoc modo ex antiquis inscriptæ reperiuntur apud modo nominatos Vrsinum & Statium, M. Porcii M. F. Catonis Censorii. L. Iunii Rustici, Philosophi Stoici, & P. Valesii, Volesi F. Popliculæ, aliorumquè illustrium Græcorum plurimæ statuæ. Præterea de Platonis cujusdam Eunuchi, Cubicularii Regii, qui imperante Basilisco exustus est, statuâ, quæ inscriptionem in pectore habuerit, Suidas meminit. Similiter etiam inscriptæ fuere id genus statuæ quadratæ, quæ circa medium trunci desinebant, solumquè caput & pectus tantummodo habebant, quarum frequens item apud antiquos usus. Porrò in femoribus etiam statuarum & alibi aliquid interdum fuisse inscriptum observare licet; Non tamen genuinum titulum, sed aut artificis, aut eorum qui erexerant, aliamve de statua curam susceperant, nomen vel simile quid, ut testimoniis authorum, inscriptionumquè monstrare possemus, si tanti esset.

Non hic est prætereunda Græcorum consuetudo, qui, quod titulis dignum magni in Rep. viri patrarunt, Deorum statuis inscribi permisêre, sive in signum singularis & eximii honoris, sive quod raræ tunc statuæ collocarentur hominibus. De Cimone Atheniensi Plutarch. in ejus vita cap. XIV. *Concessum est ei à populo, ut lapideas Mercurii statuas ipse poneret.* Sequuntur tres inscriptiones, res ab illo gestas, suppresso tamen ejus nomine, continentes, & deinde subjicitur; *Quæ omnia, tametsi nusquam Cimonis nomen proferunt, tamen ejus ætatis hominibus videbantur immensi esse honoris. Nihil enim neque Themistocli tale neque Miltiadi contigit.* Illud etiam in titulis observare licet, alios verbis solutis, alios carmine fuisse conceptos. De illo Inscriptionum genere, ut semper ferè, & vulgò usitato,

omnia

omnia monumenta & lapides testantur, & ex iis, quæ à nobis aut ante hac adducta sunt, aut deinceps afferentur, abunde patet. De hoc vero constat ex Ovidio Epist. Heroid. 11.

Hoc tua post illos titulo signetur imago
Hic est, cujus amans hospita capta dolo est.

Et Martial. lib. IX. Epigram. 1.

Hoc tibi sub nostra breve carmen imagine vivat,
Quam non obscuris jungis, Avite, viris.
Ille ego sum nulli nugarum laude secundus,
Quem non miraris, sed puto, lector, amas.
Majores majora sonent; mihi parva locuto
Sufficit, in vestras sæpe redire manus.

Extat & fragmentum Suessæ, quod ejusmodi inscriptionis particulam servat.

HIC NVNC CAMPANAS MODERATOR SVBLEVAT VRBES.
VNDE. ERGO. ET. POPVLI. STATVAM.
TRIBVERE. SVESSO.

Interim inscriptiones hujus generis oportuit esse doctas & habere judicium atquè acumen; aliàs non probabantur. Et sanè Horatii locus de art. Poët. vers. 372.

——— *Mediocribus esse poëtis,*
Non homines, non Dii, non concessère columnæ.

Videtur non minus verè hanc, quàm vulgo probatam interpretationem recipere, ipsa re ita dictante.

CAPUT XXVIII.

Tituli statuarum pleniores. Nomen inscriptum. Vt alienis statuis aliena & peregrina nomina inciderentur, quam diversa ratio? insignium virorum statuæ nominibus Virtutum consecratæ. Rhodiorum & Atheniensium consuetudo, statuas veteres, novis Dominis subinde assignandi notatæ. Nomina aliena qui ipsi asciverint, suisque statuis inscripserint. Mummii ruditas. Inscripti simul interdum præter parentes & Majores, ipsi qui decreverant, qui sumptus administraverant, quique posuerant. Formulæ variæ in hanc rem. Artificum & mercatorum fraus. Res gestæ inscriptæ. Vanitas quorundam. Laudes & Elogia incisa. Formulæ item

hic diversa. Preterea gesti honores & Magistratus ibidem connotati. Historiæ quantum sæpe adjumentum accedat ex Statuarum inscriptionibus. Decreta integra, testamenta, gratulationes, tum tempus dedicationis, aliaque id genus nonnulla incisa statuis. Romæ revocata nuper consuetudo statuis & titulis honorandi bene meritos.

DIctum est plerosquè statuarum titulos pleniori verborum circuitu solere inscribi. Iam itaque quid in illis præcipuè contineretur, hoc capite monstrabimus. Primò, nomen ibi signabatur eorum, quibus statuæ ponebantur. Dio Chrysost. Orat. Rhodiac. XXXI. *Publicè conscripta sunt, nequè solum in plebis scitis, sed super ipsas etiam imagines, & nomen ejus, qui honore affectus est, & statuam populum dedisse.* Trebellius Pollio, Salonino Gallieno. cap. I. *Fuit deniquè hactenus statua in pede montis Romulei, hoc est, ante sacram viam, intra templum Faustinæ advecta ad arcum Fabianum, quæ haberet inscriptum, GALLIENO juniori, Salonino additum; Ex quo ejus nomen intelligi poterit.* Hoc quanquam ita esset, ut suis statuis sua inscriberentur nomina, hoc est, ut omnia quadrarent, statua, persona, inscriptio, & uniuscujusquè nomen illi statuæ inscriberetur, quam quisquè adeptus esset; tamen aliter interdum evenisse deprehendo; nimirum ut alienis & non propriis statuis, aliena & quasi peregrina nomina inciderentur, idquè vel Consilio vel inscitia. Consilium fuit, cum ex destinatione aut hominum nomina Deorum statuis; aut nomina Deorum seu virtutum, statuis hominum adscriberentur; aut deniquè cum hominum nomina invicem ita transirent, in alienas quidem, sed hominum statuas. Deorum signis homines nomina sua inscripsêre, qui vel ea posuerant. Scævola in l. Titia Testamento. § ult. ff. de auro arg. leg. *Seja*, inquit, *Testamento ita cavit; si mihi per conditionem humanam contigerit, ipsa faciam; sin autem, ab hæredibus meis fieri volo, jubeboque signum Dei ex libris centum, in illa sacra æde, & in patria statui, cum subscriptione nominis mei.* Vel abolere cupiebant: ut Apollinis statuæ suum nomen Constantinus Magnus inscripserat. Zonaras Annal. tom. III. *Divinus imperator ille suum illi nomen indidit, clavis quibusdam capiti insertis, qui corpus Domini salutiferæ cruci affixerant.* Vel omen inde aliquod captabant: Tales fuere forsan temporariæ illæ inscriptiones nominum imperatorum in simulacris Victoriarum Circi. Quippe inter signa

mortis

mortis Severi relatum est, quod quæ illius nomen præferebat Victoria, vento icta de podio deciderit, & humi constiterit. Nec eæ, quibus Getæ & Bassiani nomina inscripta fuerant, suo omine carebant. Quâ de re vide Spartianum Severo, cap. XXII, Locum supra, cap XXVI, aliâ ex occasione adduximus. Vel qui deniquè alio quocunquè modo ea curabant, aut honori suo, vel sedibus restituebant. Cic. Verr. IV. De nomine Scipionis Africani, in basi Dianæ Segestanæ inscripto, *Diana*, inquit, *erat posita Segestæ, sanè excelsa in basi, in qua grandibus literis P. Africani nomen erat incisum, eumque Carthagine capta, restituisse, perscriptum.* Quod idem factum in aliis etiam signis & statuis, quæ non magis ob religionem, quam ob artis pretium dono Diis datæ in templis statuebantur. Sic in Corinthio signo, quod senem effingebat, suum nomen subscribi voluit Plinius Iunior, lib III. Epistola 6. qui emtum à sese in Iovis templo, Comi in patria sua statuere Severum jussit. *Iube*, inquit, *basin fieri, ex quo voles marmore, quæ nomen meum, honoresquè capiat, si hos quoquè putabis addendos* Hominum verò statuis Deorum nomina inscripta reperio. Sic nomen Liberi patris suis statuis Antonius subscripsit. Seneca pater, Suasor. Prim. *Cum Antonius vellet se Liberum Patrem dici, & hoc nomen statuis subscribi, occurrerunt venienti ei Athenienses cum conjugibus ac liberis, & Dionysium salutaverunt* Cæterum apud Romanos obtinuit consuetudo, ut consecratorum inprimis statuæ, Deorum nominibus inscriberentur. Sic Augustus, Iupiter dictus; sic Livia, Iuno; sic Drusilla, Venus nominata. Huc pertinet vetus inscriptio Drusillæ.

VENERI. CÆLESTI.
AVGVSTÆ. SACR.
NVMMIA. C. F. DORCAS.
S. P. F. C.

Mos etiam fuit clarorum virorum statuas consecrare nominibus virtutum, pellendæ invidiæ causâ, cum modestius videretur, virtutes ipsas consecrari, quam eos, qui exercuissent. Ita intelligendus est Cicero ad Q. Fratrem. *In illis urbibus cum summo imperio ac potestate verfaris, in quibus tuas Virtutes consecratas, & in Deorum numero collocatas vides.* Quid aliud in Deorum numero

collo-

collocari, quàm statuis, templis, aris consecrari; unde legimus Principum Clementiæ, Adoptioni, Amicitiæ, Providentiæ, Pietati áras consecratas apud Corn. Tacitum, & alios. Sed & sæpe, ut dixi, in statuis hominum ita mutata sunt nomina alienis hominum hominibus. Apud Rhodios moris erat, ut cum illa urbs Statuis antiquis supra modum abundaret, Magstiratus eorum, levandi sumtus causa, ne novas semper fieri, viris de Rep. bene meritis locandas necesse esset, aliis atquè aliis subinde designarent easdem, Nomen novum inscribendo, tàm iis, quæ antea inscriptionem habebant, sed quam deraserant, Dio Chrysost. Orat. Rhodiaca. *Prætor*, inquit, *quæcunquè illi visa est, ex consecratis his statuis, eam designat; Deinde destructâ, priore inscriptione, atque alterius nomine insculpto, finem habet prioris honor, & de cætero is habet eam imaginem, qui vobis eâ dignus est visus.* Quàm cœteris, quibus nihil ante inscriptum erat. Idem. *Quibus ergò argumentis tentabunt quidam, rem hanc esse æquiorem, demonstrare? Pessimè hoc probant, cum dicunt se valde antiquis abuti, & quasdam esse sine inscriptione.* Et Athenienses simile quid videntur fecisse. Pausan. Atticis. *In Prytaneo statuæ sunt Miltiadis & Themistoclis, quas mutata inscriptione, viro Thráci, & Romano tribuerunt.* Cujusmodi quid detestari se Cicero ostendit Epist. ad Attic. I. libr. VI. cum ait. *Odi falsas inscriptiones statuarum alienarum.* Alioquin non raró contigit, ut essent, qui privato arbitrio transferrent nomina aliena in suas statuas; puta per affectum aliquem, quo ducti essent erga eos, quorum nomen sic adscivere. Ita Antoninus Bassianus Caracalla, simia Alexandri Magni, ejus nomine suas statuas plures Romæ inscripsit. Xiphilin. ex Dion. Cass. lib. LXXVIII. *Aurelianus plerasquè Statuas Romæ, tàm sub Alexandri, quàm proprio nomine Antonino positas clam demolitus fuerat.* Alias ex Ignorantia & inscitia, ut dixi, inscribi peregrina nomina interdum contigit. Adeò rudis fuit Mummius ille Corinthi eversor, ut sic mutaret nomina in statuis. De eo Dio Chrysost. Orat. Corinthiaca XXXVII. *Homo*, inquit, *ineruditus, nihilque honesti expertus, qui Philippum Amyntæ, illam ex Thespiis acceptum inscripsit. Et juvenes ex Pheneo, unum Nestorem, alterum Priamum, Populus autem Romanus se illius gnatos videre putabat, videns Arcadas ex Pheneo,* Idem paulò antè, *Spectavi & Alcibiadem*

biadem illum pulcrum Cliniæ gnatum, Inscriptionem habentem AEnobarbi. Pausanias Corinthiacis, de ornamentis in fano Iunonis haud procul Mycœnis. *Pro vestibulo*, inquit, *statuæ stant heroum & aliorum, & ipsius inprimis Orestis. Nam quæ nomine Augusti inscripta est, Orestem illum fuisse asserunt.* Porrò non tantum nomen eorum, qui statuas adepti erant, inscribebatur, sed & parentum & Avorum interdum, si clari ii, & celebres fuissent. Imò ferè semper exprimebantur in titulis illi, qui decreverant, aut dedicaverant. Tac. Annal. III. de Livia, quæ alias Iulia, *cum haud procul theatro Marcelli effigiem Divo Augusto Iulia dicaret, Tiberii nomen suo post scripserat.* Aut qui sumptus præstabant. Cic. Verr. II. *Inscriptum esse video, quandam ex his statuam aratores dedisse.* Vel quicunquè tandem potuerant. Cic. Philipp. VI. *Aspicies à sinistra illam equestrem statuam inauratam, in qua quid inscriptum est? QVINQVE ET TRIGINTA, TRIBVS PATRONO.* de L. Antonio loquitur. Ne inscriptionum veterum testimoniis rem valde notam probem, ipsâ copiâ impedior, quæ valde difficilem electionem facit. Quare cupidum lectorem ad eas ipsas remitto. Vbi quæ enim extant. Quid enim his formulis vulgatius? SENATVS. STATVA. HONORAVIT. SENATVS. CENSVIT. SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS. POSVIT. CIVITAS. DECVRIONES. PLEBS. ORDO. CORPVS. COLLEGIVM. MVNICIPES. INCOLAE. CLIENTES. MARITVS. VXOR. HAERES. AMICVS. DECREVERVNT. FACIENDAM. STATVAM. CVRAVERVNT. PONENDAM. STATVAM. CENSVERVNT. CONSTITVI. LOCARIQVE. IVSSERVNT. POSVERVNT. COLLOCAVERVNT. DEDICAVERVNT. Notandum hic est, consuevisse interdum artifices etiam sua nomina statuis inscribere, loco plerumquè abdito, & literis minutis, quod partim attigimus capite præcedenti, & præterea constare potest ex Cicer. Verrin. IV. & Tuscul Quæst. I. Item Senec. I. de Tranq. cap. I. In iis verò signis, statuisquè, quas vendituri artifices erant, ut emtores falsa specie vetustatis allicerent veterum

ac

ac celebrium artificum nomina non raro insculpebant. Phædrus in prolog. lib. v. Fabularum.

Æsopi nomen sicubi interposuero,
Authoritatis esse scito gratia.
Vt quidam artifices nostro faciunt seculo,
Qui pretium operibus majus inveniunt, novo
Si marmori adscripserunt Praxitelem, suo
Detrito, Myronem argento.

Sed ut ordinem nostrum servemus, præter nomina, legendas etiam res gestas est elogia, in titulis proposuerunt. Lampridius Alexandro. *Statuas Divis Imperatoribus locavit, omnibus cum titulis & columnis æreis, quæ gestorum ordinem continerent; Exemplo Augusti, qui summorum virorum statuas in foro suo è marmore collocavit, ADDITIS GESTIS.* Nota Augustum, ut alibi diximus, illustrium virorum statuas in foro suo dicasse effigie triumphali, additis idem gestis, Ex quibus una fuit, de quâ Plinius XXII, 6. ex Varrone. *AEmilianum quoquè Scipionem Varro author est, donatum corona obsidionali in Africa, Manlio Coss. tribus cohortibus servatis, totidemquè ad servandas eas eductis, quod & statuæ ejus in foro suo Divus Augustus adscripsit.* Reprehendit ideoquè Antonium Florus IV, 10. quod non contentus res à se vere gestas imaginibus subjici, voluerit etiam eas ibi spectari, quas ne gerere quidem cogitavit. *Sed immensa*, inquit, *vanitas hominis, dum titulorum cupidine Araxem, & Euphratem sub imaginibus suis legi concupiscit, nequè causa, nec consilio, ac ne imaginaria quidem belli indictione, quasi hoc quoquè ex arte Ducis esset, obrepere.* Nec immeritò Poëtis succenset Plutarchus, quod interdum hanc gestorum & veræ laudis fidem turpi adulatione corrumpant. Orat. I. de Fortuna Alex. ubi de ejusdem Alexandri dictis memorabilibus agens, *Non*, inquit, *consideremus eas voces, quas Poëtæ imaginibus & statuis ejus magni loquentes subscripserunt, non ad moderationem animi, sed ad potentiam Alexandri respicientes.*

AEreus inspiciens Divosquè hominesquè regentem
Velle mihi est visus talia verba loqui.
Magne tene, Iupiter, nequè enim prohibemus Olympum;
Dum tellus toto pareat orbe mihi.

Et

Et Alexander ego Iovis quidem filius. Hæc ut dixi, poëtarum sunt, fortunam ejus adulantium. Fingebatur enim Alexander facie sursum in cœlum conversa, sicut suspicere solebat, leviter inflexo collo, Plutarcho eodem teste, Orat. II. de fort. Alex. ut inde Poëtas adulandi occasionem habuisse putes, quasi excelsa semper & immortalia molienti Regi. Quamobrem veras & solidas res gestas, subjicere honestius duxere, ne fucus fieret posteritati. Nec res gestas solùm expresserant, sed addidere etiam elogia & laudes. De statua & elogio L. Cæcilii Metelli, qui sacra à virginibus Vestalibus deserta è flammis eripuit; cum ædes Vestæ, tempore primi belli Punici, incendio correpta esset; meminit Dionys. Halicarnass. lib. II. *Quamobrem*, inquit, *honores maximos à civitate grata est promeritus, sicut ex elogio patet, quod adscriptum est ejus statuæ in Capitolio.* Cogor hic iterum aliquo compendio uti, & paucis formulis, ex quibus de reliquis judicium fieri potest, ostendere, quomodo res gestæ & Elogia titulis inserta fuerint, cum totas hic inscriptiones afferre tædiosum & absurdum foret. Leges itaque persæpe. OB. EGREGIA. IN. REMPVBL. MERITA. OB. MERITVM. NOBILITATIS. IVSTITIÆ. ELOQVII. OB. INSIGNIA. BENEFICIA. OB. SINGVLARIA. BENEFICIA. OB. INSIGNIA. GESTA. OB. ILLVSTRIA. MERITA. OB. PROVIDENTIAM. ET. STATVM. OPTIMVM. VRBI. REDDITVM. QVOD. MORTEM. OB. REMPVB. OBIERIT. OB. AMOREM. IN. CIVES. OB. MODERATIONEM. Item illa Epitheta, DOMINO. PATRONO. PARENTI. OPTIMO. FELICISSIMO. DOCTISSIMO. PRÆSTANTISSIMO. FORTISSIMO. CLARISSIMO. Et alia id genus infinita. Nominatim vero gesti honores & Magistratus adjiciebantur. Plutarch. Marcello cap. 54. *In Minervæ templo apud Lindum, hoc Epigramma statuæ Marcelli fuisse adscriptum,* Posidonius refert.

Ille, hospes, patriæ, sidus memorabile Romæ,
Marcellus claris Claudius à Proavis,

Terquè quaterquè tulit bella in Mavortia fasces
Consulis, hostili cæde madefaciens.

Hujus enim carminis author, duos proconsulatus, quinquè annumeravit Consulatibus. Hocquè adeo solenne erat, ut reperias inscriptiones, quæ nihil ferè aliud, quam solam honorum Magistratuumquè, cum sacrorum, tum civilium enumerationem contineant.

Cœterum si ob honores gestos Statuæ cuipiam aut vivo publicè decretæ fuissent, aut post mortem datæ; illud etiam in aliis extra statuas titulis memorari interdum solebat, ut in saxo illo in Cordubensi agro.

C. SEMPRONIO. SPERATO. HIC. PROVINCIAE BAETICAE. CONSENSV. FLAMINIC. MVNVS. EST. CONSEQVVT. PERACTO. HONORE. FLAMIN. ET. FECIAL. OMNIVM. CONSIL. ET. CONSENSVS. STATVAM. DECREVIT. HVIC. ORDO. MELLARIENSIS. DECREVERVNT. SEPVLT. IMPENS. FVNERIS. LAVD. STATVAS. EQVESTRES. DVAS.

Vnde evenit, ut ejusmodi Inscriptionibus sæpe numero scriptores debeant, quod de honoribus, vita, origine aut affinitatibus illustribus eorum, quorum historiam pangunt, nisi ita traditum fuisset, & ipsi ignorare deberent, & aliis aperire nescirent. De honoribus Cari Imperatoris Vopiscus in ejus vita. Cap. v. *Hic igitur per civiles & militares gradus, ut tituli statuarum ejus indicant, Præfectus Prætorii à Probo factus, tantum sibi apud milites amoris locavit, ut solus dignissimus videretur imperio.* De Nobilitate Galbæ hoc præcipuum testimonium præfert in ejus vita Suetonius Cap. 11. *Neroni Galba successit, nullo gradu contingens Cæsarum domum; sed haud dubiè nobilissimus, magnaquè & vetere prosapia, ut qui statuarum titulis, pronepotem Q. Catuli Capitolini semper adscripserit; Imperator verò etiam stemma in atrio proposuerit, quo paternam originem ad* Iovem, *maternam ad Pasiphaën Minois uxorem referret. Imagines & elogia universi generis exequi longum est.*

Talis

Talis eſt illa inſcript. ſtatuæ Stilichonis Romæ cujus partem adducimus.

AB. INEVNTE. ÆTATE. PER. GRADVS. CLARISSIMÆ. MILITIÆ. AD COLVMEN. REGIÆ. ADFINITATIS. EVECTO. SOCIO. BELLORVM OMNIVM. ET VICTORIARVM. ADFINI. ETIAM DIVI. THEODOSI. AVGVSTI. ITEMQVE SOCERO. DOMINI. NOSTRI. HONORI. AVGVSTI. POPVLVS ROMANVS. PRO. SINGVLARI. EIVS. CIRCA. SE. AMORE. ATQVE. PROVIDENTIA STATVAM. EX. AERE ARGENTOQVE. IN. ROSTRIS. AD. MEMORIAM. GLORIAE. SEMPITERNAE. CONLOCANDAM. DECREVIT.

Reperitur nonnunquam & Decretum totum ſtatuæ inciſum. Patet hoc ex nonnullis titulis, & inprimis ex decreto quodam Duumvirum Tergeſte in Iſtria, in honorem Fab. Severi facto, qui Antonini Pii temporibus vixit. Verba Decreti ſola, quæ huc faciunt, exſcribam. *ILLVD. CERTE. PROXIME. FIERI. OPPORTVNE. (OPORTET.) TRIVMPHO. STATVAM. EI. AVRATAM. EQVESTREM. PRIMO. QVOQVE. TEMPORE. IN. CELEBERRIMA. NOSTRAE. VRBIS. PARTE. PONI. ET. IN. BASI. EIVS HANC. NOSTRAM. CONSENSIONEM. ATQVE. HOC. DECRETVM. INSCRIBI. VTI. AD. POSTEROS. NOSTROS. TAM. VOLVNTAS. AMPLISSIMI. VIRI. QVAM. FACTA. PERMANEANT.* Interdum etiam privati curabant teſtamenta, aliasquè leges, quas durare ad poſteritatem volebant, ſtatuarum ſuarum baſibus inſcribi. In teſtamento Græco, quod Venetiis, in tabula marmorea expreſſum, ſuo inſcriptionum volumini pag. CCXVI. inſeruiſſe Gruterum alias indicavi, inter alia & hæc leges. *Eligatur Epiſſopus. Hic verò inſcribat omnia ſecundum legem curet vero etiam ut lex & Teſtamentum incidatur in*

 baſi

basi statuarum, quæ sunt in Musejo. Quin & interdum Epistolas integras, quæ honorifica judicia & gratulationes, laudesquè eorum continebant, quibus statuæ dabantur, incisas ad aliquod baseos latus, cum frontem primaria & principalis inscriptio occuparet, animadvertere licet ex illa inscript. Forosemproniensi, quâ Duumviri & Decuriones Forosempronienses C. Hedio Vero cuidam, ob varia beneficia gratias agunt, significantque se ideo decretum de statua ex suo ipsi ponenda non misisse, ne sicut antea, cum publicè ei decreta esset, honore se contentum esse rescriberet, ipsisquè facultatem benè de eo merendi sic præcideret: Quin jam comparatam advehi, ne negare posset. Hoc argumentum literarum est, ne illas aliquantò proliziores hic dare necesse sit. Extat, si videre cupis, in immenso illo Inscriptionum Gruter. volumine, pag, CCCCXVII. Num. 6. Quod si ante maturam ætatem aliquis magna gessisset, & ingentibus honoribus functus fuisset, id quoquè indicatum est; quoniam ad laudem pertinere hoc maxime existimabatur. Vellejus Paterc. II, 61, de Augusto. *Eum senatus honoratum equestri statua, quæ hodiequè in rostris posita ætatem ejus scripturâ indicat, pro prætore, una cum consulibus Hirtio & Pansa, bellum cum Antonio gerere jussit.* Nota ætatem ibi non frustra notari; egit tum annum vigesimum, ut ibidem Historicus testatur, quæ ætas tantis rebus non sufficere credi poterat, nisi ab Augusti spiritu animata. De hac sua ætate ipse testatur in Marmore Ancyrano.

ANNOS. VNDEVIGINTI. NATVS. EXERCITVM. PRIVATO. CONSILIO. ET. PRIVATA. IMPENSA. COMPARAVI.

Vt hoc videatur inter argumenta laudum suarum non minimum censeri voluisse. Sic Domitius Afer Caligulæ ætatem in imagine ejus expressit, ut honorum annorumquè collatione, laudem Cæsaris tanto redderet ampliorem; sed quod perversum Principis ingenium in pravum sensum detorsit. Dio Cass. lib. LIX. *Domitius*, inquit, *Caii imaginem ponens, inscriptione ostenderat, Cajum annum jam agentem vicesimum septimum, alterum consulatum gerere. Id, quasi ab eo ætatem sibi & leges spretas exprobrante, molestè accepit Cajus, ejusquè rei causa, unde Domitius sibi bono-*

honorem ſperabat, in curiam pertraxit, & vix tandem incolumen dimiſit. Præterea Conſules ejus anni, quo poneretur ſtatua, & dies dedicationis ſignari ſolebat interdum, ut illa Symmachi in Capitolio.

DEDICATA. III. KAL. MAIAS.
D. N. GRATIANO. IIII. ET. MEROBAVDE. COSS.

Et in illa Agorii, Romæ itidem.

DEDICATA. KAL. FEB.
DN. FL. VALENTINIANO. AVG. III.
ET. EVTROPIO. COSS.

Idquè ſimiliter in Municipiis & coloniis notatum, quibus nimirum IIViris poſitæ eſſent. vid. inſcript. Grut. p. CCCC. XC. n. 2. 3. Tum de ſumptu, de loco, de genere, de meritis, aliiſque particularibus eventis ſæpe mentio fiebat, ut ex titulis patet, quos hic coacervare nolo. Peculiare eſt eventum quo unico & ſolo inſcriptionem ſtatuæ ſuæ, quam Romæ poſuit, abſolvi voluit Conſtantinus Magnus, omni cœtera laudis gloriæquè materie neglectâ. Significabat videlicet miraculoſam illam victoriam, quam auſpiciis Divinæ gratiæ viſâ in cœlo cruce, cum his verbis, IN. HOC. VINCES. de Maxentio reportavit. Inſcriptionem habet Euſebius de vita Conſtant. lib. 1.

HOC. SALVTARI. SIGNO. VERO. FORTITVDINIS. INDICIO. CIVITATEM. VESTRAM. TYRANNIDIS. IVGO. LIBERAVI. ET. S. P. Q. R. IN. LIBERTATEM. VINDICANS. PRISTINÆ. AMPLITVDINI. ET. SPLENDORI. RESTITVI.

Interdum votum aliquod publicum clam & temporariâ inſcriptione adjiciebatur eorum ſtatuis, quorum operam ante probatam Reſp. temporibus difficilimis deſideraret; ut ad illam Bruti factum eſt cum de Cæſare nimis Reip. gravi, & jam jam tollendo, percuſſores ejus conſilia iniſſent. Plutarch Bruto. cap. 14. *Statuæ priſci illius, qui reges ejecerat, Bruti, ſubſcripſerunt. Vtinam nunc eſſes Brutus. & Vtinam viveret Brutus.*

Sed quia de Inſcriptionibus antiquis hic actum eſt hactenus, non poſſum, quin recentiores unam alteramvè comites adjungam, tum quia multa eorum, quæ ante diximus, confirmant; tum quod, licet ex citimo ſint ævo, attamen ob elegantiam mereant inter antiqua monumenta cenſeri, quibus Romana Magnificentia & virtus cognoſcitur. Etenim ex eo tempore, quo decora iſthæc tàm miſerè peribant, quod nobis ſupra, cap. VII. notatum eſt, videntur hunc morem ponendi ſtatuas eaſquè Inſcriptionibus ornandi laxaviſſe Romani, quod etiam notat Guid. Pancirolus, Rerum Memorabil. part. I. tit. XXXII. niſi quod nuper factum eſt, ut hæc conſuetudo tanto tempore intermiſſa revocaretur, ne antiqui laudatiquè moris veſtigia penitus obliterarentur. Quod ex his Inſcriptionibus, quas adducemus, patebit. Duæ ſunt tantummodo, inciſæ pedeſtrium ſtatuarum baſibus, quæ Alexandro Farneſio, Parmenſi Duci, & Iohanni Franc. Aldobrandino, Exercituum contra hoſtes Eccleſiæ Generali, in Capitolino conſervatorum Vrbis Romæ Palatio poſitæ conſpiciuntur. Vna hæc eſt.

QVOD. ALEXANDER. FARNESIVS. PARMÆ. ET. PLACENTIÆ. DVX. III. MAXIMO. IN. IMPERIO. RES PRO REP. CHRISTIANA. PRÆCLARE. GESSERIT, MORTEM. OBIERIT, ROMANIQVE. NOMINIS. GLORIAM. AVXERIT.

S. P. Q. R.

HONORIS. ERGO. MAIORVM. MOREM. SÆCVLIS. MVLTIS. INTERMISSVM. REVOCANDVM. CENSVIT. STATVAMQVE. CIVI. OPTIMO. IN. CAPITOLIO. EIVS. VIRTVTIS. SVÆ. IN. ILLVM. VOLVNTATIS. TESTIMONIVM.

EX. S. C. P.

CLEMENTIS. VIII. PONT. MAX. AN. II. GABRIELE. CÆSARINO. I. V. C. IACOBO. RVBEO. PAPIRIO. ALBERO. COSS. CELSO. CELSO. CAP. REG. PRIORE.

Altera

Altera verò illa.

IO. FRANCISCO. ALDOBRANDINO. CIVI. ROMANO. BELLI. ÆQVE. AC. PACIS. ARTIBVS. INCLITO. QVOD. MVLTIS. DOMI. FORISQVE. PRÆCLARE. GESTIS. REBVS. ITALICI. NOMINIS. GLORIAM. LONGE. LATEQVE. PROTVLERIT.

S. P. Q. R.

VIRTVTIS. ERGO. MAIORVM. EXEMPLO. IN. CAPITOLIO. COLLOCAVIT.

ANNO SALVTIS. M. DC. II.

CLEMENTIS. VIII. PONTIFICATVS. VNDECIMO.

CAPUT XXIX.

De statuarum dedicatione. Dedicandi vox significationis variæ. ἀφιερῶσαι. Indicare. Indices, Consecrare & dedicare ut conveniant aut differant, obiter ostensum. Mos dedicandi hominum statuas Diis, apud Romanos pariter & Græcos. Hac in re loci ratio ut habita. Statuæ sepulcrorum Diis Manibus dicatæ. Causa ejus moris. Dedicabant plerumque Pontifices & sacrorum Præfecti. Mos Romanorum, ad collegium Pontificum reijciendi judicium, de religione statuarum signorumque bello captorum. Quo titulo dedicare quandoque potuerint ipsi Imperatores. Dedicationes solennibus verbis conceptæ. Cur formulæ dedicationum hujus generis adeo pauca in monumentis veterum extent, quæsitum? Dedicationum formulis leges de honoribus statuarum & modo cultus præscriptæ. Discrimen inter Divinos & Heroicos honores. Θυοσκόον ἕδος. Secundi honores qui. Dedicationes aliæ factæ cum diris inferorum Numinum in eos accitis, qui statuas suâ moverent sede. Aliæ ἀφανεῖς, & sine imprecationibus.

QVemadmodum decretæ & inscriptæ fuerint statuæ, hactenus vidimus. Nunc de earundem dedicatione pauca dicenda sunt. Habet vox dedicationis duplicem sensum, Profanum unum, alterum sacrum. In sensu profano nihil aliud est dedicare, quam rei alicujus usum auspicari, sive rem utendam facere. D. Chrysost. in Epist. ad Hebr. *Dedicatio utendi initium*

 facit.

facit. Ambrosius Millelogi *Dedicatio quippe dicitur initium utendi.* Tertullianus Apologet. Neronem *damnationis dedicatorem* vocat. Et eodem sensu idem in de Monogomia. *At ubi primum scelus homicidium in fratricidio dedicatum est.* Tum quoquè primum dedicabatur quodlibet opus, cum perfectum & absolutum esset. Vnde dedicare pro *perficere* usurpatum leges apud Goffridum Abbatem Vindocinensem I V. Epist. 27. *Promissionem utiquè vestram veritatis dedicasset effectus.* Hoc itaque dedicationis genere dedicari dicuntur sæpè à latinis Authoribus statuæ, cum eriguntur & celebrari honore & usu publico incipiunt; Quemadmodum alia opera hoc modo dedicata dicuntur, Vt *domus Neronis*, apud Suetonium Neron. cap. XXXI. *Domus Tetricorum* apud Trebell. Pollion. de triginta Tyran. cap. XXIV. *Patina Vitellii* apud Suetonium in ejus vita cap. XIII. *Pons Puteolanus* apud eundem in Caligula. cap. XXXII. Itemquè *Thermæ & Gymnasium*, in vita Neron. Cap. XII. In sensu sacro dupliciter considerari vox dedicationis potest, aut cum idem significat quod *Consecratio* propriè dicta, quæ Numen infert, & Deum inducit. Et hoc modo *Dicare* idem est, quod Græcis *ὁσιῦν, ἱερῶσαι. Dedicare* idem quod *ἀφιερῶσαι*, cui geminam significationem habere & alterum latinum compositum, *Indicare*, vult Cl. Salmasius in Exercit. Plinian. in Solin. cap. 2. ut ex eo Deos, *Indigetes*, faciat, quasi indicatos, consecratos, ex hominibus in numerum Deorum relatos. *Indices* enim dixêre veteres, pro quo nos, mutatione unius literæ facta *indiges* usurpamus. Vnde etiam *indigitamenta* appellati fuere Libri Pontificales, quibus dedicationum ritus, hominumquè dedicatorum, & in Deos relatorum nomina continebantur. Hæc itaque *indicatio*, sive quod usus crebrior firmavit, *Dedicatio*, putabatur, ut dictum est, Numen inferre, cum simulacris Deorum & consecratorum, de quibus Arnobius lib. I V. adversus gentes. *Sed eos in his colimus eosquè veneramur, quos dedicatio infert sacra, & fabrilibus efficit inhabitare simulacris.* Et deinceps ait Deos, *jure dedicationis impulsos simulacrorum coalescere junctioni.* Quæque adeo, ut Tertullian. Apologet. Cap. XII. ait. *Fatum consecratione mutant*, Vnde etiam intelligendum est, quid sit *simulacrum dedicatum* apud Ciceron. lib. 2. de ll. cui ingenium hominis se ipsum probe noscentis, ob divinum illud quod inesse videtur,

com-

comparat. *Nam, ait, qui se ipse norit primum aliquid sentiet se habere divinum, ingeniumquè in se suum, sicut simulacrum aliquod dedicatum putabit.* Tum templis, aliisquè operibus sacris. Quâ de re Quintilianus Declamat. CCCXXII. *Hæc priusquam dedicationis accipiant summam religionem, opera sunt tantum, dedicatio est illa, quæ Deum inducit, quæ sede destinata locat.* Cujus consecrationis ceremonias vid. apud Alexand. ab Alexandro Genial. Dier. VI. 14. & Majolum Canicular. Dier. Tom. II. Colloq. I.

Aut cum *dedicare* usurpatur pro eo, quod Græci dicunt ἀναπθέναι τῷ θεῷ, & leviorem quandam religionem habet. Quomodo dedicari dicuntur dona sacra omnia, quæ cum ornamenti & honoris, tum vero præcipue religionis causa Diis dicantur. Quâ in re nequè infrequens est apud idoneos Authores usus vocis consecrandi, ubi tn. discrimen aliquod Grammatici constituuut. Cornelius Fronto. *Dedicatur, Deo consecratur, quasi sanctum constituitur, hoc est, dedicatur Deo, quod illi debetur. Consecratur, quod profanum sit.* Hoc itaquè dedicationis genere solebant statuæ hominum Diis plerumquè sacrari, in locis maximè sacris, puta Templis, fanis, & sacrariis, utpote religionibus & sacrorum operationibus destinatis locis. Dio Chrysost. Orat. Rhodiac. XXXI. *Atqui*, ait, *& statuas quis dicere posset Diis consecrata donaria, eas nempe, quæ sunt in templis.* Dedicabant verò tum se ipsos, tum alios. Idem orator laudato loco. *Statuæ multæ*, ait, *talem habent inscriptionem. Ille Diis consecravit seipsum, aut Patrem, aut Filium, cuicumquè tandem Deorum.* Sic seipsum dedicavit Romulus. Dionys. Halicarnass. Ἀρχαιολογ. II. *Romulus ex manubiis Vulcano dedicavit quadrigas aureas, simulquè suam effigiem.* Et Domitianus. Tacit. III. Hist. *Mox imperium adeptus Iovi Custodi templum ingens, sequè in sinu Dei sacravit.* Alii verò alios. Sic Livia Tiberii mater, quæ alioquin adoptionis nomine Iulia dicitur, Marcelli effigiem Divo Augusto, qui jam Deus habebatur, dedicavit. Tacit. Annal. III. *Haud procul theatro Marcelli effigiem Divo Augusto Iulia dicavit.* Et in veteri Inscriptione, Pollio effigiem Cæsaris Imper. dedicat Augusto.

P. VEIDIVS. P. F. POLLIO. CÆSAREM. IMP. CAESARI. AVG. ET. COLONIAI. BENEVENTANAI.

Vetusta inscriptio alia est, in qua Taurinus quidam effigiem Parentis consecrasse Fortunæ legitur.

Tu, quæ Tarpejo coleris vicina tonanti,
Votorum vindex semper fortuna meorum.
Accipe, quæ pietas ponit tibi dona merenti,
Effigiem nostri consecratura Parentis.

Quem ritum haud dubie Romani, ut alia id genus multa à Græcis accepêre, apud quos sæpè id factum legimus. Plutarchus in vita Isocratis libro de x. Rhetor. ubi Timotheus Cereri & Proserpinæ, ut conjicere licet, statuam Isocratis dedicat. *Eleusine*, inquit, *statua ei ærea dedicata est à Timotheo Cononis filio, ante vestibulum porticus cum hac inscripeione.*

Dedicat Isocratis statuam, sacratquè Deabus,
Hospitii & studii nomine Timotheus.

Deabus, inquit, Cereri, haud dubiè, ut dixi, quæ Virgilio aliàs Eleusina mater, quamquè templo & solennibus sacris θεσμοφόρια appellatis Eleusini colebant; Et ejus filiæ Proserpinæ, quam simul cum matre coli solere paulo post ex Regillanæ statuæ dedicatione videbimus. Est & alia inscriptio in eodem ejus Authoris libro, quâ Isocratis statuam adoptivus ejus filius Aphareus Iovi dedicat.

Isocratis Aphareus patris statuam hanc dedicavit
Iovi, Deos venerans & parentum virtutem.

Apud Theocritum hoc ipsum etiam disces. Idyll. x.

Vtinã mihi essent quot opes ajunt Crœsum olim possedisse,
Aurei certè ambo staremus dicati Veneri.

Quemadmodum & ex Epigrammate ejusdem in Epicharmum, Baccho dicatum.

Et vox Dorica est, & vir qui Comœdiam invenit, est Epicharmus.
O Bacche, æneum pro vero Tibi hic dicarunt.

Observabatur autem, ut si alibi, quàm in templis dicandæ statuæ essent, illi præcipuè Numini dedicarentur, cujus in Præsidio locus quisquè esset. Sic Mithridatem Platonis statuam in Academia dedicasse Musis tradit Laertius

in vita Platonis. *Mithridates Rhodobati filius Persa, Musis statuam Platonis dedicavit, quam Silanio fecit.* Quæ in sepulcris erant Diis Manibus sacrabantur. Vt inde opinor appellatam à Pindaro statuam, Ode x. Nemeonic. Ἄγαλμ' ἀΐδα. *Decus Inferium*, quasi Diis Manibus sacrum, quorum summus est Pluto. Causa vero præcipua, cur Numinibus statuæ dedicarentur, hæc fuit, quod putarent unumquemquè sic maximè placere Numini, cui dedicaretur. Ita disco ex inscriptione quadam Græca, non ita pridem ad urbem effossa, & à Clarissimo Salmasio in latinum versa, ejusque notis illustrata. Continet illa dedicationem statuæ Regillæ, Herodis Attici, ut ille vult, uxoris. Ibi Cereri ac Proserpinæ effigies Regillæ dedicata, dicitur à deabus ipsis ideò dilecta.

Dilecta Deabus — ait interpres,
Cælicolis magnæ Cereri, Cererique minori.
Sacra quibus stat fœmineæ sub imagine formæ.

Nec illi solum Numini, cui statuæ dedicabantur; sed & aliis, si qui eodem in templo Dii consecrati propè starent, gratam creditam fuisse talium statuarum dedicationem, ex eodem monumento percipio. Sic Faustinæ, Divi Antonini Pii conjugi, quæ postmodum eodem in templo consecrata quoquè fuit, gratam fuisse effigiem Regillæ hæc verba dicunt.

In Pago Triopæ Faustinæ hæc grata locatur
Effigies.

Cœterum dedicabant, ut cœtera sacra opera, ita statuas, non nisi qui sacris Præfecti erant. *Hoc*, ait Quintilianus, supra adducto loco, *facere non cui cumque permittitur, nisi castæ manus, nisi familiaris sacris animus accesserit.* Tales erant apud Romanos Pontifices. Et ex eo est, quod de statuis signisquè, quæ bello capta essent, judicium ad collegium Pontificum rejiceret Senatus. Ipsi enim, quâ unumquodque religione suspici fas erat, optimè judicare posse videbantur. Ideò cum Ambraciotæ in senatu quererentur à M. Fulvio templa tota urbe spoliata ornamentis, simulacra Deum, Deos denique ipsos convulsos ex sedibus suis sublatos esse, senatus censuit, ut est apud Livium xxxviii, 44. *De signis, cum M. Fulvius Romam revertisset, placere ad collegium Pontificum referri, & quod ii censuissent, fieri.* Et cum Capua bello Annibalico à Q. Fulvio capta esset, Senatus consultum de

rebus Campanis factum est, in quo similiter ita legitur. *Signa, statuas æneas, quæ capta de hostibus dicerentur, quæ eorum sacra & profana essent, ad Pontificum collegium rejecerunt.* Dedicabant tamen & ipsi Imperatores. Dio Cassius lib. VII. de Tiberio. *Statuas & fana Augusto à populis aut privatis facta, partim ipse dedicavit, partim sacranda Pontificibus injunxit.* Ideo enim imperatores dedicare poterant, quoniam ipsi summum Pontificatum gerebant, & omnibus Sacerdotiis inaugurabantur. Fiebant porro dedicationes certis & solennibus quibusdam verbis. Isidor. lib. VI. Orig. *Quod dedicatur, dicendo datur, unde & appellatur.* Formulas vero plerasque in ejusmodi ritibus adhiberi solitas, non sine ingenti posteritatis damno neglexerant suis operibus inserere antiqui scriptores. Quod nequaquam condonandum esset, nisi aut excusare se possent eo, quod cum præcipua suorum temporum acta literis tradere aggressi essent, ineptum & ab Historiæ dignitate alienum ipsis visum fuerit, nimis vulgaria & trita proferre. Quæ sanè scribendi ratio bona parte rituum veterum & varia reliquæ antiquitatis scientia nos carere cogit, quibus non perinde ut illis, temporum illorum mores, ritus ac instituta usurpare oculis licet. Nisi vel hoc prætendere suæ culpæ possint, quod sacrorum arcana vulganda non erant, quomodo se Tullius Orat. pro domo sua, ad Pontif. excusat, in re planè simili. Aut quod hæc talia non nisi Pontificibus cognita essent, quod Cic. oratione laudata apertè significat, cum dicit. *Nihil loquor de Pontificio jure, nihil de ipsius verbis dedicationis, nihil de religione, ceremoniis. Non dissimulo me nescire ea, quæ etiam si scirem, dissimularem, ne aliis molestus, vobis etiam curiosus viderer.* Aut denique quod fuerint istius generis formulæ plerumquè rudes & inconditæ, utpote ab ultima antiquitate profectæ, quæ barbarum aliquid sonabat; nec decere propterea æquabilem dictionis elegantiam, quam quisquè præferre annitebatur, inconcinno, horridoquè carminum aut narrationum interjectu deformare. Quo fato Saliorum item carmina periêre. Sic video causam suam agere Livium, cum sacrificale carmen non referret, quod canebatur in Junonem pro expiando prodigio tactæ ejus de cælo ædis, cum incubaret Italiæ gravis Annibal, & instructus ingentis exercitus robore Asdrubal adventaret. *Carmen*, inquit, *in Junonem Reginam canentes virgines ibant, illa tempestate forsitan lauda-*

laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens & inconditum si referatur. lib. XXVII. cap. 39. Ex paucis tamen illis dedicationum hujus generis formulis, quas residuas habemus, præter ea quæ hactenus adducta sunt, comperire & hoc licet, cautum in illis fuisse de modo cultus, quod nimirum ediceretur, quibus quæque statua honoribus, qua religione colenda esset. Lustremus adhuc præfatæ inscriptionis unam alteramve periodum.

Nec Dea fœminea Dux & Regina catervæ, Faustina illa est,
Abnuit hanc Nympham sacris sibi adesse ministram.
Regillam dicit. Et paulò post.
Nec quæ inter priscas regnum tenet Heroinas,
Cæsaris hanc Magni, Commodum intelligit, *possit contemnere mater*,
Quæ itidem Faustina,
Mixta choris cupiet cum ludere Semidearum.

Vides hic utramquè, & Faustinam, & Regillam consecratam; sed illam, ut Deam; hanc, ut Nympham. Illam, ut Reginam; hanc, ut ministram seu pedisequam. Deniquè illæ locutiones, *Non abnuet hanc Nympham Dea, non contemnet*, disparem longè & inæqualem cultus rationem in dedicatis clarissimè ostendunt. Ipsæ ergo dedicationes modum honoris & quasi legem præscribebant. Quin idipsum clarius etiam deinceps hæc ipsa insinuat inscriptio.

Cui sacrificare voluntas,
Sacrificet: Nec enim invitum dare Thura necesse est;
Sed si cui heroum cura est non temnere cultum,
Nec mortalis enim, sed nec Dea jure putanda est;
Nec templum illa quidem, sed nec sortita sepulcrum;
Non hominum, sed nec Divum mercatur honores.

Discrimen in hac dedicatione evidens inter honores divinos & Heroicos. Ad statuas Deorum & Divorum necessariò sacra facienda erant iis, qui vindictam Numinum evitare cuperent. Ad statuas vero Heroum, sive Heroinarum, quibus jam adscripta Regilla fuit, nemo rem divinam facere, aut sacrificare tenebatur, nisi sponte & lubens officium hoc pietatis ipsis præstare vellet. Quamobrem hanc Regillæ statuam inscriptionis author

initiò statim θυσηχὸν ἔδ⊙ appellat, quod Grammatici dicunt media quadam significatione, *sacram effigiem, cui sacra fiunt, aut fieri debent*, ut accipiatur hoc loco pro effigie hactenus sacra, quatenus ipsi rem divinam facere cultores velint, hoc est cui sacra facere possunt, quibus & quotiescunquè lubet; secus quam coli Dii majores volunt. Et est hoc, quod Diogenes Laertius in vitâ Pythagoræ dicit. *Honores Diis habendos esse, & Heroibus, sed non æquales.* Græci hoc distinguunt, ut illorum, quos in Deorum numerum adscribunt, θεοποίιαν vel ἀποθέωσιν dicant; Horum verò, qui Heroibus accensentur, Τιμὰς ἡρωϊκάς. Quippe diversa longè, ἀποθεῦν & ἐναγίζειν. Vocanturquè ideò δεύτεραι τιμαὶ, *Secundi honores*, quos post Deos Geniis majorum tribuere antiqui solebant, ut apud Dionysium Halicarnass. XI. 2. ἀρχαιολ. videre licet. Vnde in testamento quodam, in tabula marmorea Venetiis, postquam testator jussisset Heroia, & statuas fieri, ac in Musejum inferri, primo die Musis, quæ ibi simul dicatæ erant, sacrificari mandavit, ut Numinibus. Secundo vero Patri, ac Matri. Tertio, Heroibus filiis, qui omnes in eodem Musejo dedicati erant; ut inde etiam intelligam, inter ipsos Heroas gradus honorum fuisse constitutos, ne Deos tantum ab Heroibus distinctos putes. Ipsa verba testamenti, quod Græcum est, ut Latinè reddita reperiuntur in Gruter. Inscription. pag. CCXVI, adducam. *Sacrificent cognati; Nona quidem & decima mensis Delphinii Musis; vigesima verò Heroibus, Phœnici & Epicteta, vigesima prima deniquè Cratesilocho & Andragora.* Hoc itaquè plerumquè observatum fuit: Quanquam procedente tempore sæpè contigit, ut quibus antea Heroici honores delati fuissent, postmodum divinis colerentur; Quod Lampsacæ contigisse, testis est Plutarchus de præclaris mulierum factis. Addebantur præterea interdum in dedicationibus diræ, quibus Dedicatores mala quævis imprecabantur iis qui statuas sede suâ moverent. Sic dicitur Herodes Atticus, in vitâ suâ apud Philostratum, alumnis suis consecrasse statuas solitus, cum imprecationibus eorum, qui sede suâ illas moverent, vel detraherent. Nam ea fuit religio veterum, ut res Diis dedicatas quascunquè amovere nefas grande censerent. Quare nec fornices, nec arcus, nec aras, nec

sepulcra,

ſepulcra, nec ſacella, aut quicquid tandem eſſet, cui religio aliqua aut reverentia deberetur; loco moveri ſuſtinebant. Vide quæ hanc in rem Exempla contulit Ioan. Brodæus Miſcellan. V. 29. Diræ autem iſtæ, ſive imprecationes fiebant non ſine alicujus ex Diis inferis compellatione. Ita in Conſecratione templi in agro Herodis Attici Triopio, quam etiam Latinam ex Græca ὁ πάνυ Salmaſius fecit, legimus advocari Parcas in ultionem eorum, qui inde glebam, aut lapidem moverit, aut qui Deas Minervam aut Nemeſin, quibus ſacer is locus erat, ſede ſua turbarit.

Non glebam hinc ulli, lapidemve impunè movendum,
Nec Parcæ faciles, aut illi parcere promptæ,
Qui divum ſanctas violaverit impius ædes.
Auribus accipite hæc vicina & ruſtica pubes,
Hic ſacer eſt locus, & divæ non ſede movendæ.

In ſequentibus etiam vindices & teſtes appellantur Pluto, Nemeſis ipſa, Alaſtor, Erynnis. Quorum Numinum officium eſt improbos & conſceleratos homines exagitare, ac pœnam ab iis exigere. Sic enim ibi legitur.

Teſtis vindexquè Minervæ,
Numine præpoſitus, nigri regnator Averni
Et templo, & pariter ſacrorum acceptus honore.
Hæc ſi audita neget ſibi quis, nequè ſcire laborat,
Inſuper aut habeat, non impunitus abibit.
Hunc cita ſed Nemeſis, atque irrequietus Alaſtor
Triſtibus urgebunt, tali pro crimine, pœnis.
Nec Triopam quondam, cui ſanguinis Æolus author,
Iuvit ſacratum Cereri temeraſſe novale.
Quiſquis eris, pœnamquè loci, nomenque memento,
Vt fugias, ne te Triopea ſequatur Erynnis.

Atquè ita pleræque aliæ dedicationes, quæ majorem aliquantò religionem continerent, fiebant, ut dixit Philoſtratus, ξὺν ἀρᾶις κινήσαντ☉. expreſſis ſcilicet imprecationibus, ne obvios terere lex conſecrationis poſſet. Interdum vero diræ illæ omittebantur, appellabanturquè tum dedicationes iſtæ ἄφωνοι, ut

ex

ex allato Philostrati loco constare quaerentibus abundè potest. Nec tamen id fieri, nisi ubi leves, & nullius penè religionis dedicationes conciperentur, solebat. Vim enim religionis expressæ imprecationes intendere, omissæ dissolvere putabantur.

CAPUT XXX.

Alia quædam circa statuarum dedicationes usurpata. Orationes publicæ habitæ. Saltationes. Spectacula & ludi præbiti, Gladiatorii, Scenici, Circenses. Data convivia. Cœnæ. Epulæ. Mulsum. Crusta. Sportulæ. Oleum. Constitutum à quibusdam, ut iteraretur hæc largitio singulis annis die dedicationis. Legata hos in sumptus relicta. Distributio hæc facta in magistratus ipsos, Collegia & plebem. Invitare ad hæc solennia dedicationum ut consuetudo fuerit. Nummi quoque sæpe dati, tàm honoratis, quàm plebi pro modo facultatum cujusque. Non in statuarum solum, sed aliorum etiam operum dedicationibus, tum in publica alia lætitia, & sacrorum celebritate largitiones istiusmodi factæ. Divisiones. Testamenta in hanc rem. Curatores hæredes aut propinqui.

IN solennibus statuarum dedicationibus multa prætetea reperio fieri solita, quæ tum ad earum ornatum, tum ad voluptatem & utilitatem præsentium & applaudentium facerent. Inter quæ primo se exhibent orationes, quæ solebant haberi. Apulej. III. Floridorum. *Quin etiam tibi*, inquit, *nobilitas senatorum, claritudo civium, dignitas amicorum, mox ad dedicationem statuæ meæ; libro etiam conscripto, plenius gratias canaciusquè libro mandabo, uti per omnes provincias eat, totoquè abhinc orbe, totoquè abhinc tempore; laudes benefacti tui, ubiquè gentium semper annorum repræsentet.* Deinde Saltationes & spectacula, quæ in Imperatoriarum præcipuè statuarum dedicationibus edere moris erat. Sozomen. hist. Eccl. VIII, 20. *Cum argenteum simulacrum imperatricis* (Eudoxiæ Arcadii uxoris) *columnæ purpureæ impositum dedicaretur, applausus ob id, ac publica saltatorum & Histrionum spectacula ibi edebantur; sicut tunc moris erat in regiarum imaginum dedicatione;* Spectacula vero illa fuêre varia. De Gladiatoriis testatur hæc inscriptio statuæ T. Ancharii. T. F. Romæ.

CVIVS. DEDICATIONE. T. ANCHARIVS PRISC

PRISC. FIL. AEDILIS. QVAESTOR. ADSEDENTE. PATRE. GLADIATORVM. PARIA. TRIGINTA. ADIECTA. VENATIONE. — — LEGITIMA. EDIDIT. L. D. D. D.

De Ludis Scenicis & Circensibus hæc meminit Hispaniensis.

PIETATI. AVG. L. LVCRETIVS. FVLVIANVS. FLAMEN. COL. IMMVNIVM. PROVINCIAE. PONTIF. PERPETVVS. DOMVS. AVG. T. P. I. EX. ARG. P. OB. HONOREM. PONTIFICATVS. LVCRETIA.

LVCRTEIA. L. F. CAMPANA. FLAM. PERP. DOMVS. AVG. EDITIS. AD. DEDICATIONEM. SCENICIS. LVDIS. PER. QVATRIDVVM. ET. CIRCENSIBVS. &c.

Planè ut in aliis operum publicorum dedicationibus quoque fiebat, ut in Pompejani Theatri dedicatione de quo Sueton. Claudio. Cap. XXI. quem vide, & alios passim.

Dabantur præterea convivia, cœnæ & epula. Dio Cassius lib. LVII. de Liviâ Augusti statuam dedicatura. *Statuam quandam Augusto Livia dedicare, ac propterea Patricios & Equites cum eorum uxoribus convivio accipere statuerat. Sed Tiberius ipse epulum viris, illa tantum mulieribus, eo jubente, præbuit.* De cœnis publicis loquitur hæc Inscriptio.

CORNELIAE. CLEMENTIS. F. TVSCAE. SACERDOTIS. PERPETVAE.

ORDO. IPORCENSIVM. OB. MVNIFICENTIAM. STATVAM. EI. CENIS. PVBLICIS. POSVIT.

ITEM. SEVIRI. CENAS. REMISERANT.

Item alia, in cujus fine legitur.

CENTVRIONES. LES. II. TRAIAN. FORTISS. OPTIMO. IN. CVIVS. DED. CENAM.

COL. DED. L. D. D. D. Sicut & illa COLONI. OB. MERITA EIVS. IN. CVIVS DEDIC. CÆNAM COLL. DED. L. D.D.D.

Et hæc Auximitana de Epulo memorat.

FLAMINIA. AVGVSTA MARITO. OMNIBVS. EXEMPLIS. DE. SE. BENE. MERITO. IN. DEDICATIONE. STATVÆ, CÆNAM. COLONIS. ET. EPVLVM. POPVLO. DEDIT. L. D. D. D.

Alioquin mulsum & crustula data populo liquet ex Inscriptione Sorana.

M. BÆBIO. M. F HÆREDes EIVS. EX TESTAMENTO. L D.D.D. CVIVS. DEDICATIONE. CRVSTVM. ET. MVLSVM. POPVLO. DIVISVM. EST.

Alii vero sportulas destribuebant. vetus inscriptio.

C. VALIO. POLYCARPO. &c. PLEBS. PISAVRENSIS. OB. MERITA. CVIVS. DEDICATIONE. SPORTVLAS. DECVRIONIBVS.

*. V. ITEMQVE. COLLEGIIS, DED. L. D.D.D.

Sed & oleum distributum plebi interdum fuit. Vt indicat hic titulus.

C. VALERIO. C. F. STEL. CLEMENTI. PRIMIPILARI. &c.

HONORIS. CAVSA. HIC. OB. DEDICATIONEM STATVARVM EQVESTRIS. ET. PEDESTRIS. OLEVM. PLEBEI VTRIVSQVE SEXVS. DEDIT. Et alia inscriptio apud Grut. p. CCCCXIV, 12. idem testatur.

Istiusmodi largitiones observo interdum repetitas fuisse singulis Annis, die Dedicationis; præsertim cum Principibus & honoratioribus statuæ positæ ab illorum cultoribus fuissent. In hanc rem decretum hujusmodi factum reperio.

DEDICATIONE. STATVARVM. CÆSARVM. ET. AVGVSTARVM. MVLSVM. ET.

ET. CRVSTVLA. PECVNIA. NOSTRA. DECVRIONIBVS. ET. POPVLO. DEDIMVS. PERPETVOQVE. EIVS. DIE. DEDICATIONIS. DATVROS. NOS. TESTATI. SVMVS. QVEM. DIEM. QVO. FREQVENTIOR. QVOTANNIS. SIT. SERVABIMVS. VI. IDVS. MARTIAS. QVIA. HAC. TI. CÆS. PONT. MAX. FELICISSIME. CREATVS. EST.

Ad iſtiusmodi ſumptus quotannis faciendos nonnunquam legata relinquebantur, ut ex ipſorum reditu & uſuris impenſa fieret. Id haud dubie vult illa, quamvis mutilata, Inſcriptio Aquilegienſis.

EX. QVORVM. VSVRIS. PER. SINGVLOS. ANNOS. CONVIVIVM. DEDICATIONIS. EXHIBEBANT.

Ex his titulis jam quoquè cognoſcere potes, qui fuerint illi, quibus talia diſtribuebantur. Nimirum Decuriones ipſi, vel Senatores. Collegia, Coloni, & plebes promiſcua, illos invitari ad iſtiuſmodi ſolennia dedicationum ſolere diſco ex Plinio Nep. Epiſt. lib. x. ad Trajanum. *Qui opus*, inquit, *publicum dedicant, ſolent totam bulen*, (h. e. ſenatum,) *atque etiam è plebe non exiguum numerum vocare, binoſquè denarios aut ſingulos dare*. Opus publicum, inquit. Quâ ſub appellatione etiam ſtatuæ, cum in publicum ponuntur. Sic Caligula Puteolis in dedicatione Pontis, invitaſſe ad ſe multos ex littore dicitur à Suetonio in ejus vita Cap. XXXII. Significat præterea modo allatus Plinii locus Nummos dari ſolere, interdum binos denarios, interdum ſingulos, Vtrumque titulis firmabimus. Datos binos denarios in ſtatuæ dedicatione, ex hac Inſcriptione videre licet.

Q. VELCENNÆ. L. F. STEL. PROCVLO. DECVRIONI. MEVANIOLA. C. C. M. M. PATRONO. HONORE. CONTENTVS. IMPENDIVM. REMISIT. ET. DEDICATIONE. STATVÆ. NVMER. COLL. IPSORVM. SPORTVL. DEDIT. SINGVLIS. DENARIOS. BINOS. L. D. D. D.

Decurionibus binos Penarios, & Municipibus, incolisquè singulos distributos hic titulus probat, aliâ appellatione nummorum idem pretium æquante. Sestertii enim octo duos denarios quator unum efficiunt.

PVBLICIÆ. M. FIRMIÆ. LOCO. DATO. D. D. M. PVBLICIVS. QVARINIVS. CVIVS. DEDICATIONE. DATA. SVNT. AB. EA. DECVRIONIBVS. SINGVLIS. HS. VIII. N. MVNICIPIBVS. ET. INCOLIS. SING. HS. IIII.

Quid quod Decurionibus singulis HS. xxx. aliisque honoratis, ut sex viris, & Augustalibus. Hs. xii. dati fuisse quandoquè leguntur. Testis hæc Inscriptio.

L. MÆSIO. L. F. POL. RVFO. PROC. AVG. TRIB. MIL. LEG. XV. APOLLINARIS. TRIC. COM. MIL. ITALIC. VOLVNT. QVÆ. EST. IN. SYRIA. PRÆF. FABRVM. BIS. MVNICIPES. ET. INCOLÆ. OB MERITA. EIVS. QVOD. ANNONA. CARA. FRVMENT. DENARIO. MODIVM. PRÆSTITIT. EARVMQVE. DEDICAT. RVFVS. EPVLVM. DEDIT. DECVRIONIBVS. SING. HS. XXX. SEXVIRIS. ET. AVGVSTALIB. SING. HS. XII. PLEBI. SING. HS. IIII.

Hoc facit, ut credam, unumquemquè suam largitatem modo facultatum fuisse metitum. Vnde in alio titulo lego Decurionibus sestertios solum quatuor, hoc est, denarium unum; & plebi, duos tantummodo datos. In fine ejus sic habes.

CVIVS. OB. DEDICATIONEM. DARI. IVSSIT. AB. HÆREDE. SVO. DECVRIONIB. SING. HS. IIII. N. PLEBI. HS. II. N. L. D. D. D.

Cujusmodi largitiones, quod de ludis ante notavimus, in aliis etiam operum publicorum dedicationibus fiebant. Suet. Neron.

ron. cap. XII. *Dedicatisque thermis atque Gymnasio, Senatui quoquè, & Equiti oleum præbuit.* Quod poterat & datum intelligi ad usum exercitationis in Gymnasio, quod in Thermis more Græcorum extruxerit Nero. Aliàs sæpè dabantur Natalitiis & Parentaliorum tempore. Dabant Imperatores etiam in lætitiâ publica, & tempore sacrorum. Vt septimontiali sacro Domitianus Senatui & Equiti panaria, plebi sportellas cum obsonio distribuit. Suet. Domit. C. IV.

Vocantur aliàs distributiones istæ Iurisconsultis *Divisiones*. Paulus. I. C. leg. civitatibus. ff. de legat. *Civitatibus legari potest, quod ad divisionem singulorum civium, vel epulum relictum fuerit.* Qua ex lege hoc etiam discimus quod cum vivi talia dare non possent, testamento hac de re caverint, & hæredibus, quid dandum esset, jusserint, ut est in illa Perusinâ Egnatii Festi.

CVIVS. OB. DEDICATIONEM DARI, IVSSIT. AB. HÆREDE. SVO. DECVRIONIBVS. SING. HS. IIII. N. PLEBI. HS. II. N. L. D. D D.

Vt hinc videantur, curatores largitionum istiusmodi quos constituebant, fuisse plerumquè propinqui & hæredes. Quod firmat etiam inscriptio Nepesina Cn. Cœpillii, quæ filii hoc in negotio meminit.

CVIVS. STATVÆ. DEDICAT. OTACILIA, COMICE. VXOR. DECVR. ET. AVGVST. SPORTVL. ET. POPVLO. EPVLVM. DEDIT. CVRANTE. L. TVRPILIO. FILIO.

CAPUT XXXI.

De statuarum veneratione. Duplex illa religiosa & civilis. Non omnium statuis, omnes convenire honores indicatum. Vivorum Statuæ divinis honoribus cultæ Inprimis verò Imperatorum. Eæ itaque adoratæ Pœna detrectantium. Supplicium ad statuas, Genius statuarum. Imperatorum imagines in Castris quo modo cultæ; Principia Legionum. Quæ harum imaginum forma & gestandi easdem ratio? Abrogatus à Constantino Magno cultus. Et post eos Theodosio. Sacrificia & victimæ ad statuas vivo-

rum. Devictis Regibus ita colere Principum Romanorum Statuas quandoque injunctum. Leviores olim honores ad Heroum statuas exhibiti, cum Sacrificia non nisi Diis fieri liceret. Thura & Cerei ad Statuas dati.

RES nunc flagitat, ut de honoribus statuarum ac veneratione earundem aliquid dicamus. Quantum itaquè vacat, expeditam eam rem dabimus, ut quid Sacris, quid profanis Statuis tribui potissimum consueverit, ostendamus. Ex superioribus de differentia inter honores Divinos, & Heroicos constat. Nobis hic universam istorum honorum naturam excutere non est propositum. Longum enim foret, & ab hoc loco alienum: sed quod nostro instituto sufficere videatur, illam partem inde decerptam hic tractabimus, quæ circa solos statuarum honores versatur Statuæ igitur venerationem consecutæ sunt duplicem, *Religiosam* & *Civilem*. *Religiosa* cultum habet, aut *Divinum*, aut *prope Divinum*. Divinum accepere statuæ, cum *virorum*, tum *mortuorum*. Inter mortuos verò præcipuè *Consecratorum*, quos jam post mortem inter Deos fœdissima mortalium adulatio, aut turpis ambitio constituit, necessarioquè ut Deos coli jussit. *Propè Divinum* sibi vindicavere illæ, quæ Heroibus & Heroinis dabantur, & in templis ut plurimum collocatæ, tantum Divini honoris adeptæ sunt, quantum tribuere aut cujusquè pietas & affectus, aut lex dedicationis suasit. *Civilis* autem *Veneratio* magnos quidem honores, sed leviores tantum tribuit, ut postmodum videbimus. Aliud enim est honorare statuam, aliud adorare. Illud semel hic in principio monendum est, statuas, ut magnis quibusque, & insignibus honoribns colerentur ad eximiæ dignationis homines pertinere debuisse, puta ad Imperatores ipsos, Regesque, aut alios, quamvis paucos, quos ad simile honoris fastigium, aut immodicus plebis favor evexit, aut indulgentia principum, ut qui eos ob sanguinis nexum, vel aliam quamcunque causam honorum impendiis æquari sibi non indigne ferrent. Et rem ipsam considerantibus facile apparebit, istam honorum luxuriam circa statuas, ut cœtera multa, cum ipsis Imperatoribus cœpisse, ut frustra ad præcedentia tempora recurrant, & stantis Reip. Annales evolvant, qui ex illis aliquam de tam effusa veneratione notitiam habituros se sperant. Est & aliud mihi indicandum, multos ex illis honoribus, qui statuis impensi sunt, non uni statuarum generi proprios, sed sæpe Prin-

cipum

cipum simul ac aliorum; Vivorum ac Mortuorum; Consecratorum, & non consecratorum statuis communes fuisse, adeoquè videri potuisse convenire, ut singuli sigillatim traderentur, & suis titulis seorsim comprehenderentur; Sed quia nimis curiosa illa & exilis distinguendi ratio, in rebus manifestis, præterquam quod nullam bonam spem relinquit de industria lectoris, etiam hoc facit, ut multa sæpe, & cum fastidio iteranda sint, quæ semel posita, universum sui sensum facile affundunt legentibus, hoc consilio uti malui, ut laxiores, eoquè minus impeditos rei huic terminos præfigerem. Agam itaquè generatim, primò de *Divinis*, deinceps de *Civilibus* vel *Politicis* statuarum honoribus, ut ante hâc cœpi distinguere. Divinos reperio cum Vivorum, tum Mortuorum statuis fuisse datos. De illis qui ad vivorum statuas exhibiti fuerint, hoc capite præcipuè aliqua trademus. Olim quidem non nisi defunctorum statuæ colebantur; sed deinceps Romani Imperatores, non contenti post mortem illum ambitionis insanæ fructum ferre, etiam vivi sic coli volebant. Tertull. Apolog. Cap. 12. *Sed digne Imperatoribus defunctis honorem divinitatis dicatis, quibus & viventibus eum addictis.* Quanquam id olim etiam fecerit Babylonius ille Nabuchodonosor, de quo Sulpicius Severus Hist. 11. *Nabuchodonosor elatus rebus secundis, statuam sibi auream, immensæ magnitudinis posuit, adorariquè eam, ut sacram effigiem præcepit.* Quod verò de Imperatoribus mentionem tantummodo Africanus ille, & Sanctus Scriptor facit, non ita accipiendum est, quasi non aliorum interdum statuis idem quoquè honor delatus fuerit; sed quia præcipuè illis, ut inter mortales summis habebatur. Eorum itaquè statuas inprimis adorari consuevisse legimus. Ambros. Hexaëm. VI, 9. *Ære fusa Principum capita, & ducti vultus de ære vel de marmore ab hominibus adorantur.* Greg. Nazianz. Orat. στηλιτευ. I. in Iulian. ubi de statuis Imperatorum. *Nec enim coronæ, & diademata, & purpuræ nitor, & memorabiles leges, & tributa, & subditorum multitudo ad approbandum, gratulandumquè ipsis imperium sufficiunt; sed adorationem quoquè accedere necesse est, ut augustiores appareant. Parumquè habent ipsi adorari, nisi idem quoquè sibi in imaginibus, picturisquè præstetur, quo cumulatior sit ipsis, perfectiorque veneratio.* Plinius Nep. Epist. ad Trajan. *Omnes & imaginem tuam, Deorumquè simulacra venerati sunt.* Ritus verò gestusquè, quibus

adoratio illa peragebatur, varii fuêre. Namquè caput opertum habentes interdum stabant adoraturi, nonnunquàm sedebant; Nunc corpus dextrorsum circumagebant; nunc osculum labris premebant, dextramquè ori admovebant; creberrimè verò procumbebant humi, ut singula idoneis authorum testimoniis confirmat Cl. Brisson. lib. 1. Formul. quem vide. Qui autem sponte statuas Principum adorare nolebant, illud præstare haud raro jubebantur. De C. Caligula, Zonaras 11. Annal. *Imagines suas, quovis terrarum missas adorari jussit.* Et inprimis Hierosolymis. Orosius. VII, 5. *Iudæorum omnes sacras ædes, atquè inprimis antiquum illud in Hierosolymis sacrarium profanari sacrificiis gentilium, ac repleri statuis simulachrisquè imperavit, seque ibi ut Deum coli præcepit.* Qui verò repugnabant edicto, ingentes calamitates perpessi sunt. vid. Philon. & Ioseph. contra Appion. lib. II. Apud Persas injunctum fuisse tradit Philostrat. lib. I. de vita Apollonii, ut Babylonem ingressuri, nisi auream Regis imaginem, quæ proponebatur, adorarent, aditu urbis prohiberentur. Et apud Romanos, si qui pervicaciter hoc facere detrectarent, morte plectebantur. Incubuit illa pestis præcipue in Christianos veteris Ecclesiæ, contra quam, non minus ac cœteras impiæ persecutionis ærumnas, tot scriptis eos ad patientiam hortantur Sancti patres. Plinius Epist. lib. x. ad Trajan. fatetur se multos duci jussisse, eos verò qui divinis honoribus affecissent Principis imaginem, dimisisse. *Cum*, inquit, *præeunte me Deos appellarent, & imagini tuæ, (quam propter hoc jusseram cum simulacris Numinum afferri) thure ac vino supplicarent, præterea maledicerent Christo, quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera Christiani, ergo dimittendos putavi.* Qui locus monet etiam supplicari solitum ad imagines. Confirmat idipsum Minutius Felix Octavio. *Etiam Principibus & Regibus, non ut magnis & electis viris, sicut fas est, sed ut Diis turpiter adulatio falsa blanditur, cum & præclaro viro honor verius, & optimo amor dulcius præbeatur. Sic eorum numen vocant, ad imagines supplicant, genium, id est, dæmonem ejus implorant; & est eis tutius per Iovis Genium pejerare, quàm Regis.* Putabantur enim Principum statuæ Genium & Numen habere. Statius de Domitiani Statua equestri.

—— Insessaque pondere tanto,

Subter

Subter anhelat humus, nec ferro aut ære laborat,
Sed Genio.

Quasi non ponderi statuæ, sed Domitiani Genio, quem continebat statua, terra cederet. Item Claudian. II. de laudibus Stiliconis, non quidem Principis, sed Principis Soceri.

Quis devius esset
Angulus aut Regio, quæ non pro Numine vultus
Dilectos coleret?

Ante omnia verò Imperatorum imagines in Castris, inter legionum signa adorabantur. Sueton. Caligula. Cap. XIV. *Artabanus Parthorum rex, odium semper contemptumquè Tiberii præse ferens, amicitiam Caligulæ ultro petiit, venitque ad colloquium legati Consularis, & transgressus Euphraten, aquilas & signa Romana, Cæsarumque imagines adoravit.* Sed præcipue ab ipsis militibus. Tertullian. Apolog. *Religio Romanorum tota Castrensis, signa veneratur, signa jurat; omnibus Dis proponit. Omnes illi imaginum suggestus in signis*, sic pro *insignes* emendat Lipsius, *monilia crucium sunt*. Vbi signa capienda esse pro Cæsarum imaginibus manifestum est, Signa enim & Effigies Imperatorum quamvis conjungant sæpe authores, ut Tacit. Annal. XV. ubi literas & legatos Vologesis Neroni significare ait, *Iturum Tiridatem ad signa & effigies principis, ubi legionibus coram regnum auspicaretur.* Aliàs tamen, ut separata, distingui debent. Quod facit perspicuè Xiphilinus Comp. Dionis lib. LXXIV. *signa* σημεῖα vocans, *imagines* verò ἀγάλματα & εἰκόνας, ubi seorsim gestata quoquè apertè docet. *Aquila*, inquit, *quæ in statua militari* ἐπ' ἄγαλμα στρατιωτικὸν *consederat, in ea, licet abigeretur, constitit, quousquè capta est, apesque in signis militaribus,* (περὶ τὰ σημεῖα τὰ στρατιωτικὰ,) *& maxime in statuis ipsius,* (περὶ τάς τε εἰκόνας αὐτοῦ μάλιστα,) *favos finxerunt.* Contendunt autem hæc duo authores, cum significare volunt eas imagines, quæ signis imponebantur. Nam constat signis impositas imagines, & disertè tradit Herodianus II. 6. *Tum*, inquit, *signis sublatis, impositisque Iuliani imaginibus deducere hominem tendunt.* Sic vertit hanc vocem ἀποκαταστήσαντες Politianus, non malè pro ejus loci sensu; quamvis aliàs magis propriè ἀποκαταστῆσαι, *restituere* significet, quod vel sic integram rem facit. Reponi enim poterant Iuliani imagines in locum imaginum Pertinacis occisi, quod non insuetum. Sed, ut ad rem redea-

mus, hoc modo item Maximi, Balbini, & Gordiani imagines adorasse milites leguntur. Capitolinus duob. Maximinis. *Milites interfectis publicis hostibus recepti sunt ab oppidanis, rogantes, & primum ita, ut ante imagines Maximi & Balbini, & Gordiani adorarent.* Maximè vero colebantur, si & hoc scire lubet, inter principia legionum. Veget. de re milit. II, 6. *Prima cohors imagines Imperatorum, hoc est, divina & præsentia signa veneratur.* Sejano Prætorii Præf. eum honorem nimia Tiberii indulgentia communicavit, solis Imperatoribus convenientem. Adeò facilem & pronum Principem fuisse Tacitus IV. Annal ait, *ut Sejanum, socium laborum, non modo in sermonibus, sed apud patres & populum celebraret, colique per theatra & fora effigies ejus, interque principia legionum sineret.* Postmodum autem, ut author est Sueton. Tiber. cap. XLVIII. *Munera quædam largitus est Syriacis legionibus, quod solæ nullam Sejani imaginem inter signa coluissent.* Et apud signa, vel unâ cum signis eas gestabant Vexillarii Tacit I. Hist. *Vexillarius comitantis Galbam Cohortis, (Atilium Vergilionem fuisse tradunt) dereptam Galbæ imaginem solo afflixit.* Præterea fuisse plerumquè rotundas, Isidoro præeunte, itemquè ex auro, vel præcipuè argento factas, tum in hastilibus oblongis gestatas, docet Lips. Comment. ad XV. Annal. Tacit. Et sæpe non unam, sed plures affixas ad unum hastile, à summo ad medium ferè, ut ex monumentis & nummis constat, & insuper confirmatur adducto ante Tertulliani loco, ubi *Imaginum suggestus*, quid nisi talem Contextum & plurium congeriem significare poterit? Idemque esse verè forsan putabimus quod dicto Annal. libr. Tacitus ait. *Hinc agmina legionum stetêre fulgentibus aquilis, signisquè, & simulacris Deûm in modum templi.* Simulacra enim in modum templi Deorum, apparatum illum operosum signorum, seriemquè imaginum denotant; De cœtero harum imaginum cultu, vide plura, si lubet apud Lipsium de Milit. Rom. IV, 5. & ap. Theodor. Hœping. de Insignium sive armorum prisco & novo jure, Cap. XVII. paragraph. 7. Et God. Stevvechium ad Vegetium. Verum ea superstitio circa cultum Imperatoriarum imaginum deinceps abrogata est à Constantino Magno, qui illas mutavit in signnm crucis. Euseb. de vit. Constantin. IV. 21. *Præterea etiam in ipsis armis salutaris trophæi signum insculpi, armatoquè exercitui præferri fecit, & ut solum hoc salutare trophæum*

non

non ullam, (ut ante consueverant) inauratam statuam sequerentur. Paullus Diacon. Hist. Miscell x, 8. *Signum crucis, quod in cœlo viderat, in militaria vexilla transformat, ac Labarum quem dicunt, ex auro & lapidibus preciosis in speciem crucis Dominicæ exaptat. Hoc enim signum bellicum, inter alia preciosius erat, eò quod Imperatorem præcederet, & adorari id à militibus moris esset. Unde præcipue Constantinum reor nobilissimum decus Imperii Romani in signum mutasse crucis, ut frequenti visione atquè cura desuescerent à priore more subjecti, & eum solum arbitrarentur Deum, quem coleret Imperator, vel quo duce atquè auxiliatore, eveheretur adversum hostes.* Nec militarium signorum tantum honores abolevit, sed & aliàs, tàm hominum, quàm Deorum gentilium statuas destruxit. Eusebius de vita Constant. III, 53. *Postquam simulacra mortua ex preciosa materia conflata, ad hunc modum, quem dixi, exspoliaverat, reliquas ad perpetuandam hominum memoriam erectas, quæ ex ære fabricata erant, aggressus est, Deosquè quos veteres fabulæ celebrant, funibus ex pilis contextis constrictos abstrahendos curavit.* Causam insinuat initio capitis sequentis, ubi dicit. *Regio suo obtutu, tanquam clarâ face accensa, sedulo lustravit, ne ulla erroris reliquiæ uspiam delitescerent.* Quamquam ne sic quidem obliterare penitus malum istum morem potuit, quin ejus ipsius etiam imago divino honore coleretur. Factum id à Christianis criminatur Philostorgius Hist. Eccl. lib. II. cap. 18; Sed livore potius & odio erga Christianos ductus ipse Arrianus & θεομάχος, eas, quæ cultus civilis causa fiebant ad Imperatoris statuam, acclamationes & festivitates aliæ, liberalius accepisse videtur, & aliò pro usu suo vertisse. Quæ ex eo tradit hac de re Photius, hæc sunt. *Hic etiam Dei inimicus Christianos accusat, quasi Constantini imaginem in Porphyretica columna stantem sacrificiis propitiarent, lucernis & incensis colerent, precesquè velut Deo allegarent.* Interim diffitendum non est, mansisse etiam post Constantinum hanc impietatem & præposterum cultum, ut eum denuò lege tollere necesse haberent imperatores sequentes. Inprimis Theodosius Christianæ legis observantissimus Imperator, ut videre est in Cod.

Theodoſ. tit. de Imaginibus imperialibus. Idem etiam eſt in Cod. Iuſt. leg. *Si quando* tit. de Statuis & Imag. *Si quando noſtra ſtatua vel imagines eriguntur, ſeu diebus, ut aſſolet feſtis, ſive communibus, adſit judex ſine adorationis ambitioſo faſtigio, ut ornamentum Diei & loco, & noſtræ recordationi, ſuâ probet acceſſiſſe præſentiam.* Etenim Iudices etiam hoc ævo, quo nimium cultus imaginum Imperatoriarum inolevit, hoc fecerant, ut nominatim lex eos inde arcere opus habuerit. Quod ipſum feciſſe eos, Hieronymi etiam locus in Danielem cap. 3. teſtatur *Statuam*, inquit, *ſeu imaginem cultores Dei adorare non debent. Ergo Iudices & Principes ſeculi, qui Imperatorum ſtatuas adorant, & imagines, hoc ſe facere intelligant, quod tres pueri facere nolentes placuerunt Deo.* Traditum idem eſt quoquè Divo Joh. Chryſoſtomo εἰς σαυρὸν. Cœterum non adoratione ſolum, & ſupplicationibus; ſed ſacrificiis & victimis quoquè viventium Imperatorum imagines ſtatuaſquè coli ſolitas legimus. Sic ad Tiberii, & ejus conniventia, ad Sejani ſtatuas Romæ ſacrificatum Dio Caſſius tradit libr. LVIII. *Ad ſtatuas etiam Sejani, tanquam Tiberii ſolebant, ſacrificarunt.* Sed quia ad Principalis faſtigii diminutionem pertinebat, Tiberio vivente, ſic coli Sejanum, ejus imagines Princeps indignatus ſubvertit. Suetonius Tiber Cap. LXV. *Sejanum res novas molientem, quamvis jam & natalem ejus publicè celebrari, & imagines aureas coli paſſim videret; vix tandem & aſtu magis ac dolo, quàm Principali authoritate ſubvertit* Quinimò hoſtes & inimici Romani populi, cum victi eſſent, ad victoris Principis ſtatuas ſacrificare interdum in ſignum venerationis debitæ victori, & ſubjectionis ſuæ cogebantur à Ducibus Romanis. De L. Vitellio Dio Caſſ. LIX. *Artabanum, qui Armeniam impunè aggreſſus, Syriam quoquè invadere inſtituerat, obviam ei repente ad Euphratem factus, ita exterruerat, ut in colloquium veniret; Ac ſacrificare eum Auguſti & Caii ſtatuis coëgerat.* Cajus adhuc vixit. Sacrificari alioquin non niſi Diis ſolebat, cum ad heroum ſtatuas aut libamen aliquod, aut mulſi inſperſio, aut coronatio, vel alius ejus generis levior honos ſufficere videretur, ut fieri conſueviſſe ex Luciani Philo-

pſeude

pseudo discimus, ubi de Hippocratis statua. *Hippocrates*, inquit, *areus est, magnitudine ferme cubitali qui tunc duntaxat, cum lucerna extincta sit, totam in orbem domum ambit, perstrepens ac pyxides euertens, pharmacaquè commiscens, atquè ostia circumvertens; Maxime si quando sacrificia prætermittimus, quibus in singulos annos ei sacrificamus. Postulat ergo, inquam ego, etiam Hypocrates medicus jam, ut sibi sacrificetur; indignaturquè nisi in tempore justorum sacrificiorum epulis accipiatur; Quem nimirum decebat boni consulere si quis ei libaverit, aut mulsum insperserit, aut caput coronaverit.* Ad effigiem Neronis victimas cecidisse Tiridaten, Armeniæ Regem Tacitus xv. Annal. prodit. *Medio*, inquit, *tribunal, sedem curulem, & sedes effigiem Neronis sustinebat; Ad quam progressus Tiridates, cæsis ex more victimis, sublatum capite diadema imagini subjecit.* Plinius Panegyr. Trajano dicto, de Domitiano Cæsare. *Ante quidem ingentes hostiarum greges per Capitolinum iter, magnâ sui parte velut intercepti, divertere via cogebantur, cum sævissimi Domini atrocissima effigies tanto victimarum cruore coleretur, quantum ipse humani sanguinis profundebat.* Dabantur etiam thura & cerei. Quod ante Cæsarum tempora ad Prætoris Marii Gratidiani statuas factum fuisse Cic. III. Offic. memorat. *Omnibus*, inquit, *vicis statuæ ei factæ sunt, ad eas thus & cerei; quid multa? nemo unquam multitudini fuit charior.* Sunt quidem alia multa venerationis divinæ officia, statuis vivorum impensa, sed quia communia pleraquè sunt cum iis, quæ deinceps mortuorum statuis tributa dicemus, malumus lectorem in discernendis iis suæ relinquere industriæ quàm supervacaneâ diligentiâ tædium ipsi, manifesta curiosè nimis probando, afferre.

CAPUT XXXII.

Mortuorum statuæ divinis honoribus itidem cultæ. Natalibus Principum post mortem statuis eorum posita libamina. Genesia. Necysia. Consecratis factæ, statuæ sacræ, tàm Fœminis & aliis ex Augusta domo, quàm Principibus. Effigies consecratorum habitu Numinum, eaque plerumque sessilis. Insignia Deorum statuis sacris addita, Fulmina, radii, astra. Caput radia-

radiatum. Solis statuæ & Colossi, cum radiis & cur? Hasta Deorum insignia. Iulii Cæsaris statua cum stella super capite. Cur sanctorum statuis apud Christianos lunula sive patella quadam imponerentur, causa alia & origo monstrata, quam quæ vulgò obtinuit. In Consecratorum statuis, non habitus tantum ille, qui in Numinum simulacris, sed etiam vultus similitudo expressa sæpe. Romanorum Principum quorundam ambitio reprehensa, quod vivi etiamnum statuas suas fieri Deorum habitu voluerint, exemplo à Græcis profecto. Alii quidam vani Principum eorundem mores notati. Deorum Simulacra ad exemplar venustiorum hominum exacta. Privati ut interdum privatos consecrarint, & statuis coluerint, cum Deorum habitu, tum proprio. Conjuges videlicet, Parentes, Liberi, cognati. Mos osculandi consecratas hominum pariter ac Deorum Statuas.

MOrtuorum statuas divinis honoribus cultas ex iis, quæ antehac dicta sunt, notius est, quàm ut operosa testium fide illud adstruere porrò necesse sit. Eusebius in vitâ Constantini IV, 69. quem etiam Damascenus de imag. orat. III. citat, de Constantini Statuis. *Ad ejus*, inquit, *imagines accurrentes, ipsum mortuum tanquam vivum colebant.* Illis enim rem divinam faciebant, illis sacrificia offerebant, illis thura cereosquè dabant. Procul dubio honestius & excusatius, sicubi excusationem ullam impietas habet, quàm Statuis vivorum. Peculiare tamen hoc noto, Natalibus bonorum Principum libamina posita ad eorum statuas fuisse. Flavius Vopiscus Tacito. *Divorum templum fieri jussit, in quo essent Statuæ Principum bonorum. Ita ut iisdem, Natalibus suis, & Parilibus, & Kalendis Ianuariis, & Votis, libamina ponerentur.* Natales Imperatorum celebrari quidem & ipsis vivis solebant; Sed hic per Natales intelligitur festum illud, quod vocabant Genesia, solebatquè in memoriam defunctorum, Natali eorum die quotannis celebrari, ut Mortuali, Necysia. Consule hac de re Suidam, & alios Grammaticos. Inter mortuos vero consecrati eminebant, qui tanquam communem defunctorum sortem morte exuissent, Diis accensebantur. Illis exquisitissimi quiquè & forte sæpè negati Diis honores exhibiti fuêre. Hoc est quod de Probo Vopiscus dicit in vita ejus Cap. XXIII. *Eant nunc, & divinitatem Probo derogent, quam Imperatores nostri prudenter & consecrandam vultibus, & ornandam templis, & celebrandam*

brandam ludis Circensibus judicarunt. Sed hic locus, quoniam viam nobis monstrat, ad ea, quæ præcipuè circa Consecratorum Statuas investiganda sunt, pressius aliquantò illi insistemus. Tria proponit fieri solita, primum, *consecrari divinitatem vultibus*, Alterum *ornari templis*, tertium *celebrari Circensibus.* Totidem res ferè in consecratione Faustinæ recenset geminus huic locus Julii Capitolini in Antonino Pio, *Tertiò anno*, inquit, *imperii sui, Faustinam uxorem perdidit, quæ à Senatu consecrata est, delatis Circensibus atque templo & flaminicis, & Statuis aureis atque argenteis.* Quomodo verò hæc peracta fuerint, vestigia prætatorum authorum secuti, ordine explicabimus. Ac primum discimus; quod postquam decreto Senatus quisquam consecratus esset, confestim præter alios honores, etiam Statuas Sacras, non ut homo, sed ut Deus acceperit. Hoc est, quod ἱεραῖς εἰκόσι γεραίρεσθαι. Dio Cassius dicit, *Statuis Sacris honorari.* Et quanquam illud initiò solis Imperatoribus datum fuerit, ut de Iulio Cæsare, Augusto & aliis Authores tradunt, tamen postmodum gliscente adulatione ad fœminas transiit, sed ex Augusta domo, tum ad alios. Illæ verò Statuæ, quo conspectior divinitas esset, fiebant ad effigiem habitumque Numinum. Tertullian Apologet. testatur, ubi de Diis agens. *Quid* ait, *omnino ad honorandos eos facitis, quod non etiam mortuis vestris conferatis? ædes proindè, aras proindè. Idem habitus, & insignia in Statuis.* Vt itaquè effigies illa Numinum redderetur, sciendum est, habitu sedentium plerumquè illas poni solitas, ut alibi diximus & insuper Consecratorum nummi complures, Iulii, Augusti, Liviæ apud Goltzium ostendunt.

Tum ut pari magnitudine fierent, curatum. Iosephus Ἁλώσεως lib. 1. cap. 16. ubi loquitur de Cæsarea ab Herode Magno conditâ, Augusti statuam Iovis Colosso non minorem, & Romæ simulacrum par Iunoni Argivæ factum affirmat. *Contra ostium portus*, inquit, *in colle Cæsaris templum, magnitudine simul & pulchritudine præcipuum; in eoquè Cæsaris Colossus non minor, quàm Iovis apud Olympiam, cujus ad exemplar factus est. Romæ autem par Iunoni, quæ Argis est.*

Simi-

Similiter decretum, ut Drusillæ, C Caligulæ sorori, magnitudine par Veneri effigies statueretur, notat Dio Cassius lib. LIX. *Decreta ei omnia*, inquit, *quæ Liviæ, ac insuper ut immortalis haberetur, ut aurea effigies ejus in curru poneretur, ut in æde Veneris in foro, simulacrum Drusillæ, paris cum simulacro Deæ magnitudinis, & iisdem colendum honoribus, consecraretur.* Sic quippe recte hunc locum contra interpretationem Xylandri, emendat Leunclavius. Quod Numinum simulacra, ampliora humanâ formâ essent, nemini obscurum est, nec intactum nos in superioribus relinquimus. Deinde addebantur & insignia Deorum, cujusmodi sunt, *Fulmen, Radius, Astra.* Quorum simul meminit Lucanus VII. Pharsal. uno hoc versu.

Fulminibus Manes, radiis ornabit, & Astris.

Cur autem id fieret non nimis obscurũ esse potest. Fulmen enim ideo statuis addebatur, ut Iovem repræsentarent. Nam Iupiter, ut inquit, Albricus Philosoph. de Deorum Imagin. Fingebatur *sceptrum regium in sinistra tenens, ex dextra fulmina ad inferos mittens, & Gigantes repressos fulmine, tenens sub pedibus & conculcans.* Vel, quam Phornutus de Natura Deorum, causam videtur adstruere, *quod supernè nubes cogat & tonitrua, & illinc etiam fulmina & tempestates immittat.* Ejusmodi fulminis variæ extant figuræ in nummis consecrationis Augusti apud Goltzium. pag. LXXX. Radii apponebantur, ad significandam divinitatem. De iis loquuntur infinita Authorum loca. Plinius Panegyrico. *Horum unum si præstitisset alius, illi jamdudum radiatum caput, & media inter Deos sedes auro staret aut ebore.* Martial. lib. I. Epig. 71. sive Domitiani Equestrem Statuam, sive Solis Colossum, Neronis capite dejecto, Soli rursus à Vespasiano redditum intelligas,

Inde sacro veneranda petes palatia clivo,
Plurima quâ summi fulget imago Ducis,
Ne Te detineat miri radiata Colossi,
Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus.

Statius Papin. Thebaid. I, 27.

——— licet ignipedum frenator Equorum
Ipse tuis altè radiantem crinibus arcum
Imprimat.

De Domitiani Statua loquitur; quæ sub Dio posita, faciem soli obver-

obvertiſſe videtur, atquè ideò illum radios ſtatuæ illuſtraſſe fortius. Ex quo facile ſuſpicor, eundem etiam morem obtinuiſſe in cœteris radiatis, quæ foris poſitæ erant ,ut ad faciem Solis componerentur. Splendorem enim non reddidiſſent integrum, niſi radios circumdediſſet & ipſa,

Radiis circumdata Solis imago.

Ovid. in Ibin. Ita opinor intelligi debere ſitam fuiſſe Conſtantini Statuam, Byzantii magnificè erectam, quam Heſychius Illuſtrius libro, quem inſcripſit, Πάτρια Κωνσταντινοπόλεως, dicit in foro poſitam, inſtar Solis radiaſſe: Niſi illud, δίκην Ἡλίε, figuratè in Majeſtatem ejus dignitatemquè, quàm ſimplici ſenſu dictum mavelis. Radiatas Divorum Statuas plures videſis in nummis. Extat Iulii caput radiatum cum inſcriptione. Γ. ΙΟΥΛΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΘΕΟΣ. Et Capita Auguſti cum radiis, apud Goltzium in Auguſti nummis pag. XVIII. XIX. XX. XXI. Item Auguſti Statua, capite radiato, cum ramulo in dextra & haſtili in Siniſtra, cum titulo AVGVSTO DEO. Vt enim in hos uſus fulmen à Iove, ita radios à Sole mutuabantur, indicandæ divinæ cujuſdam Majeſtatis, & fortis cœleſtis cauſa. Vndè Solis Statuas & Coloſſos ſemper videbis radiatos. In Solis Coloſſo, quem Zenodorus Neroni fecit, de quo Plinius XXXIV, 7. Publ. Victor ſeptem radios numerat, quorum ſinguli XXII. pedes & ſemis longi erant. Deinceps inter inſignia illa Deorum, Aſtra numerat Lucanus. Quod quanquam alii aliter legendum putent, ut ſit *Haſtis* pro *Aſtris*, cum haſtæ inter Deorum inſignia fuerint, ut innuit Iuſtinus XLIII, 3. ubi dicit, *Ab origine rerum pro Diis immortalibus veteres haſtas coluere, ob cujus religionis memoriam adhuc Deorum ſimulacris haſtæ adduntur.* Tamen *Aſtris* retineri debere certum eſt, cum & iis hæ ſacræ Statuæ inſignitæ aliquando fuerint, & cauſa prope eadem, quæ in cœteris, hoc ipſum ſuadeat, ut docemur à Suetonio, Iulio Cap. 88. Cuius ſimulacro in vertice Stella crinita addebatur. *In Deorum numerum,* ait, *relatus eſt, non ore modo decernentium, ſed & perſuaſione vulgi. Siquidem ludis, quos primò conſecratos ei hæres Auguſtus*

S *edebat,*

ebat, Stella crinita per septem dies continuos effulsit, exoriens circa undecimam horam. Creditumquè est animam esse Cæsaris in cælum recepti, & hac de causa simulacro ejus in vertice additur Stella. Et à Plinio II, 25. *Eo sidere significari vulgus credidit, Cæsaris animam inter Deorum immortalium numina receptam. Quo nomine id insigne simulacro capitis ejus, quod mox in foro consecravimus, adjectum est.* Vides ita *Astrum* in Statua, quod *Sydus* Plinius vocat, *Stellam crinitam* Tranquillus, Et Ovidius XV. Metam. ubi ait,

— — — simul evolat altius illa,
Flammiferumquè trahens spatioso limite crinem
Stella micat.

Quibus tamen nominibus significari Cometen putamus, quanquam Stellane vera, an Cometes fuerit, olim dubitatum subindicat Dio Cassius lib. XLV. his verbis, *Stella apparuit, quam Cometen vocabant nonnulli.* Qui simul addit, aliam ab Augusto Statuam æream, cum hoc signo positam Iulio, in æde Veneris. *Augustus Statuam Patris æream, cum Stella supra caput, in Veneris templo posuit.* Effigiem videre licet passim in nummis, cum inscriptione. DIVVS. IVLIVS. vel DIVO. IVLIO. Quod autem veteres Christiani Sanctos suos radiis istiusmodi & fulgore sidereo circum caput diffuso in Statuis & picturis insigniebant, non indè originem habet, quod Antiqui, illam doctrinæ ac vitæ excellentiam & splendorem, quem siderum radiorumquè instar emittebant, tali signo denotarent, ut falsò multi interpretati sunt; Sed exemplo veterum Statuarum hoc factum est, quibus addebant lunulas quasdam, & patellas Artifices, ob longè diversam causam, ut nimirum illæ capitibus Statuarum impositæ tegumento essent adversus avium stercora & sordes. Id prodit Aristophanes in Avibus. Iubet enim ut Spectatores capita sua muniant lunulis, quas gestent tanquam Statuæ; ne excrementis Avium inquinentur.

Χαλκεύεσθε μηνίσκους φορεῖν ὥσπερ ἀνδριάντες.

Vide Ioachim. Camerar. Quæst. promisc. Decur. VIII. probl. 10. Cæterum ut à Iove fulmen, à Sole vel Apolline radii: Ita ab aliis Diis alia insignia Statuis consecratorum accessere. Sic Cereris habitu spectatur in nummis Statua Divæ Iuliæ Augustæ cum spicis & papavere in dextra, face in sinistra, titulo tali,

DIVA

DIVA AVGVSTA. Ad hanc itaquè effigiem certius in Consecratorum statuis exprimendam, moris fuit, nobile aliquod & arte celebratum Dei alicujus, Deæve signum in exemplar eligere, ut ex adducto supra Iosephi loco abundè constare potest; Augustus quippe ideo ad Iovis Olympii, & Roma ad Iunonis Argivæ exemplar fiebat, quod eo tempore nulla illustriora, aut arte magis nobilitata Numinum signa celebrarentur. Quid verò, quod vivi non rarò Numinum effigie statui voluere? Sed illa ambitio intoleranda visa est, & reprehensione non carebat. Augustus à prudentibus arguebatur, quod *nihil*, ut Tacitus ait Annal. I. *Deorum honoribus reliquerit, cum se templis & effigie numinum, per Flamines & Sacerdotes coli vellet.* Ambitionem, superbiam & adulationem in ea re sensit Princeps aliàs non nimis moderatus Tiberius, apud eundem Scriptorem, lib. Annal. IV. *Vt semel recepisse*, inquit, *veniam habuerit, ita per omnes provincias effigie numinum sacrari, ambitiosum, superbum, & vanescet Augusti honor, si promiscuis adulationibus vulgatur.* Passus est & Nero statuas sibi à Senatu decerni, pari magnitudine, ac Iovis Vltoris, ut testis est Tacitus XIII. Annal. Locum alibi adduximus. De Domitiani statua, Iovis Phidiaci similitudinem referente Martialis testimonium supra cap. XIV. alia ex occasione itidem attulimus. De Commodo Antonino Lampridius in ejus vita cap. IX. *Accepit Statuas in Herculis habitu, eiquè immolatum est, ut Deo.* Idem tradit Dio Cassius lib. LXXII. *Pleræquè statuæ*, inquit, *habitu Herculis ei collocatæ sunt.* Insignia ejus Dei quoq; addidit ipse, Clavam & Leonem. Ita eodem libro Græcus scriptor. *Abscisso Colossi capite, sui capitis imaginem reposuit, data ei Clava, Leoneq; æneo subjecto, ut Herculi similis esset.* Habebant verò Romani Principes, ne primos eos hanc insanivisse insaniam putes, exempla à Græcis. Nam Alexander Magnus, ut Clemens Alexandrinus Adhort. ad gentes refert. *Volebat videri filius esse Ammonis, & Cornutus effingi à Statuariis.* Ita videlicet Iupiter Ammon fingebatur. Minut. Felix Octavio. *Quid ipse Iupiter vester? modo imberbis statuitur, modo barbatus locatur, & cum Hammon dicitur, habet cornua.* De Alexarcho quodam Grammatico similiter citato loco Clemens prodit, effinxisse eum seipsum in effigiem Solis. Et Antonium atquè Cleopatram Athenienses Deorum forma in arce statuêre, ut Dio Cassius lib. L. tradit. In Persidis

urbe Gazaco suum simulacrum divino habitu consecrasse Chosroen, refert Georg. Cedrenus compend. Hist. ad annum Christi CLIV. *Heraclius*, inquit, *ingressus urbem, abominandum offendit Chosrois simulacrum, & effigiem ejus in globi formam, referente Palatii tholo tanquam in cœlo sedentem.* E diverso alii non dubitabant, ne videlicet non aliquid cum Diis commercii habere viderentur, aut à suo vultu Deorum Imaginem fingere, ut Herculis Imaginem sibi similem expressit Domitianus. Martial. lib. IX. Epigram. 67.

Alcide Latio nunc agnoscende Tonanti,
Postquam pulchra Dei Cæsaris ora geris.

Et deinceps Epigrammate 104.

Appia, quam simili venerandus in Hercule, Cæsar
Consecrat, Ausoniæ maxima fama viæ,
Si cupis Alcidæ cognoscere facta prioris,
Disce.

Vbi Iovi, tanquam majori & potentiori Deo, suam formam vultumquè commodare potius debuisse Cæsarem subjicit adulator Poëta, cum dicit,

Tarpejo Deus hic commodet ora patri.

Sic Iovis Simulacrum factum fuisse ad similitudinem Pescennii Nigri, cui à Rege Thebæorum dono datum erat, in ejus vita tradit Spartianus cap. XII. *Domus ejus*, inquit, *hodiè visitur in campo Iovis, quæ appellatur Pescenniana. In qua Simulacrum ejus in trichoro constituit, statim post annum X Thebaico marmore quod ille ad similitudinem sui factum à Rege Thebæorum acceperat.* Aut jam dudum facta Deorum simulacra in suam similitudinem transmutare. Dio Cassius de Caligula lib. LIX. *In Palatio sibi templum posuit, in eo cum statuisset Olympii Iovis simulacrum suam in effigiem commutatum collocare, neque posset id perficere, (nam navis ad id advehendum parata, fulminibus absumta fuit, exauditusq; multus risus, quoties quis sacrarium ejus tacturus accederet) minatus ei, aliud fanum sibi instituit.* Vide præterea, Sueton. Caligula. c. XXII. Cæterum quemadmodum antè diximus, consuevisse aliquod celebre Numinis simulacrum eligi, ad cujus exemplar consecratorum hominum statuæ formarentur; Ita homines interdum specie & pulchritudine præstantes investigari solere animadvertimus, ad quorum similitudi-

litudinem Deorum Statuæ effingerentur, venustatis & formæ imitandæ causa. Maximus Tyrius Dissert. VII. *Statuarii è singulis corporibus, quæ in iis pulcra sunt mira arte colligunt & ex tam diversis unam imaginem efficiunt, & hæc tam aptè inter se confundunt ac miscent, ut nihil nisi unam quæque pulchritudinem, eamquè concinnam ac veram exprimant. Nec invenias ullam naturalem pulchritudinem tam pulcram, ut cum imagine possit contendere.* Et hoc est, quod de Cyllaro formosissimo Centaurorum scribit Ovid. XII. Metam. quod nempè ei fuerit,

Gratus in ore vigor cervix, humeriq;, manusq;,
Pectoraquè artificum laudatis proxima signis.

Præterea vide Lucian. in Imaginibus. Sic ad formam Alcibiadis Mercurium, ad Gratinæ meretricis, Venerem Gnidiam, & ad Phrynes Thespiacæ, reliquas Veneres factas fuisse tradit Arnobius VI. adversus Gentes. *Simulacra quædam scio, cæterorum esse hominum formas, & infamium lineamenta meretricum. Quis est enim, qui ignoret Athenienses illos Hermas, Alcibiadis ad corporis similitudinem fabricatos? Quis praxitelem nescit, Posidippum si relegat, ad formam Gratinæ meretricis, quam infelix perditè diligebat, os Veneris Gnidiæ solertiarum coëgisse certamine? Sed sola est hæc Venus, cui de scorti vultu translatitium decus auctum est? Phryne illa Thespiaca, sicut illi referunt, qui negotia Thespiaca scriptitarunt, cum in acumine ipso esset pulchritudinis, venustatis & floris, exemplarium fuisse perhibetur cunctarum, quæ in opinione sunt, Venerum.* Idem etiam in iisdem exemplis probat Clemens Alexandr in Adhort. ad gentes. Quandoquidem huc ventum est, ut cujusmodi fuerint consecratorum Statuæ, & alia illis cognata simul indicaverimus, non absurdum forsan erit ostendere, & à privatis sæpè consecratas privatorum Imagines habitu Deorum. Sic *mariti suas Uxores* interdum statuebant. Statius in Sylvis, de Abascanti pietate in Priscillam.

— — mox in varias mutata novaris
Effigies, hoc ære Ceres, hoc lucida Gnosis,
Illo Maja tholo, Venus hoc non improba saxo,
Accipiunt, vultus haud indignata decoros
Numina

Et *suos Maritos Uxores.* Apulejus Metamorph. VIII. id fecisse

Chariten in funere mariti sui Leopolemi narrat. *Imaginem*, inquit, *defuncti, quam ad habitum Dei Liberi formaverat, affixo servitio divinis percolens honoribus ipso se solatio cruciabat.* Item *Parentes Liberos*, & *ex Liberis natos*. Sic Livia Augusti mariti sui ex Scribonia pronepotem, Germanici Cæsaris filium habitu Cupidinis sacravit. Sueton. Caligula. Cap. VII. *Habuit Germanicus Cæsar in matrimonio Agrippinam, M. Agrippæ & Iuliæ filiam, & ex ea novem liberos tulit, Quorum duo infantes adhuc rapti, unus jam puerascens, insigni festivitate, cujus effigiem habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris Livia dedicavit.* Alias consecrare solebant propriâ specie privati, & coiere eodem cum Diis honore eos, quos charos sibi olim, dilectosve amiserunt. Athanasius Orat. contra Idol. *Multi non modo priscis, sed & nostris temporibus, ubi amisere quos charissimos habent, fratres, cognatos, uxores, multæ item viduæ maritos extinctos, cum omnibus constet eos ex natura homines fuisse, istos tamen, inquam, istasquè ob ingentem luctum, desideriumquè, fictis, depictisquè figuris expressos inter numina dedicaverunt.* Sic Cicero Filiæ imaginem consecravit, ut ipse testimonium præbet satis luculentum, in *De Consolatione*, quod repetit Lactantius Divin. Instit. 1, 15. Ibi Cicero affirmat, *imaginem Filiæ eodem se modo consecraturum esse, quo illi*, Deos intelligit, *à veteribus sint consecrati.* Similiter *Parentes à Liberis* consecratos fuisse intelligi potest ex iis, quæ ex Varrone Plutarchus tradit in Quæst. Roman. XIV. Sic apud Statium Sylvar. lib. III. sub indice, *Lachrymæ Hetrusci.* filius parentem imaginibus consecrat. Eum ita alloquitur.

Tu Custos, Dominusquè Laris, tibi cuncta tuorum
Parebunt. Ego ritè minor, semperquè secundus
Assiduè libabo dapes, & pocula sacris
Manibus effigiesquè colam; Te lucida saxa,
Te similem doctæ referet mihi linea ceræ.
Nunc ebur & fulvum vultus imitabitur aurum.

Et quidem ex varia materia ut vides. Ita Regulus apud Plinium Nep. lib. IV. Epist. 7. plures filii Imagines & ex varia materie fieri curat. *Placuit statuas ejus & imagines quàm plurimas facere. Hoc omnibus officinis agit, illum coloribus, illum Cera,*

illum

illum ære, illum argento, illum auro, ebore, marmore effingit. Hoc deniquè non prætermittendum est, inter cœtera cultus genera, sic consecratis Statuis oscula dari solita à propinquis. Sueton. Caligula, Cap. VII. de Imperatoris ejus fratris, infantis effigie. *Augustus in cubiculo suo positam, quotiescunquè introiret, exosculabatur* Dio de Statua Pertinacis. lib. LXXIV. *Severus & propinqui Pertinacis Statuam ejus osculantur.* Quippe illud in Deorum simulacris fieri, vel unus Ciceronis locus satis probaverit, Verr. IV. ubi de Herculis simulacro apud Agrigentinos, *Rictum ejus*, inquit, *ac mentum paulo fuisse attritius, quod in precibus ac gratulationibus, non solum id venerari, verum etiam osculari solent.*

CAPUT XXXIII.

Statuæ Consecratorum collocatæ in Templis Deorum. Nova templa quandoque erecta, in quibus aut Divorum omnium aut certæ Gentis, aut singulorum essent statuæ. Vivorum etiam Principum statuæ in templis. Consecratarum fœminarum statuæ in templis Maritorum. Simulacra in medio. Temporaria mora statuarum in templis Deorum, donec nova ædificarentur. Moderatiorum Principum statuæ in templorum, quæ Diis sacra erant, vestibulis collocatæ. Virtutibus hominum fana erecta. Consecratorum effigies in Larariis. Idque neglectum a nonnullis, pro sacrilegio habitum. Decreta publica de colendis privatim statuis sacris. Mos privatorum statuas inter Lares colendi. Vellus niveum quid apud Virgilium. Vivorum Principum statuæ nonnunquam & inter Penates consecratæ. Sacrificia ad consecratorum imagines. Superstitio Hæreticorum quorundam circa Christi, Pauli, & celebrium Philosophorum aliquot veterum statuas, earumque venerationem notata. Mos vehendi tum consecratorum tum etiam vivorum statuas per Circensem Pompam. Deorum & consecratorū statuæ junctim quandoquè, & eodem vehiculo in circum inductæ. Thensarum, Carpentorum, Curruum & ferculorum quæ hic ratio & usus. Muli adhibiti, & Elephanti jugo subditi, atque ad currus hos juncti. Fercula humeris hominum gestata. A Circo in triumphi pompam translatus hic honos in Statua Trajani mortui In triumphalibus pompis imagines triumphantium ostentatæ. Mos alius collocandi Statuas in Circo, vel Teatro, ludorum tempore. De loco statuarum in ludis, quid cautum.

ALterum, quod observandum ex Vopisco & Capitolino nobis proposuimus, est de Templis, quò Consecratorum Statuæ inferebantur. Quippè sic potissimè juxta cum Simulacris

Deorum coli eas publici instituti fuit. Tertullian. Apolog. *Locorum differentia distinguitur opinor, ut à templis Deos existimetis, quos alibi Deos non dicitis.* Ac interdum in Deorum templis ponebantur. Dio Cassius libro LXXI. de Faustinæ Statuis à Senatu decretis in templo Veneris. *Senatus Marco & Faustinæ decrevit Statuas argenteas Romæ in templo Veneris collocari, aramquè extrui.* Interdum illis de novo erigebantur templa, fiebantquè illa vel *Divis omnibus promiscuè*; Flavius Vopiscus Tacito. cap. IX. *Divorum templum fieri jussit, in quo essent Statuæ Principum bonorum.* Vbi cum Principes bonos nominat, non solos consecratos intelligit, cum non omnes, quanquam boni consecrarentur, adeò contrario more, ut sæpius malis & improbis ille honor contingeret; sed aliorum etiam Principum Statuas eò quoquè illatas dicit, nam templa, non consecratorum tantum, sed etiamnum vivorum Principum Statuis erecta fuisse quoquè discimus ex Plinio Nepot. Epist. ad Trajan. lib. X. *Petii*, inquit, *à Divo Nerva Patre tuo, ut Statuas Principum, quas in longinquis agris, per plures successiones traditas mihi, quales acceperam custodiebam, permitteret in municipium transferre, adjecta sua Statua; Quodquè ille mihi cum plenissimo testimonio indulserat, ego statim Decurionibus scripseram, ut assignarent solum, in quo templum pecunia mea extruerem.* Vel *certæ alicui genti*; Tale fuit Gentis Iuliæ Sacrarium, ubi Augusti effigies sacratæ. De quo Tacitus Annal. II. *Sacrarium Genti Iuliæ, effigiesquè Divo Augusto apud Bovillas dicantur* Vel denique *singulis Divis*; Cujusmodi erat Templum Augusti, de quo Dio Cassius lib. LX. *Claudius aviam Liviam præter hunc honorem, etiam immortalitati adseruit, dedicavitquè ejus effigiem in templo Augusti.* Ex quo simul discimus Augustarum fœminarum Statuas in maritorum templis etiam collocari suevisse. Locus verò, in quo statuebantur, erat plerumquè templi medium. Virgilius III. Georg.

Et viridi campo templum de marmore ponam
In medio mihi Cæsar erit.

Vbi Servius *Ei semper sacratus numini locus est, cujus simulacrum in medio constituitur.*

Interim donec templum ædificari posset, consecratorum Statuas

tuas in Deorum templa alia interdum inferri, ibiquè coli solere, ne ullum momentum venerationis officiis decederet, ex eodem Dione discimus. Ita enim ille Lib. LVI. de Augusti Statua & templo. *Dum ejus Romæ templum ædificabatur, auream ipsius imaginem in æde Martis lecto impositam collocaverunt, omniquè eam cultu, quo in posterum essent usuri, venerati sunt.* Vivi adhuc Principes, qui moderatiores essent, in templis Deorum suas statuas collocari, conscientia suæ mortalitatis prohibebant, contenti ipsi in vestibulis sisti, relicto cœlesti honore consecratis. Dio idem Lib. LIII. *Voluit Agrippa in Pantheo Augusti Statuam collocare, nomenquè operis ei adscribere. Neutrum autem eo accipiente, in Pantheo ipso Cæsaris superioris Statuam, suam & Augusti in vestibulo posuit.* Et Trajanum laudat in Panegyrico Plinius, quod suas Statuas in vestibulo templi Iovis Capitolini voluerit poni, tanquam conditionis suæ magis memorem. *Tibi*, inquit, *maximus honor excubare pro templis, postibusquè prætexi. Sic fit ut Dei summum inter homines fastigium serves, cum Deorum ipse non adeptus. Itaquè tuam Statuam in Vestibulo Iovis Optimi Maximi, unam alteramvè, & hanc æneam cernimus.* Quod autem Cicero ad Atticum scribit sese nullos honores sibi nisi verborum decerni sinere; *Statuas, fana, τέθριππα prohibere*, non de hujus generis sacris Statuis, aut templis intelligendum est, quorum usus post ejus tempora invaluit; Sed verè gloriatur, se immodicos illos honores respuere, quos passim in Provinciis admittebant Proconsules; Quibus permissu Legum ædificabantur quidem templa, sed quæ virtutibus hominum, non hominibus consecrabantur. Vt ipse ad Q. Fratrem scribit. Et jam olim obtinuit consuetudo apud Asiaticos, Græcos, Syros, aliosquè, istiusmodi monumentis & honorum signis ornandi benè de se meritos, imprimis verò sacrificiis & aris. Vid. Casaub. comment. in Sueton. August. cap. LII. Cœterum non solum in templis publicè constitutis Romani, sed & in Larariis suis, quæ domi habebant, ut ante dictum est, Consecratorum effigies locabant colendas. Lamprid. Alexandro Severo cap. XXIX. *In Larario suo Divos Principes, sed optimos, electos, & animas sanctiores, in queis & Apollonium, & quantum*

ſcriptor ſuorum temporum dicit, Chriſtum, Abraham & Orpheum, & hujuſmodi cæteros habebat, ac majorum effigies. Et interdum, qui id non facerent, ſacrilegii & impietatis crimine implicabantur. Iul. Capitolinus M. Antonino Philos. cap. XVIII. *Parum ſanè fuit, quod illi honores divinos, omnis ætas, omnis Sexus omnis conditio ac dignitas dedit; Niſi quod etiam ſacrilegus judicatus eſt, qui ejus imaginem in ſua domo non habuit, qui per fortunam vel potuit habere, vel debuit. Deniquè hodiequè in multis domibus M. Antonini Statuæ conſiſtunt inter Deos penates.* Nam juſſis quandoquè & decretis Senatus jubebatur, ut ſacris ſtatuis ſinguli privatim colerent conſecratos. Dio Caſſius lib. LIX. *Decretum, ut Druſillam ſtatuis ſacris, non modo viri, ſed mulieres etiam venerarentur.* Ibi ut vides etiam privatim conſecratos, quoſcunquè colebant, & confirmat Sueton. Vitellio cap. II. *Narciſſi quoquè & Pallantis imagines aureas inter Lares coluit.* Illud fecêre olim & aliæ Gentes. In promptu habemus teſtimonium de Carthaginenſibus. Virgilius IV. Æneid. De Sichæo à Didone conſecrato.

Præterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat
Velleribus niveis, & feſta fronde revinctum.

Velleribus niveis, hoc eſt, ſtemmatis, quibus Deorum ſimulacra coli & integi ſolebant, nihilquè aliud erat, quàm lana ramo circumvoluta, teſte Sophoclis interprete in Oedipode Tyranno; quod indicandum erat, ne quis templum illud ſimulacro vacuum fuiſſe putet. De iſta Sichæi conſecratione meminit & Ovid. in Heroid. Epiſt.

Eſt mihi marmorea ſacratus in æde Sichæus,
Appoſitæ frondes, velleraquè alba tegunt.

Porrò ut in alios quoſquè ingentes honores ſe interdum ingeſſerant vivi, ita Auguſtum contigit etiam inter Deos penates conſecrari, dum adhuc viveret, & quidem non uno in loco, ſed oppidatim, non tàm propriâ ambitione, quàm judicio publico. Appianus V. ἐμφυλ. *Cum Cæſar vigeſimum Octavum ætatis annum exegiſſet, oppidatim inter Deos tutelares conſecratus eſt.* Præterea quod ante dictum eſt, ad vivorum Statuas

ſacriſi-

sacrificatum fuisse, illud multo religiosus circa consecratos observatum est. Nam cum Principes ipsi essent, ad quorum viventium imagines res divina fieret, vulgus fermè urbanum ac militare, magis obsequii civilis, quàm religionis causa id præstabat, nisi quos digniores ad hoc faciendum error vel adulatio traxit. Consecratorum verò ad imagines aliter fiebat. Ibi enim non magis plebs, ut subditi in Reges, quàm Principes ipsi, ut mortales in Deos pietatem & venerationem suam testatum ibant. Sic Tiberius ipse Augusti ad imaginem sacrificabat. Agrippina in Claudiæ Pulchræ periculo Principem his curis occupatum, invenit & alloquitur apud Tacit. Annal. I v. *Non, ait, ejusdem mactare Divo Augusto victimas, & posteros ejus insectari. Non in effigies mutas divinum Spiritum transfusum: Sed imaginem veram cœlesti sanguine ortam intelligere discrimen, suscipere sordes.* Ita Domitia, Domitiani uxor, spectatur in numismate quodam apud Æneam Vicum Parmensem, habens aram ante pedes, accenso igne, & sacrificans filio, qui infans mortuus consecratus, atquè inter Deos relatus fuit. Simili honore deinceps Hæretici quidam prosequebantur Christi, Pauli, aliorumquè Philosophorum insignium & Poëtarum imagines. De Marcellina, quæ Carppocratianæ sectæ fuit, Augustinus Lib. de Hæret. cap. 7. ait, quod *coluerit imagines Iesu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ, adorando, incensumquè ponendo.* De Gnosticis universim id scribit Irenæus Lib. I. adversus Hæres. cap. 24. *Imagines quasdam*, inquit, *depictas quasdam autem & de materia fabricatas habent, dicentes formam Christi factam à Pilato, illo in tempore, quo fuit Iesus cum hominibus, & has coronant, & proponunt eas cum imaginibus mundi Philosophorum, videlicet cum imagine Pythagoræ & Platonis & Aristotelis, & reliquorum, & reliquam observationem circa eas, similiter ut Gentes faciunt.* Cœteros consecratorum honores, ut, Sacerdotia & Flaminia, aliaquè ejus generis, quæ ad statuas non directè pertinent, alterius loci esse scio, quamobrem consultò ea hic prætereo, & ad Tertium illud, quod proposui, nunc accedo, nimirum de Statuarum honore in ludis publicis. Duplex ille, cùm aut Statuæ in circo, vel in theatro tempore ludorum ponerentur, aut per Circensem Pompam inveherentur. In pompa Circensi præferri divinus

honor fuit. Nam olim non nisi simulacra Deorum sic vecta sunt. Macrob. I. Saturnal. cap. 21. *Vehitur simulacrum Dei Heliopolitani ferculo, veluti vehuntur in Pompa ludorum Circensium Deorum simulacra.* Cicero Verrin. V. *Omnes Dii, qui vehiculis thensarum solennes cœtus ludorum initis, vos precor.* Et Ovidius IV. Fastorum.

Circus erit pompâ celeber, numeroquè Deorum.

Deinceps vero ad homines transiit, & jam non consecratis modo, sed & non consecratis, nec mortuis tantum, sed & vivis Imperatoribus, eorumquè uxoribus ac Liberis & aliis, claris tamen & insignibus viris communis esse cœpit *prout quisquè aut meritis, aut ambitione, aut favore decernentium validus erat. Non malè itaquè inter consecratorum honores hunc posuero, sic jubentibus, quos sequimur, ducibus, Vopisco & Capitolino, tum præcipuè quod Divis videtur magis, quam cœteris debitus. Id vel ex eo patet, quod jure cœsus existimatus Iulius Cæsar dicatur apud Suetonium, quod inter cœtera humano fastigio ampliora passus sit sibi etiam vivo hunc decerni honorem. Verba ipsa postmodum adducemus. Et hoc est, quod authores dicunt effigies vel Statuas *duci per circum; praire ludos Circenses; in pompa traduci; Circensi pompa praferri; Circensibus per pompam ferri: &c.* De qua pompa, qui ulterius erudiri cupit, adeat Dionysium Halicarnas. Antiqq. Rom. Lib. VII. cap. 9. & ex recentioribus Onuphrium Panvinium. de Lud. Circens. lib. II. cap. 2. Nos hic Deorum simulacris prætermissis tantum de hominum Statuis agendum nobis suscepimus. Illæ itaquè per pompam etiam invectæ. Tacit. Hist. II. de Germanico. *Honores, ut quis amore in Germanicum aut ingenio validus reperti, decretiquè, ut nomen ejus Saliari carmine caneretur, sedes curules, Sacerdotum Augustalium locus, superquè eas querceæ coronæ statuerentur, Ludos Circenses eburnea effigies praíret.* Sueton. Tito cap. II. *Titus Britannici memor, Statuam ei auream in palatio posuit, & alteram ex ebore equestrem, quæ Circensi pompa hodie quoquè præfertur, dedicavit, persecutusquè est.* Iulius Capitolinus M. Antonino. cap. XXI. de ejus Cæsaris filio Vero, quem amisit septennem. *Iussit ut Statuæ tantummodo filio mortuo decernerentur*

nerentur, & imago aurea Circensibus per Pompam ferenda, & ut Saliari carmine nomen ejus inferretur. Et licet seorsim plerumquè singulæ inferrentur suis invehiculis, tamen interdum Deorum simulacris junctæ prodibant. Dio Cassius Lib. XLVII. *Triumviri Statuam Iulii Cæsaris in Equestribus certaminibus quandam cum alia Veneris Statua invexerunt.* Invehebantur verò aut thensis, aut carpentis, aut curribus, interdum etjam ferculis. De thensa Iulii Cæsaris itidem Dio Cassius Lib. XLIII. *Statuam quoquè tunc eburneam Cæsaris, ac post thensam in Circensibus pompis cum Deorum Simulacris vehi jusserunt.* Appianus. V. ἐμφυλ. de Augusto. *Ex honoribus per S. C. oblatis, accepit thensam in Circensibus, & annua solemnia diebus victoriæ.* Thensæ quid fuerint, docet Asconius Pedian. in Orat. III. Verrin. Et Sex. Pompejus ex Verrio Flacco. Nimirum sacra vehicula, quibus exuviæ Deorum ludicris Circensibus in circum ad pulvinare veherentur. Earum figuras nummi exhibent, in quibus delubri speciem, linteis circum tensis, referre videntur. Carpentis quoquè dixi solere in Ludum invehi Statuas; sed præcipuè, quod hic noto, Fœminarum. Sueton. Claudio. cap. XI. *Matri Antoniæ scilicet carpentum, quo per Circum duceretur, decernendum curavit.* Idem in Caligula cap. XV. *Inferias matri Agrippinæ & patribus annua religione publicè instituit, & eo amplius Matri Circenses, carpentumquè quo in pompa traduceretur.* Erat quippe carpentum, vehiculi genus, quo Matronæ Rom. ad ædes Deorum ferebantur, ut canathris Spartanorum Virgines. Ovid. I. Fast.

Nam prius Ausonias Matres carpenta vehebant.

Fuitquè Romanis Mulieribus tum concessum, ut Livius tradit, cum auro, quod Apollini ad persolvendum Camilli votum mitteretur, deficiente, omnes sua monilia in publicum contulere. Trahebatur autem plerumq; à duobus mulis, ut ex Liviæ, Agrippinæ, Domitillæ Vespasiani Filiæ, Iuliæ Titi Filiæ, & Faustinæ numinis videre licet. Vtrumquè vehiculi genus & Thensæ & Carpenta tecta & tota obducta velis fuere; Cœterum currus, qui etiam his usibus in ludorum pompis serviebant, tegumento tali carebant. Ex eo arbitror thensam à Dione appellari, ἅρμα ὅλον currum autem ἅρμα sine ulla adjectione.

In iſtos currus Statuas imponi, & ab Elephantis interdum in Circum trahi, diſco primum à Suetonio in Claudio cap. XI. *Aviæ Liviæ divinos honores, & Circenſi pompa currum Elephantorum Auguſtino ſimilem decernendum curavit.* Cujuſmodi currum Auguſti, ramum Lauri manu gerentis denarius ejus argenteus apud F. Vrſinum exhibet. Deinde à Dione Caſſio lib. LIX. de Druſilla. *Reverſus inde Cajus Cæſar ad Druſillæ natalitia, effigiem ejus Elephantis impoſitam bigis in theatrum invexit.* Et lib. LXXIV. de Statua Pertinacis. *Severus præcepit ut Statua Pertinacis aurea curru ab Elephantis veheretur in circum.* Quod factum itidem in Pompa Ptolomæi Philadelphi narrat Athæneus Deipnoſoph. V. 8. Vbi de Alexandri Statua, *Poſt illa,* inquit, *pompa Iovis ducebatur, aliorumquè Deorum permultorum, & præter hæc cuncta Alexandri, qui aureus in curru veris Elephantis juncto ferebatur; Victoria & Pallade ejus utrumque latus claudentibus.* Quem locum pro noſtro ſenſu ita emendavit in Græco Cl. Caſaubonus, ut pro ἀληθινῶν legeret ἀληθινῶς, fieretquè authoris menti conformis ſenſus horum verborum, ὃς ἐφ' ἅρματ☉ ἐλεφάντων ἀληθινῶς ἐφέρετο χρυσοῦς. *Qui in curru Elephantorum verè aureus ferebatur.* Nam ſi ἀληθινῶν retinendum fuiſſet, potuiſſet quiſquam ſuſpicari, illos Elephantorum currus, quorum ante mentionem fecit, non à veris Elephantis, ſed in verorum ſpeciem, Inſtructis & conformatis aliis animalibus, ſive equis, ſive mulis fuiſſe tractos, quod in rem iſtam & pompam quadrabat minimè. Tandem ferculis geſtatas in pompa ſtatuas, ut Deorum ita hominum conſtat ex Suetonio in Iulio cap. XXVI. *Ille ampliora etiam humano faſtigio decerni ſibi paſſus eſt, ſedem auream in curia, & pro tribunali thenſam, & ferculum Circenſi pompa, Templa, Aras.* Fercula à ferendo dicta, erant pulpita quædam, quibus impoſita ſimulacra, humeris hominum in pompis geſtabantur. Vndè *Pompæ ferculum* appellat in Hercule Oetæo Seneca. Sed planiorem nobis, ut ſpero, totam hanc rem de vehiculis veterum propediem dabit Clariſſ. Io. Scheffe-rus, quam, quia à nemine adhuc ſatis diligenter tractata eſt, eò deſideramus vehementius. Nec nos ideò quicquam hic præterea addimus. Sic ergo invectæ Statuæ fuerè. Antequam hunc de pompa ſermonem concludam, geminum planè honorem, qui

Tra-

Trajani mortui Statuæ, in pompa triumphali exhibitus ab Hadriano ejus Successore fuit, promam ex Ælii Spartiani Hadriano. c.vi *Cum triumphum ei Senatus, qui Trajano debitus erat, detulisset, recusavit ipse, atquè imaginē Trajani curru triumphali vexit, ut optimus Imperator, ne post mortem quidem triumphi amitteret dignitatem.* Et aliquanto clarius Sex. Aurel. Victor in Epitom. cap. XIII. *Columna ejus imago superposita sicuti triumphantes solent, in urbem invicta, Senatu praeunte & exercitu.* Solitum id quippe iis, qui triumphabant vivi, ut in pompa suas ostentarent imagines. Pompejus M. fecit triumpho tertio, quem de Piratis, Asia, Ponto, gentibusquè & Regibus devictis egit. Tunc imago ejus è margaritis antelata. Plinius XXVII, 2. *Imago Cn. Pompeii, è margaritis translata fuit. Illa regio honore grata, illius probi oris, venerandiquè per cunctas gentes.* Nec silenda hic est nova illa pompa, quâ C. Caligulæ, tanquam de libertate Romana quotidiè triumphantis imaginem, festis diebus in Capitolium invehi, exprimente adulationem metu instituit Senatus Romanus. In quâ ei etiam admodulari hymnos nobilissimi pueri tum debebant. Ita factum tradit Dio Cassius lib. LIX. *Postridie*, ait, *rursus convenerunt, ac multas ei laudes tanquam veracissimo, ac piissimo tribuentes, maximasquè agentes gratias, quod vivere eos passus fuisset; quotannis ea die, quâ hæc recitata erant, sacrificare ejus Clementiæ decreverunt, & iis diebus, qui in Palatio festi celebrabantur; ita ut veheretur in Capitolium imago ejus aurea, hymnos ei accinentibus nobilissimis.* Alia verò consuetudo erat, ut cœpi dicere, eas collocandi ludis publicis, cùm in Circo; Jul. Capitolinus Antonino Pio. cap. VI. *Antoninus ipse concessit, ut imago Faustinæ cunctis Circensibus poneretur.* Tum in theatro, ad quod nulla cum pompa processum est. Dio Cassius Lib. LIII. *Augustus jussit, ut ludis Romanis effigies Marcelli aurea, aureaquè corona & Sella curulis in theatrum inferretur, mediaquè inter Præfectos iis ludis Magistratus collocaretur.* Notare licet inter Præfectos ludis Magistratus positas imagines, loco imprimis honorato. It in theatro, Faustinæ statua, in principali loco posita, forte juxta maritum, ubi sedere, undequè spectare vivens ipsa solebat, non minus venerationis & honoris, quàm solatii causa. Idem Author, cujus

ope

ope in his frequentius utimur, Lib. LXXI. *Senatus decrevit ut in theatro Statua Faustina aurea in sella esset semper; Qua quoties Marcus spectaret, in prima sede, unde superstes ipsa spectare consueverat, poneretur, eique omnes præstantissimæ fœminæ assiderent.* Alioquin ut alibi, ita in ludis publicis, culpa imminutæ Majestatis non vacabant, si qui infra principale fastigium constituti, Principum statuis suas sociarent, aut juxta ponerent æmulatione honoris. Zonaras Tom. Annal. III. *Phocas filiam Domnentiam Prisco Duci copiarum despondit, cumque post nuptias ludis Equestribus, Prisci uxorisque Domnentiæ imagines juxta suas adstare vidisset, furore percitus, Tribunos plebis obtruncari jussit; eosque ægre à populo exoratus missos fecit.*

Caput XXXIV.

De civilibus statuarum honoribus. Asyla ad statuas Principum. In provinciis impetratum jus hoc statuis Principum à Senatu Rom. Quibus ad Asyla hac fugere, & quo casu concessum. Misera Servorum conditio. Perduelles & Patriæ hostes ab hoc beneficio exclusi. Signa Legionum pro Asylo. Ad statuam Principis fugere, aut imaginem Cæsaris arripere, invidiæ ciendæ, legibus interdictum, & pœnæ graves constitutæ in noxios. Mos amplectendi statuas, ad pedes earum procumbendi, verbis deprecandi coram illis offensas, manus ad easdem & brachia tendendi, aliive modi, tum declarandæ propriæ submissionis, cum movendorum in aliis per eas affectuum.

AD Civiles statuarum honores porro progredior. Inter quos primum & præcipuum constituo eum, qui ex jure Asyli resultat. Nam ob venerationem Principis pro Asylo habebantur ejus statuæ. Fatendum quidem est jus hoc sacræ esse originis & olim ad templa & simulacra Deorum, quæsivisse calamitatum suarum aliquod levamentum mortales; Ita ut rectius fortasse fecisse videamur, si de hoc egissemus eo loco, ubi divinos statuarum honores explicavimus; Attamen ut hic de eo ageremus, nos movit, quod non solum consecratorum Divorumque, sed & vivorum sæpe, & non consecratorum statuæ hunc honorem reciperent, ut non tàm opinione divinita-

vinita-

vinitatis, quàm patrocinii spe eò confugeretur, ubi imperatoria auctoritas, aut cujuscumquè tandem potestatis respectus vel recordatio, legum vinculo exsolvere nocentes, aut defendere miseros posset. Publicè ergo licebat ad statuas principum confugere, ut à pœna & periculo tuti essent supplices. *leg.* Quis sit fugitiv. §. 12. ff. *de ædilit. edict. Ego puto*, inquit Vlpianus, *non esse eum fugitivum, qui id facit, quod publicè facere licere arbitratur, ne eum quidem, qui ad statuam Cæsaris confugit, fugitivum arbitror, non enim fugiendi animo hoc facit.* Nazianz. Epist. 78. pro Aurelio militiæ desertore Olympium rogans, *Canitiem*, inquit, *sacerdotiumquè nostrum, quæ tibi venerationi esse sæpè confessus es, instar imperatoriæ cujusdam imaginis obtendens.* Vt ibi desertor haberet asylum, tanquàm ad statuam. Nec solum, ut dixi, Consecratorum, sed vivorum etiam. Plinius junior ad Trajan. Epist. lib. x. *Apulejus, Domine, miles, qui est in statione Nicodemiensi, scripsit mihi quendam nomine Callidromum, cum detineretur à Maximo & Dionysio pistoribus, quibus operas suas locaverat, confugisse ad tuam statuam.* Id verò usurpatum non in Romanorum Principum tantum, sed & aliorum apud alias gentes Regum statuis. Et imprimis de AEgyptiis Regibus ex Livii lib. XXIII. cap. 10. constat, ubi Decimus Magius Campanus ad Ptolomæi statuam, Cyrenas tempestate delatus confugisse, & vinculis liberatus traditur. *Navem*, inquit, *Cyrenas detulit tempestas, quæ tum in ditione Regum erant. Ibi cum Magius ad statuam Ptolomæi Regis confugisset, deportatus à custodibus Alexandriam ad Ptolomæum, dum eum docuisset contra jus fœderis vinctum se ab Annibale esse, vinculis liberatur.* Vt illo tamen jure principum statuæ in provinciis gauderent, permissionem à Rom. Senatu impetrare necesse fuit. Tacit. III. Annal. de Cretensibus. *Petiêre*, inquit, *jus Asyli simulacro Divi Augusti.* Eo autem confugiebant, cum ingenui & liberi homines, qui in periculo constituti. Sic Agrippinam Tiberius apud Suetonium cap. LIII. ad Augusti statuam fugere velle dixit. *Novissime calumniatus modò ad statuam Augusti, modo ad exercitus confugere velle, Pandatariam relegavit.* Libanius Orat. περὶ τῶν ἀγγαρειῶν, de Agricolis ad Antiochiam, quos ex urbe in agrum remeantes, unâ cum eorum asinis, mulisquè detinebant magistratus urbani, egerendi ruderis & purgandi soli gratia, *Nondum*, inquit, *equidem aliquis hoc passorum ad Imperato-*

T rum

rum imagines confugit, timendum verò ne id fiat. Tum, quod frequentius Servi. Seneca lib. I. de Clement. *Servis ad statuam licet confugere. Cum in servum omnia liceant, est aliquid, quod in hominem licere jus animantium vetet.* Quibus tamen tum præcipue adjumento hoc fuit, si ob Domini culpam, puta nimiam ejus sævitiam, vim injustam declinantes, eò confugerent. l. 2. ff *de his qui sunt sui vel al. jur. Antoninus consultus à quibusdam præsidibus Provinciarum de his servis, qui ad ædem sacram, vel ad statuam Principum confugiunt, præcepit, ut si intolerabilis videtur sævitia Dominorum, cogantur servos suos bonis conditionibus vendere, ut pretium Dominis daretur.* Verba ipsa rescripti ad Ælium Martianum, hæc sunt. *Dominorum quidem potestatem in servos suos illibatam esse oportet, nec cuiquam hominum jus suum detrahi. Sed Dominorum interest, ne auxilium contra sævitiam, vel famem, vel intolerabilem injuriam denegetur iis, qui justè deprecantur. Ideoquè cognosce de querelis eorum qui ex familia Iulii Sabini ad Statuam confugerunt. Et si vel durius habitos, quàm æquum est, vel infami injuriâ adfectos cognoveris, venire jube, ita ut in potestatem Domini non revertantur.* Aliàs ab Asylis extrahebantur, si gravius delictum commisissent, & Dominis reddebantur, ut patet ex leg. *Si servus cuiusquam.* Cod. De his qui ad Eccles. Quemadmodum nec hostibus Patriæ, aut perduellium liberis hoc jus indemnitatem præstare poterat, quo minus interdum inde per vim raptarentur ad pœnam. Suetonius August. cap. XVII de Antonii filio. *Antonium juvenem, majorem de duobus Fulvia genitis, simulacro Divi Iulii, ad quod post multas & irritas preces confugerat, abreptum interemit.* Vt nequè templa tutos præstare potuerint ex proposito peccantes, ut homicidas, adulteros, & virginum raptores. Idipsum quippe vetante lege, cùm divinâ, Exod. XXI. v. 14. tum humanâ. Novell. XVII. de Mandat. Princ. § *Neq; autem.* Quod hic refugium ad statuas erat, idem etiam ad signa legionum valebat, in quibus imagines principum. Tacit. I. Annal. *Planco maximè* inquit, *quem dignitas fuga impediverat, neq; aliud periclitanti subsidium, quàm castra primæ religionis. Illic signa & aquilam amplexus religione se tutabatur.* Verum enimverò, ut sæpè in aliis contingit benè consulta, malè utentium culpâ in noxã trahi; ita hic, quod habuere miseri perfugium ad

ad ſtatuas, avertendi periculi cauſâ, alii improbi occaſionem calumniæ fecere. Quippe aut confugiendo ad ſtatuam Principis, aut arripiendo ejus imaginem, non tam evadere periculū, quam inferre injuriam poterant, & invidiam creare, quibus malè cupiebant. Eſtquè illud, quod Plin. XXXIII, 3. dicit Claudii principatu jus nonnullis datum, imaginem Principis in annulo gerendi, *magna criminum occaſione.* Id verò, ut aliæ multæ peſtes, Rempub. invaſit ævo Tiberii. Tacit Annal. III. *Incedebat deterrimo cuique licentia, impune probra & invidiam in bonos excitandi arreptâ imagine Cæſaris.* Hoc quoq; conſilio Sejanus apud eundem Tac. l. IV. Annal. ſtruebat, *qui monerent Agrippinam ac Neronem perfugere ad Germaniæ exercitus vel celeberrimi fori effigiem D. Auguſti amplecti populumque ac ſenatum auxilio vocare. Quæ tamen ſpreta ab illis, tanquam pararent objiciebantur.* Itemque C. Ceſtius ſenator queritur probra ſibi & minas intendi, *nec ipſum audere jus experiri, ob effigiem imperatoris oppoſitam,* Lib. III. Sed retundebat tandē illam audaciam Ceſtius aliorum ſuffragantibus ſententiis adjutus, ut Annia Rufilla, quæ id tentabat, in cuſtodiam abriperetur. Sed pravum hunc morem emendabant poſtmodum leges, pœnamquè ſtatuebant. Scævola l. 38. ff. de injur. *Senatus Conſulto cavetur, ne quis imaginem imperatoris in invidiam alterius portaret: & qui contra fecerit in vincula publica mittetur.* Et Calliſtratus l. *Capitalium.* § 7. ff. de pœnis. *Ad ſtatuas confugere vel imagines Principum in injuriam alterius prohibitum eſt. Cum enim leges omnibus hominibus æqualiter ſecuritatem tribuant, Merito ...iſum eſt in injuriam potius alterius, quàm ſui defenſionis gratia ad ſtatuas vel imagines Principum confugere, niſi ſiquis ex vinculis vel cuſtodia detentus à Potentioribus ad hujusmodi præſidium confugerit, his enim venia tribuenda eſt. Nec autē ad ſtatuas vel imagines quis confugiat ſenatus cenſuit. Eumq; qui imaginem Cæſaris in invidiam alterius prætuliſſet, in vincula publica coerceri, D. Pius reſcripſit.* Item lex unica C. de his qui ad ſtat. confug. ut Imppp. Valen. Theodoſ. & Archadius reſcripſere. *Qui ad ſtatuas vel vitandi metus, vel creandæ invidiæ cauſa confugerint, ſi certas habuerint cauſas, quibus confugere ad imperatoria ſimulacra debuerint, jure ac legibus vindicentur. Sin vero probati fuerint artibus ſuis invidiam inimicis creare voluiſſe; ultrix in eos ſententia proferatur.* Nec

 ſolum

solum his, qui talia facerent, sed & iis, quorum instinctu id fieret, pœnam leges irrogabant. Vlpianus l. 5. ff. de Extraord. Crimin. *In eum, cujus instinctu ad infamandum Dominum servus ad statuam confugisse compertus erit, præter corrupti servi actionem, quæ ex edicto perpetuo competit, severè animadvertitur.* Cæterum qui ad statuas confugiebant, aut eas amplectebantur, ut ex Taciti loco, Annal. IV. ante adducto, videre licet. Aut earum pedibus advolvebantur. Chrysost. sermon. in N. Test. XLVI. *Nonne vides, quàm multi eorum, qui injuriis afficiuntur, ad statuarum pedes confugiant? Tametsi materia est sensu destituta, & æs animæ expers; sed quoniam imperatorum sunt illæ imagines, aliquam se à pedibus illis opem impetraturos confidunt.* Quemadmodum ad simulacra Deorum solebant, quod Prudentius in Apothesii dicit.

——*Soleas Iunonis lambere, Plantis*
Herculis advolvi, & in Peristephan.
Iam sub ario ad sigillorum pedes
Iaceatis.

Huc pertinent & alii modi, quibus variè utebantur, cum *aut* statuas imaginesquè in opem advocarent in necessitatibus, cum publicis, tum privatis, *aut* aliud quid apud eas agerent, movendis vel ostendendis affectibus. Etenim interdum taciti eas invocabant, si opis indigerent, & vultu in spei votorumquè similitudinem composito respiciebant. Plutarch. Cæsare cap. XCIV. de Cassio Cæsaris interfectore. *Eo in loco, ubi senatus est habitus, & cædes peracta, Pompeii statua tum jacebat, ferturquè Cassius ante factum ad statuam Pompeii respexisse, tacitusquè eum invocasse.* Idem tradit in Bruto cap. XXV. *Fertur*, inquit, *Cassius ad Pompeii statuam conversa facie, hunc quasi sentientem ad auxilium vocasse.* Tacitus II. Annalium de Hortalo, Hortensii Nepote, quem Tiberius, cum quorundam senatorum census juvisset, quanquam enixè precantem, in paupertate manifestâ destituit. *Ille*, inquit, *cum in Palatio senatus haberetur, modo Hortensii inter Oratores sitam imaginem, modo Augusti intuens, ad hunc modum cœpit. Patres conscripti, &c.* Reperti sunt aliquando & Reges exteri, qui dignitatis insignia ad Principum Romanorum effigies deposuerint, testandæ submissionis causâ. Id fecit Teridates ad effigiem Neronis, in fœdere, quo inferior erat. Tacit. Annal. XV. *Ad effigiem Neronis progressus Teridates, sublatum capite*

Diade-

Diadema imagini subjecit. Quandoquè manus & brachia tendebant. Tacit. Annal. I. *At patres, quibus unus metus, si intelligere viderentur in questus, lacrymas, vota effundi. Ad Deos, ad effigiem Augusti, ad genua ipsius manus tendere.* Cic. II. de Orator. *Per tuas statuas verò cum dixit, & extento brachio paululum etiam de gestu addidit, vehementer risimus.* Nonnunquam imagines proponebant in Concione, ut à Nerone occisorum, Galba, quò odium in Tyrannum concitaret. Sueton. Galba. cap. X. *Igitur, cum quasi manu missioni vocaturus conscendisset Tribunal, propositis ante se damnatorum occisorumquè à Nerone quàm plurimis imaginibus, & adstante nobili puero, quem exulantem ex proxima Baleari insula, ob id ipsum acciverat, deploravit temporum statum.* Sic ante ipsum effigies Cæsaris occisi monstrata plebi. Cleopatra, ut Augusti gratiam & benevolentiam lucri faceret, captiva sedens in conclavi ornatissimo, victoris Principis adventum expectans, multas variasquè Iulii Cæsaris imagines apposuit, & ingredienti, *vides*, inquit, *hic Patrem tuum, qualis sæpenumero ille ad me ingressus est.* Vt tradit Dio Cassius Lib. LI. Porrò reperio in judiciis etiam prolatas imagines, juvandi rei gratia. Quintilian. Instit. Orat. VI. Cap. I. *Alius imaginem mariti pro reâ proferre magni putavit.* Sic proponebantur interdum imperatorum novorum imagines, explorando favori militum, quas lætis vocibus acclamationibusquè excipere jubebantur. Vt factum est post diuturnam Aquilejæ obsidionem, interfectis Maximino, filioquè ejus, ubi cum milites aperiri sibi portas jussissent, ut amicis jam, qui pridiè hostes fuissent, Aquileiensium Duces non permisisse scribit Herodianus. VIII, 6. *Sed proponunt*, inquit, *Maximi, Balbini, ac Gordiani Cæsaris imagines, coronis & lauro redimitas. Quibus ipsi acclamantes etiam hortabantur exercitum, ut agnoscerent salutarentquè, & lætis exciperent vocibus, quos senatus Populusquè Romanus imperatores elegisset.*

CAPUT XXXV.

Statua coronata venerationis causa. Heroum statua apud Græcos post mortem sic ornata. Mos coronas in statuas conjiciendi. Amantes ut sertis redimirent imagines suas mutuo. Ptolomæi Regis Ægyptii statua à Legatis Rom.

coronata. Profecta ejus moris origo à Græcis, & quomodo? Corona illa partim ex auro, partim frondea, ex Quercu, Olea, Lauru. Mitra & diademate addita. Tænia & folia inaurata circum pectora statuarum. Dona varia, & anathemata ad statuas benefactorum, ornatus & honoris causa collata. Mos circumferendi imagines, monstrandæ benevolentiæ. Florum sparsio ad statuas ingens favoris documentum. Absentis Principis imago quantæ auctoritatis? Ritus mittendi ultro citroque imagines Principum à Provinciis in Urbem, & viceversa. Cur institutus sit, & quando inceperit, notatum. Laurata. icones. Quam-brem eæ interdum rejectæ. Varia imaginum genera per occasionem recensita. Pictæ, Ceræ, in nummis expressæ. Statuæ in nummis. In honorem Principis nummi cusi. Quæ talium veneratio; Imagines in annulis, coronis, clypeis, vestibus, vasculis, parietibus repræsentata.

ERant & alia quædam venerationis civilis genera statuis impensæ, quæ strictim persequar. Etenim solenne fuit, ut illi, qui singulari devotione erga Principes aliosve affecti esse volebant videri, statuas eorum subinde ornarent coronis. Ambrosius Sermon 10 in Psal. 118. *Qui coronat imaginem Imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit.* Irenæus lib. 1. adversus Hæres. cap. 24. de Gnosticis. *Imagines quasdam*, inquit, *habent depictas, quasdam autem & de reliqua materia fabricatas, has coronant.* Morem cum apud Græcos antiquum fuisse, ut heroum statuas post mortem coronarent, ex eo constat, quod de Alexandro Magno Plutarchus in ejus vita, cap. XXIV. tradit, quod nimirum, *Ipse oleo unctus cum sociis circum Achillis statuam, decucurrerit, eam coronans*, cum videlicet Ilium transgressus Minervæ & Heroibus sacrificaret. Nec imponi solum coronæ, sed & in statuas conjici solebant. Idem cap. XXVIII. *Cum Alexander Theodectæ (Phaselites is erat) mortui imaginem in foro positam vidisset, post cœnam ei, bacchatus multa serta ingessit.* Lucian. in Scytha. *Athenis statua Toxaris, etsi humi sita erat, tamen frequentissimè sertis recentibus redimiebatur.* Ortum hoc ex eo, quod Numinum in statuis fieri solebat. De quo Capitolinus, in vita M. Antonin. Philos. cap. IV. *In Saliatu*, inquit, *omen accepit imperii, coronas omnibus ex more jacientibus, aliæ aliis locis hæserunt. Hujus velut manu capiti Martis aptata est.* Cæterum amantes invicem etiam suas imagines coronabant. Unde est, quod Plutarchus Amatorio, inter ἐρωτικὰ ponit etiam, ἀνάδειν τὰ εἰκόνια. *redimire, sive sertis ornare imagunculas*, eorum nempè quos amarent.

De

De statuis coronatis est & hic Iustini locus, lib XVIII. *Missi à Senatu in Ægyptum legati, cum ingentia sibi à Ptolomæo Rege missa munera sprevissent, interjectis diebus ad cœnam invitatis, aureæ coronæ missæ sunt, quas illi honoris causa receptas, posterâ die statuis Regis imposuerunt.* Quod ab antiqua consuetudine similiter profectum est; Nam habuêre veteres præ foribus ædium suarum alicujus Numinis simulacrum, quod sæpè discedentes è conviviis coronabant, coronâ ibi acceptâ. Athenæus Dipnosoph. x, 10. *Timæus scribit Xenocratem, quam Congiorum die festo acceperat coronam, cum domum rediret, injecisse Mercurio ante palatium erecto, quem coronis è floribus textis ornare frequenter solebat.* Fuerunt autem in universum tales coronæ, partim ex auro, ut vides, & probat præterea inscriptio Hispaniensis.

HVIC. DONO. LVCRETIA. CAMPANA. AMPLIVS. NOMINE. SVO. CORONAM. AVREAM. ADIVNXIT.

Scilicet ad statuam Imperatoris, ad quam hæc inscriptio pertinebat. Partim ex arborum, puta quercus, oleæ & lauri frondibus. De prioribus duabus disco ex Martial. lib. IX. Epigr 24. Vbi Charus coronam sibi à Cæsare Domitiano donatam, Cæsaris statuæ reddidisse se dicit.

O cui virgineo flavescere contigit auro
Dic ubi Palladium sit tibi, chare, decus?
Adspicis & Domini fulgentes marmore vultus,
Venit ad has ultro nostra corona comas.
Albanæ livere potest pia quercus olivæ,
Cinxerit invictum quod prior illa caput.

Vbi insinuat solitam Domitiani statuam aliàs quernâ insigniri, quæ nunc potuerit videri oleagineæ Chari coronæ, præreptum sibi honorem invidere. De lauru cujus præcipuus usus in gratulationibus amicorum testis est. Cic. pro L. Murena. *Quo se vertet? domumnè? ut eam imaginem Clarissimi viri, Parentis sui, quam paucis ante diebus laureatam in sua gratulatione conspexit, eandem deformatam ignominia, lugentemq; videat?* Cæterum imponebant interdum mitras & diademata. Ita qui Iul. Cæsari regium nomen quærebant, statuas ejus regiis mitris ornabant. Plutarch. Cæsar. c. LXXXVII. *Statuæ autem ex eo conspectæ sunt Cæsaris, regiis mitris redimitæ.*

Quanquàm ab ejus inimicis hoc potius factum arbitretur, Dio Cassius lib. XLIV. *Qui clàm imagini ipsius, quæ pro rostris stabat, diadema imposuerunt*, excitandi adversus illum odii invidiæquè causâ. Redimiebant quoquè teniis & foliis inauratis, non caput modo, sed & pectus, in statuis eorum, à quibus beneficium accepêre. Lucianus Philopseude. *Vidi statuam Pelichi Medici à dextra Saturni, quæ tænias coronasquè aridas habebat, pectorequè folia quædam inaurata. Ego, inquit, Eucrates, ea inauravi, cum me sanasset triduo, febre pereuntem.* Quas & aliis donis honorabant, nummis, laminis argenteis, & id genus similibus. Idem Samosatenus scriptor, loco citato. *Ad pedes statuæ Pelichi jacebant oboli, aliaque item numismata quædam argentea ad crus ejus affixa cerâ, ac laminæ quoq; argenteæ, vota cujusquè, aut merces ob sanationem ejus, qui ab eo liberatus esset, cum febre detineretur.* Porro singulare quoddam favoris ac benevolentiæ signum erat, si cujusquè imagines gestarent & circumferrent. Sic Populus in periculo Agrippinæ & Neronis ob criminationes Tiberii, eorum imagines gestabat, monstrando favori. Tacit. V. Annal. *Simul populus effigies Agrippinæ ac Neronis gerens circumsistit curiam, faustisquè in Cæsarem ominibus falsas literas, & principe invito exitium domus ejus intendi clamitat.* Vnde ibidem figuratè illas imagines vexilla appellat Sejanus, apertæ seditionis populum adversus Principem insimulans. *Quorum*, inquit, *imagines pro vexillis secuti essent, Duces, imperatoresquè deligerent.* Alludit nempe ad morem castrorum legitimorum, in quibus imagines pro vexillis. Quin cum aliquem insigniter honoratum vellent, ejus imaginem solebant in solenni pompâ transvectionis equitum præferre. Tacit. II. Annal. *Equester ordo instituit, uti turmæ Idibus Iuliis imaginem ejus sequerentur.* Instituta quippe fuit illa pompa in memoriam victoriæ, quam Posthumio & Virginio Coss. Romani de Latinis reportavêre, quod Idibus Iuliis fiebat, quo die bellum confectum est. Consule hâc de re Dionys. Halicarnass. VI, 2. qui graphicè illam descripsit. Liv. lib. IX. Valer. Max. lib. I. & ex recenti ævo Hermann. Hugon. de Militia Equestri, fusè & accuratè de illa loquentem. Præterea spargebant etiam floribus. Tacit. item XIV. Annal. *Octaviæ imagines gestant humeris, spargunt floribus, foroquè atquè templis statuunt.* Et Histor. lib. II. *Populus cum lauru & floribus, Galbæ imagines circum templa tulit, congestis in modum*

modum tumuli coronis, juxta lacum Curtii, quem locum Galba moriens ſanguine infecerat. Quod genus honoris ipſis alioquin hominibus conferri ſolebat, *cùm vivis*, quod redditâ Achajæ libertate bello Macedonico primo Conſuli Flaminio contigit. *Quid*, inquit Florus II, 7. *florum in Conſulem profuderunt.* Et Ariſtomeni, Pauſan. Meſſenicis. item Caracallo, Herodian. IV, 15. *Tum mortuis*, partim in feretro, partim in ſepulcris. De quo ritu vide, quæ luculenter congeſſit Kirkmann. de Funeribus Roman. Plinii item & Suetonii loca citata Freinshemio in Not. ad Flori loc. mox adductum. Cæterum & illud inſigne erat venerationis documentum, quod procul abſente imperatore, imagini ejus authoritas eadem ſæpè conſtiterit, quam habere ipſe præſens ſolebat. Et hoc eſt, quod vult Ambroſius, cum dicit. *Abſente imperatore imago ejus habet authoritatem, præſente nullam.* Sic bello Parthico,quod Nero geſſit, cum de pace collocuturi erant Corbulo & Tiridates, loco abſentis Principis, imagines ejus in Tribunali collocabantur, iiſq; veneratio principi debita exhibebatur. Dio Caſſius l. LXII. *Non*,inquit, *ſimplici quodam modo inſtituta fuêre colloquia, ſed excitatum ſublime tribunal, & in eo collocatæ Neronis imagines. Ipſequè Teridates multis Armeniis ac multis Parthis & Romanis præſentibus ad eas acceßit ac venerationem exhibuit.* Qualis autem illa veneratio fuerit oſtendit Tacitus XV. Annal, qui præter cœſas victimas, dicit ipſum Teridatem *ſublatum capite Diadema Neronis imagini ſubjeciſſe.* Quippe ita fieri æquum videbatur, ut minor poteſtas majorem coleret, habito non perſonæ tantum, ſed & imaginibus ejus honore. Et amorem in Principem conſervare illud commentum oſtendendæ imaginis maximè valebat. Dionyſius Sophiſt. Antiochen. Epiſt. I. *Soliti ſumus amare imagines eorum, quos diligimus, cum ipſos videre non poſſumus.* Qua de cauſa ultrò citroquè mitti ſolebant imperatorum imagines, ſed pictæ plerumquè illæ tamen, nunc ex provinciis in urbem. Herodianus V. 5. de Antonino Heliogabalo, à militibus in Oriente poſt Macrini cædem electo. *Imaginem*, inquit, *propriam maximis lineamentis, qua ipſe obire ſacerdotis munia videbatur, ſimulquè figuram Numinis, cujus ſacerdotium gerebat, depictam in tabula præmiſit Romam, juſſis qui eam ferrent, in media curia loco edito, ſupra victoriæ caput collocare.* Quod tamen ante Antoninorum tempora factum vix reperies. Id Conſtantinus Ma-

gnus fecit, cum in Britannia patre mortuo, imperium accepit, ut meminit Sigonius lib. I I. de Occidentali Imperio, ubi tradit imaginem ejus ad urbem de more missam. Nunc ab urbe vel aliunde, ubicunquè essent, in provincias, in quas ipsi proficisci non poterant Principes. vid. Petr. Crinit. de honest. discip. XVII, 10. Eæquè imagines summa cum veneratione excipiebantur, si probi & legitimi Principes eas mitterent. Divus Chrysost. in pelvim. *Cum Regum imagines & effigies in urbem admittuntur atquè gestantur, magistratus & populi faustis cum acclamationibus & veneratione procedunt obviam, non tabulas aut cereas picturas honorantes, sed regiam imaginem.* In actis Synodi Nicenæ Secundæ legitur itidem, *obvios adire populos cum cereis & incensis, Non Cerâ perfusam tabulam, sed imperatorem honorantes.* Appellantur ibidem *laurata* & *Icones.* Hujus moris meminit & Damascenus de imag. Orat. III, ex Severiano Gabalorum Episcopo. *Regis*, inquit, *absentis imago Regis gaudium explet, eamque magistratus adornant, dies festi celebrantur, magistratus obviam procedunt, & populi venerantur.* Sin vero à Tyrannis & invasoribus mitterentur, non recipiebantur. Sigonius lib. ante dicto, operis laudati, ex vetustis Annalibus tradit, obstitisse Galerii milites in Affrica, nè circumferretur imago Maxentii, quam ille eò, tanquam in Provinciam suam miserat. Quin cum imperium Rom. in Orientale & Occidentale divisum esset, & jam ob curarum molem, bellorumquè difficultates ab alterutro Principum imperii socius adsciscendus erat, quod sæpissimè factum, eorum temporum vel modice periti non ignorant; Tum ejus, qui assumebatur, imaginem ad alterum misisse interdum legitur ille, qui adscivit, ut impetrato consensu facilius negotium procederet. Quæ si acciperetur, probati consilii, sin rejiceretur, desperati assensus indicium fuit. Sic apud Philostorgium Ecclesiast. Hist. XII, 10. ex quo forte Sigonius hausit, legimus imaginem Constantii ad Theodosium juniorem missam fuisse ab Honorio, cum eundem Constantium in Occidentalis imperii consortium adlegit, Augustumque appellavit. Sed quam ille non accepit, quod factum non probaret. Cæterum quoniam sæpius in mentionem de imaginibus incidimus, sæpius enim illæ similem cultum & eandem cum statuis observantiam adeptæ sunt, & de iis haud rarò ea traduntur quæ si negligamus, multa etiam ad statuarum cognitionem pertinen-

tinentia, authoribus silentio transmissa ignorare cogemur; Non, opinor, ingratum erit, si præcipua illarum genera recenseam, ex quibus fieri judicium de reliquis possit. Erant itaque vel *pictæ*. Nazianz orat. στηλιτευτ. I. In Iulian. *Parum habent Romani Impp. ipsi adorari, nisi idem, quod sibi in imaginibus picturisque præstetur.* Vopiscus Tacito cap. IX. *cavit Tacitus ut Aurelianum omnes pictum haberent.* Vel ex *Cerâ effigiatæ*, ut constat ex adductis modo verbis Actorum Synodi Nicenæ Secundæ, ubi de imaginibus imperatorum agitur, dicunturque obvii populi, *non cerâ perfusam tabulam*, sed imperatorem honorare. Vel *nummis impressæ*. Zonaras Annal. II. Inter honores Iulii Cæsaris refert simul decretum, ut ejus imago in nummis exsculperetur. Dio Cassius lib. XLVII. de Bruto *Numismati, quod faciebat, imaginem suam incudit.* Suetonius Nerone cap. XXV. *Posuit statuas suas Citharædico habitu; quâ notâ etiam nummum percussit.* Et ipsas statuas ejus loci indicio intelligimus in nummis repræsentatas, ita quidem, ut cum imperatoribus suis statuas erigerent provinciæ ac urbes, confestim easdem & exprimerent in nummis, quos itidem in honorem Principum cudebant; Vt scilicet rerum præclare gestarum monumenta essent, diverso plane usu abiis, qui commerciorum causa percutiebantur. Ejusmodi complures Augusto Cæsari factos videbis licet apud Goltzium in ejus imperatoris numismatis, & aliorum alibi passim. Illæ, inquam, imagines honoratæ non minus quam statuæ leguntur, damnatique qui debitam venerationem non tribuerent. Philostratus de vit. Apollon lib. I. *Erat*, inquit, *apud Aspendios Asylum Tiberii, Statuæque sanctiores illis in locis, venerabilioresque, quam Iovis Olympii simulacrum, habebantur, ita ut impietatis damnatus quidam fuerit, quod servum suum verberasset, qui drachmam argenteam Tiberii imagine signatam gestabat.* Hinc est intelligendum illud Artemidori. IV, 32. *Stratonicus putabat se Regem calcitrare, & progressus invenit aureum numisma, quod calcaverat, nihil enim differebat, sive Regem, sive ipsius imaginem calcitare aut calcare.* Quem vero ægre ferebant, ejus nummos, in quibus imago esset, conflabant interdum. Dio Cassius lib. LX. *Caii memoriam ægrè ferentes, omne æreum numisma, quod ejus imaginem haberet, conflari jusserunt.* Sed de hac re deinceps. Erant *denique annulis insculptæ*, quibus itidem honor debebatur. Vid. Senecam

de benef. lib. III. cap. 26. verba alibi adducimus. Et Plinius XXXIII, 3. *Fuit & alia*, inquit, *Claudii principatu differentia in his solis quibus admissionum liberti, jus dedissent imaginem Principis in annulo ex auro gerendi, magna criminum occasione. Quæ omnia salutaris exortus Vespasiani Principis abolevit, æqualiter publicando Principem.* De utroquè hoc genere Suet. Tiber. cap. LVIII. *Circa Augusti simulacrum servum cecidiße, vestem mutasse, nummo vel annulo effigiem impressam latrinæ aut lupanari intulisse, capitale erat.* In Tiberii videlicet principatu. Solennis quippe olim consuetudo erat, imperatorum, Regumquè illustrium effigies in annulis gestare. Sic Aristomenes Agathoclis imaginem in annulo gestavit. Polyb. Lib. xv. Augustus Alexandri Magni, Sueton. August. cap. L. Et reliqui insecuti Principes, ipsius Augusti. Dio Cassius lib. LI. Nec Regum Principumquè tantum, sed & majorum. Vide, si lubet, quæ in hanc rem diligenter congessit loca I. Kirkmannus de Annulis, cap. XII. Tum etiam coronæ certaminum, Principis imaginem, qui instituit, ostentabant. Suet. Dom. IV. *Certamini præsedit crepidatus, assidentibus Diali sacerdote & collegio Flavialium, pari habitu, nisi quod illorum Coronis inerat & ipsius imago.* Et clypei præferebant. Trebellius Claudio cap. III. *Illi clypeus aureus, vel ut Grammatici loquuntur, Clypeum aureum senatus totius judicio in Romana curia collocatum est, ut etiam nunc videtur expressa thorace vultus ejus imago.* Et inde ratio nominis. Plinius XXXV, 3. *Scutis, qualibus apud Trojam pugnatum est, continebantur imagines, unde & nomen habuere clypeorum.* quasi glypeorum diceres, ἀπὸ τοῦ γλύφειν, quoniam illis insculpebantur imagines. Fuerunt & alia imaginum genera, cùm videlicet exprimerentur in vestibus, puta reticulis, dextrocheriis, tunicis, limbis, penulis, cujusmodi picturas textiles vocat Cic. Verrin. II. vel in vasculis, ut pateris, & poculis, de quibus meminit Trebellius Pollio in Quieto, uno ex XXX. Tyrannis. De vasculis tantum addam locum unum ex Suetonii Vespasian. c. VII. qui etiam ostendit imaginem Principis quoddam esse majestatis symbolum. *Tegeæ in Archadia*, inquit, *instinctu vaticinantium effossa sunt sacrato loco vasa, operis antiqui, atquè in iis assimilis Vespasiano imago.* Omen quippe imperii illud erat. Et Alterum ex Damascen. de imag. Orat. II. ubi simul & de parietibus. *Itaquè quod in ejus nomine fecistis, idem in imagine præstitistis, adeo ut*

multi

multi & in annulorum palis, & in poculis, & in Phialis, & in cubiculorum parietibus, & ubiquè sculptam aut pictam illius imaginem habere voluerint.

CAPUT XXXVI.

Violatus honos hic pluribus modis. In consecratorum quidem Statuis præcipuè, cum traducerentur per pompas funebres, aut cum aliàs abolerentur, & igne conflata in alios usus verterentur. Læsa Majestatis id crimen. In summa Reip. necessitate Principum Statuas in nummos versas observatum, non tamen sine delectu. Augusti Cæsaris & Maximini diversa circa hanc rem consilia. Statuas sacras vendere quam grave crimen habitum? Qua conditione deponere eas aliquando licuerit. Cautum ne funestis in locis constituerentur. Actio injuriarum in eos, qui lapide statuam petierint. Mutilatione, aut alia deformatione honor itidem violatus. Pœna violatorum graves. Inscriptionem eradere, mutare aut ignominia quacunque alia Statuas afficere pro scelere summo æstimatum. Marcelli Statua Syracusis pro patibulo usus Verres. Translata è conspectu gladiatorii muneris Augusti Statua, & quare? Alia quædam indigna in Statuas commissa. Affixi libelli famosi ad Statuam Neronis, & alia contumelia in eam exercita. Statua Antonii. Circa Statuas ut violatus eorum honor. Probra jacere, servum cædere, vestes ponere coram iis, ut non licuerit? Damnati qui sordes corporis in illarum conspectu egesserint. Principis imaginem in latrinam inferre nummo vel auro impressam sub Tiberio capitale. Fœda quævis & obscœna alia circa Statuas fieri vetita.

QVanquam in tanta religione & veneratione apud antiquos Statuæ fuerint, ut jam dictum est, contigit illum tamen honorem sæpius violari. Idquè pluribus modis. Aut enim hoc fiebat in Statuis ipsis, aut circa illas. Vtrumquè verò cùm ad Divorum seu in Deos relatorum; tùm ad hominum, atquè inter eos, tàm privatorum, quàm Regum Principumquè Statuas, tametsi non sine ingenti discrimine pertinebat. In Statuis Consecratorum, violari putabatur inprimis Traductione per funebrem pompam. Cum enim in funeribus illustribus, Statuæ ac imagines propinquorum, aliorumve virorum clarorum præferri apud Romanos solerent, Divorum Statuas ab officio hoc, tanquam funesto & vili abstinebant. Dio Cassius lib. XLVII. de D. Iulii Cæsaris imagine, dicit edixisse Triumviros. *Ne in funeribus eorum, qui Cæsari sanguine juncti fuissent, Cæsaris, nimirum qui verè Deus esset, ulla imago, (sicut tum adhuc pro antiquissima consuetudine fiebat) gestaretur.* Idem de Augusti imagine decretum tra-

dit lib. LVI. *Decretum*, inquit, *porrò est, ne imago ejus ullo in funere cujusquam ferretur.* Scilicet quia sacra jam erat. Tum violabatur illa religio Abolitione, cum videlicet conflarentur & in massam informem redigerentur. Erat enim illud læsæ Majestatis crimen. Venulejus Saturninus leg. *Qui statuas.* ff. Ad leg. Iul. Majestatis. *Qui Statuas aut imagines imperatoris jam consecratas conflaverint, aliudve quid simile admiserint, Lege Iulia Majestatis tenentur.* Modestinus leg. *famosi.* §. 4. ff. eod. *Crimen Majestatis facto, vel violatis Statuis, vel imaginibus, maximè exacerbatur in milites.* Et damnatus fuisset L. Ennius Eques, ob talem causam, nisi vetuisset Tiberius. Tacit. Annal. III. *L. Ennium Equitem Romanum Majestatis postulatum, quod effigiem Principis promiscuum ad usum argenti vertisset, recipi Cæsar inter reos vetuit. Palam aspernante Atejo Capitone, quasi per libertatem.* Alioquin vetustate confectas reficere licuit. Marcianus l. *non contrahit.* ff. eod. *Non contrahit crimen Majestatis, qui Statuas Cæsaris vetustate corruptas reficit.* Et conflare reprobatas. Scævola l. *Cujusquè.* ff. ibid. *Hoc crimine liberatus est à Senatu, qui Statuas Imperatoris reprobatas conflaverit.* In magna reipublicæ necessitate, conflatas in usum nummorum legimus. Sed cum delectu. Dio Chrysostomus Orat. XXXVII. Corinthiacâ. *Syracusios vestros colossos, in multis adversus Carthaginenses aliosquè barbaros bellis, Siciliam atquè Italiam incolentes æs defecit & nomisma. Decreverunt igitur Tyrannorum Statuas, quæ apud eos multæ erant ære factæ, confringere, judicio tamen inter eas habito, quænam illarum conflari deberet, & quæ non.* Et Principibus idem faciendum in Deorum gentilium Simulacris suggerit Iulius Firmic. de err. Prof. relig. *Deos istos*, inquit, *aut monetæ ignis, aut metallorum coquat flamma. Donaria universa ad utilitatem vestram, dominiumquè transferte.* Ita Senec. lib. IV. Controvers. 4. *In usum stipendii donaria conflamus.* Quod vero de Augusto scribit Suetonius. cap. LII. quod ille *Argenteas Statuas olim sibi positas conflaverit omnes, exquè iis aureas cortinas Apollini Palatino dedicaverit*, modestiæ causa fecit, secutus Mecœnatis consilium à Dione Cassio lib. LII. narratum, & ne incassum multos sumptus faceret. Magis ei itaque honori, quàm dedecori fuit, sic suas Statuas abolevisse. At vero turpius erat, quod per avaritiam fecit Maximinus. Cujus jussu *Templorum omnium donaria, Statuæquè Deorum, heroumquè honores, tum quicquid publici operis aut civilis orna-*

ornamenti, aut materiæ deniquè fuit nummis idoneæ conficiundis, omnia pariter ignibus conflabantur. teste Herodiano VII, 3. Præterea Statuarum sacratum honor violari solebat Alienatione. Quare non magis vendere, quàm conflare eas licebat. Falanio certe, ut est apud Tacit. 1. Annal. *Quod venditis hortis, Statuam Augusti simul mancipasset*, ut enorme crimen objectum, nec intra levem pænam constitisset, nisi intercessisset Tiberius, qui ita scripsit Consulibus. *Non contra religiones fieri, quod effigies ejus, ut alia Numinum Simulacra, venditionibus hortorum & domuum accedant.* Interim non consecratas vendere, pro crimine Majestatis nequaquam habitum est, expressa Lege vetante. Marcianus l, 7. ff ad leg. Iul. Majest. §. 2. *Severus & Antoninus Poncio rescripserunt, non videri contra Majestatem fieri, ob imagines Cæsaris nondum consecratas, venditas.* Sic urgente inopia distractas venditasque esse à Pertinace Commodi Statuas narrat Zonar. Annal. 11. *Cum*, inquit, *tanta pecuniæ inopia esset in palatio, ut in fisco non amplius 250 millia drachmarum invenirentur, ægrè ex Statuis, armis, domestico instrumento, & deliciis Commodi tantum coëgit, ut militi solveret, quæ promiserat.* Sed neque deponi veneratione integrâ poterant, nisi denuo collocarentur. Et hac quidem sola conditione rescripto Augg. Arcadii & Honorii, in ędium refectionibus depositio concessa est. l. C. de Oper. publ. *Si quando usus exegerit, vel porticus, vel quaslibet ædes ætatis senio seu fortuitis concussas casibus reparari, liceat etiam inconsulta clementia nostra, cum reverentia sui imaginem deponere, vel nostram, vel retro principum, reportatamquè post refecta ædificia loco proprio denuo collocare.* Si quoque Principum Statuæ locis privatis aut funestis privatorum cadaveribus mistæ, ponerentur, decedere aliquid illarum honori, & minui principalis Majestas credebatur. Hoc nomine Dion Coccejanus accusatur ab Eumolpo, apud Plinium Nep. Ep. l. x. ad Trajanum, *Quod in eodem opere posita esset Statua Principis, & corpora sepultorum Vxoris Dionis & filiorum* Verum Clemens Imperator, qui nolebat metu & terrore hominũ, aut criminibus Majestatis reverentiam suo nomini adquiri, cum hoc super negotio à Præside Bithyniæ Plinio consuleretur, rescripsit *omittendam esse illam quæstionem, nec admittendam, etsi exemplis adjuvaretur.* Superiorum videlicet Principum, qui Statuas suas talibus locis nolebant poni. Porrò lapidis ictu, si ex proposito & destinato jactus esset, Statuæ Principalis honorem lædi,

&

& crimen Majestatis contrahi solitum constat ex lege, quæ for tuitò saxum immittentem eo crimine exsolvit. Marcian. l. 5 ff. titulo sæpius laudato. Ad leg. Julian. Majest. *Nec qui lapide jactato incertò fortuito Statuam attigerit, crimen Majestatis commisit.* Nec mirum, siquidem etiam privatorum statuis saxo cœsis, injuriarum agi poterat. Paulus l. 27. ff de injur. & fam. lib. *Si Statua patris tui in monumento posita, saxis cæsa est, sepulcri violati agi non posse, injuriarum posse Labeo scribit.* Deinde quantum decori statuarum detractum est membrorum mutilatione, aut ornamentorum spoliatione, pœna illis, qui hæc fecêre, sæpius interminata satis indicat. Nam manum aut digitum auferre, rotæ supplicio punitum, & multos hanc ob causam carnifici traditos, sacrilegiiquè pœna multatos probat Dio Chrysost. Orat. XXXI. Rhodiacâ. Verba ipsa, quia alibi adduximus hic iterare piget. Idem Orat. XXXVII. Corinth. de Statua Alcibiadis mutilata exclamat. *Spectaculum acerbum, O terra & Sol! Alcibiades mutilatus.* Inprimis verò pœnæ graves in eos constituebantur, qui Principum aut Regum quorumvis Statuas ulla ratione violarent. Zeno Veronensis, Sermone de Spe, fide & charitate. *Si inclyti cujusdam Regis, hominis tamen vultus, quivis ulla violaverit ratione, nonne continuò velut sacrilegii commissi capitales pœnas luit.* Ioh. Chrysost. Homil. III. ad populum Antiochen. *Statuam Regis ausi lædere, pœnas dederunt.* Idem in prior. ad Thessalonic. *Terreni Regis imaginem lapidans, seipsum lapidat.* Damascenus de imag. Orat. III. ex Basilii interpret. in Esaiam. *In eum, qui Regiam imaginem afficit ignominia, non secus animadvertitur, quam si ignominia Regem ipsum affecisset.* Idem ex S. Methodio loco dicto. *Quisquis in Regiam imaginem aliquam, qualiscunquè fuerit, maledicta conjecerit, is non tanquam lutum spreverit, aurumve contempserit absolvitur; sed non aliter, ac si in Regem ipsum impius extitisset, condemnatur.* Vnde occasio sævitiæ suppetebat Antonino Caracallæ, cujus Principatu, ut inquit Spartianus in ejus vita, cap. V. *Damnati sunt, qui coronas imaginibus ejus detraxerant, ut alias ponerent.* Quanquam nulla, aut ridicula illa causa, quam huic crudelitati prætexuit sceleratus Princeps. Sed & inscriptionem eradere, aut mala de causa mutare, non leve honoris detrimentum habebatur. Dio Chrisost. Orat. XXXI. *Sublata inscriptione, sublatum est utiquè testimonium & existimatio,*

illum

illum virum fuisse laude dignum. Mutare autem, penè sacrilegium idem Scriptor appellat. Quid jam de illis dicam, qui extrema ignominia Statuas fœdaverint, patibuli loco eas habentes. Vnum est ex turpissimis criminibus, quorum Verrem insimulat Cicero, Verr. IV. quod cum Proagorus Sopater simulacrum Mercurii apud Tyndaritanos, quod vehementer scelestus Prætor expetivit demoliri & Messanam deportare Senatu vetante non posset, eum jusserit ad C. Marcelli Statuam deligari nudum, diuque nimis imbrium ac frigoris violentiâ ibidem cruciari. Verba ipsa Accusatoris rem ut acta est, referentis audiamus. *Equestres sunt*, inquit, *in medio foro Marcellorum Statuæ, sicut ferè cæteris in oppidis Siciliæ. Ex quibus iste C. Marcelli Statuam delegit, cujus officia in illa Civitate totaquè provincia recentissima erant, & maxima: In ea Sopatrum hominem tum domi nobilem, tum summo magistratu præditum divaricari ac deligari jubet. Quo cruciatu sit affectus, venire in mentem necesse est omnibus, cum esset vinctus, nudus, in aëre, in imbri, in frigore; Neque tamen finis huic injuriæ crudelitatiquè fiebat, donec populus atque universa multitudo, atrocitate rei misericordiâquè commota, Senatum clamore coëgit, ut ei simulacrum illud Mercurii polliceretur, clamabant fore, ut ipsi sese Dii immortales ulciscerentur. Hominem interea perire innocentem non opportere. Tum frequens Senatus ad istum venit, pollicetur signum. Ita Sopater de Statua C. Marcelli, cum jam pene obriguisset, vix vivus aufertur.* Subjungit tantum hoc scelus fuisse, ut quo nomine appellet nesciat, sed solummodo ait singularem ex hoc significari ejus insolentiam, superbiam, contumaciam, ut qui sic detrahere se aliquid de amplitudine Marcellorum putaret. Addit deinceps. *Tibi Marcelli Statua pro patibulo in clientes Marcellorum fuit? Tu ex illius honore, in eos ipsos, qui honorem illi habuerunt, supplicia quærebas?* Tàm male cum funestis his rebus Statuarum honores convenire judicabat Claudius Imperator, ut ab iis locis, in quibus supplicia ac cœdes hominum peragerentur, transferri Statuam Augusti jusserit, ne aut diris istis spectaculis pollueretur, aut continuo illam velare, quod moris in sanctioribus Statuis observatum fuit, opus esset. Dio

V Cassius

Cassius Lib. LX. *Munera gladiatoria*, inquit, *continenter edebat Claudius, quibus adeò gaudebat, ut vitio ei cesserit. Odio acri persequebatur Servos Libertosquè qui sub Tiberio & Cajo Dominis suis perniciem machinati essent, aut delationibus alios circumvenißent, vel falsa testimonia tulissent. Ideò plerosquè hoc modo perdebat. Et quidem eorum, qui ita in publico perirent, tantus fuit numerus, ut Augusti Statuam eo loco positam jusserit aliò transferre, ne vel semper inspiceret cædes, vel semper velata eßet.* Quod quanquam potissimum ob Augusti divinitatem, factum putare possimus; Opinabantur enim Gentiles quicquid Diis superis sacrum esset, rerum funestarum vicinitate vel contactu contaminari, atquè ideò Deorum Statuas velabant; Attamen haud dubium est, intercessisse huic Claudii facto civilem quandam rationem, cum ea, quæ sævè, inclementer, & nimis rigidè agere se sentiunt homines, arbitrio aliorum, & præsertim eorum, qui fama clementiæ celebres sunt, nimis patere tacitæ cujusdam quasi exprobrationis metu non sustinent. Atquè ideò videri, ejus reverentiæ, quam exhibiturus fortè erat Claudius Augusto, si vixisset, & facta ejus coram inspexisset, aliquam etiam partem in ejus monumento declarari debuisse, decorè coram illo agendo omnia. Etenim quæ in Statuis ejusmodi & monumentis hominum designantur, sive honesta sive indecora sint, ea sæpissimè in Dominorum honorem aut probrum invidiamquè trahi solent. Vndè etiam sæpe evenisse legimus, ut non magis venerationis, quemadmodum satis jam supra dictum est, quàm odii & aversi affectus documenta ediderint in Statuis, qui contemptum, indignationem, probra, dolorem & offensam suam effundere in ipsos homines, quorum essent Statuæ, aut quia morte decesserant, aut ob potentiam, aliamve quamcunquè causam commodè nequirent, nec vel auderent. Sic flagris cæsas, accepimus. De Theagene Thasio Athleta, quocum vivente nonnemo inimicitias alebat, narrat Dio Chrysost. Orat. XXXI. quod postquam decessisset è vitâ, Statuam ipsius, idem ejus æmulus flagris ceciderit. Verum accidisse, sive forte fortuna, sive Genio quodam illi indignante, ut mota tandem è basi Statua, & secuta flagrum prociderit, flagellantemquè interemerit. Nero Statuam, Pammenis, quem Citharædico certamine victor superavit, itidem flagris cecidit, ridiculâ planè vani Principis in miserum, aut

fortè

fortè sponte concessâ palmâ obsequiosum hominem vindictâ. In excerptis Dionis ex Lib. LXIII. Xiphilinus, *Pamenem*, ait, *illum, qui fuerat Caii temporibus, licet jam senectute confectum certare coëgit Nero, ut Statuas ejus contumeliosè verberaret.* Illa verò contumelia egregiè pensata fuit, exercitis in ejus Statuas nullis non ludibriis. Quorum præcipua ingerebantur affixis contumeliosis schedis & libellis. Quod item usitatum fuit, volentibus ignominiâ aliquem notare. Nam teste Suetonio in ejus vita.cap. XLV. *Statuæ ejus à vertice currus appositus est, cum inscriptione græcâ, Nunc demum agona esse; Et traheret tandem.* Quibus διασύρμοις infamabatur impotens ejus aurigandi studiũ. Currus enim simulacrum parvum erat eorum curruum, quibus in circo insistere aurigantes solebant. *Nunc demum agon est*, vox est hortantis ad certamen, putatquè conceptam fuisse Casaubonus his verbis græcis. Νῦν γὰρ ἐστ' ἀγὼν. cujus ferè similem formulam ex Aristophane in Pace adducit, animadversionibus ad Suetonium, ut indè transsumpta Græcæ inscriptionis verba videri possint. Sic enim græcus Comicus. Νῦν ἀγὼν μέγας, illud verò; *Traheret tandem.* Idem vitium Principi exprobrat. Trahere enim aurigandi vocabulum est, idemquè ferè quod *agere vel agitare*, significat, aut certè omen malum habet. Trahi enim solebant per circum quadrigis excussi, & vulnerari sæpè, interdum & penitus confici.

Narrat ibidem Suetonius alterius Neronianæ Statuæ collo, *Ascoperam*, hoc est, Sacculum pelliceum, cullei symbolum, quo Parricidas concludi veteres Leges voluere, deligatum fuisse, addito titulo. *Ego quid potui? Sed tu Culleum meruisti.* Cujus inscriptionis sensus, quanquam non obscurus, clarius exprimitur in Dionis excerptis lib. LXV. *Culeum in quadam Statuâ ipsius de noctu suspenderunt, ut ex eo significarent, Neronem in Culleum conjici oportere.* Erat enim Matricida Non alienus ab hoc genere fuit titulus ille, qui Statuæ Antonii subscribebatur, cum mille talenta ab Atheniensibus exigeret nomine dotis, quam ipsis imperavit, cum Dionysium eum salutassent, & Minervam Musam suam ipsi in matrimonium desponderent. Tum, inquam, quod & eodem tempore Octaviam uxorem haberet, & Cleopatram, Græculus jocator Statuæ ejus subjecit. *Octavia res Tuas Tibi habe.* Vt illum locum Senecæ Patris, Suasoria. I.

valdè vitiatum, commodè restituit Literarum affectarum Sanator, & medicus felicissimus, Iustus Lipsius. Quo scommate ejus libidinem, & lubricum erga Octaviam amorem, cui Cleopatram superinduxit, perstringere voluit, qui libellum proposuit, quasi his verbis repudiasset ipse Antonius Octaviam, jussissetquè sibi eam res suas habere; quæ erat solennis divortii Romani formula. Alia præterea multa in Statuas acerbè & graviter designata sunt, sed quia ob crimina publica & publicis plerumquè judiciis talia facta deprehendo, in sequens caput collecta ea tanquam diversi fori negotia cogam. Nunc promissi memor, obiter ostendam, & circa Statuas earum venerationem aliquo modo violatam fuisse, ne illud solum, quod indignius in ipsis statuis, perpetratum fuerit, offecisse illarum honori putemus. Fiebatquè illud tum potissimum, si quid propè eas irreverenter, crudeliter, indecorè aut turpiter ageretur. Inprimis si quis circa imperatorum statuas probra diceret, parum verecunda verba proferret, aut aliis pudenda facta objectaret. Apulejus Apologiâ. *Hucusque à vobis miserum istum puerum depravatum, ut ante has Imperatoris Pii Statuas, filius matris suæ pudenda exprobret stupra, & amores objectet?* Item si quis Servum cæderet, præcipuè antè consecratorum Statuas, quod sub Tiberio eò processit, ut Capitale esset. Suet. Tiber. c. LVIII. *Capitale erat circa Augusti simulacrum Servum cecidisse.* Quippe ut confugis Servis cœterorum Deorum Statuæ perfugium & asylum præbebant, cum eos nimium crudeles Domini persequerentur: ita Patris Augusti simulacrum eadem potestate esse voluit, ut tutos præstare supplices posset. Similiter lædebatur honor ille, si quis sese nudaret in conspectu consecratæ imaginis, aut vestem mutaret. Suetonius ibidem testatur etiā capitale fuisse circa Augusti simulacrum *vestimenta mutasse*. Idquè ex eo venit, quod nihil obscœnum fieri in conspectu Deorum oportuit, ut Valerius Maximus, l. II. *Non fas esse dicit, in aliquo sacrato loco se nudare.* Et sub Domitiano illo Deorum Simia, ut est apud Xiphilinum, Compendio Dionis LXVII. *Mulier quædam quod semet exuerat ante Statuam ejus, damnata & interfecta est.* Idem Zonaras tradit. Porrò alias corporis sordes coram statuis Principum egerere, nimium quàm turpe habitum fuit, nec gravi pœnâ caruit. Spartianus Caracallo,

cap.

cap. V. *Damnati sunt eo tempore, qui urinam in eo loco fecerunt, in quo Statuæ aut imagines erant Principis.* Dio Chrysost. Orat. XXXVII. de Atheniensibus, qui Philippi imagines urina inquinarunt. *Ausi sunt & Philippi Regis matulas comparare; Athenienses igitur imaginem ejus urina perfuderunt, Ille autem civitatem sanguine & cinere & pulvere.* Nec impudentiæ simul ac impietatis notam effugere potuit Nero, qui Deam Syriam gentibus adoratum Numen urina contaminavit. Suetonius in ejus vita, cap. LVI. *Religionum usque quaque contemtor, præter unius Deæ Syriæ. Hanc mox ita sprevit, ut urina contaminaret.* Denique non solum ante Statuam fœda isthæc patrare, aut illam contaminare, pœnâ dignum censebatur, sed & imaginem Principis *nummo vel auro impressam, latrinæ aut lupanari intulisse capitale fuit,* Principatu Tiberii, teste Suetonio laudato loco. quod tamē præcipuè de Augusti imagine intelligendum est. Nec dissimile tamen de Tiberii imagine exemplum, Seneca recenset l. III. de Benef. c. 26. *Cænabat,* inquit, *Paulus Prætorius in convivio quodam imaginem Tiberii Cæsaris habens ectypa & eminente gemma. Rem ineptissimam fecero, si nunc verba quæsiero, quemadmodum dicam illum matellam sumsisse. Quod factum simul & Macro ex notis illius temporis vestigatoribus notavit. At Servus ejus, cui nectebantur insidiæ, ei ebrio annulum extraxit. Et cū Macro convivas testaretur, admotam esse imaginē obscœnis, & jam subscriptionē componeret ostendit in manu sua Servus annulum.* Ita nihil obscænum aut fœdum admittebatur, ubi Principum adessent Statuæ imaginesve, non secus ac ante ipsa Deorum Simulacra. Vndè cavillandi ansam cepit Martial. l. XII. Epigr. 79. in Æthontem Histrionem, qui ante Iovis Statuam in Capitolio ventris crepitum emisit, dum Iovē salutaret. ait enim

Ante Iovis Statuam, crepuit satur histrio: pœnam
Iupiter indixit, vivere de proprio.

Pœna erat *vivere de proprio.* sive de propriis ventris sordibus intellectum audax jocator Poëta velit, sive de trinoctiali domicænio, quo ipsum à Iove affectum præcedenti Epigrammate scribit, his verbis,

Sed ipse Divûm
Offensus genitor, trinoctiali
Affecit domicænio clientem.

Vt nimirum pauper histrio domi cogeretur tribus diebus cænare. Quæ cœnæ totidē haud dubie erant jejunia. Vnde est etiam quod

apud Horatium lib. 1. Sermon. Satyr. 8. Priapus sibi ipsi non alias, quam tales pœnas, quanquam ridiculè, statuit, si mentiri deprehensus foret recensendo Canidiæ & Saganæ veneficarum maleficia. inquit enim,

Mentior at si quid, merdis caput inquiner albis
Corvorum, atquè in me veniant mictum atquè cacatum
Iulius, & fragilis Pediatia, furquè Voranus.

Quanquam quid sordium corvi aut aliæ bestiæ ad statuas Deorum egererent, non magnoperè referret, Modò ne id ab hominibus plenâ ratione usis fieret, quod sedulo cautum. Vnde alicubi apud Plutarchum leges. *Pulchrè prohibet Hesiodus, ne quis mejat in fluvium, aut fontem, ac magis etiam abstinendum ad aram, aut statuam numinis. Nec enim referre, si canes aut asini hoc faciant, vel infantes, qui talia neutiquam attendunt.* Quod vult etjam illud Persii, cum dicit

——— *Pueri, locus est sacer, extra*
Mejite. ———

Vide, si lubet, Notas Dionysii Vossi ad Mosis Maimonidæ librum de Idololatria, Cap. III. § 2. Extremâ itaquè ignominiâ & contemptu dignum esse oportuit eum, ad cujus Statuas tale quid facere impunè liceret. Iuvenal. Sat. 1. de Romanæ Vrbis sceleribus, ubi etiam indignis & peregrinis Statuarum honores communicarentur, locarenturquè inter triumphales Clarissimorum Ducum Statuas. Inter illas, inquit,

——— ——— ——— ——— *ausus habere*
Nescio quis titulos Ægyptius atquè Arabarches,
Cujus ad effigiem non tantum mejere fas est.

Quasi dicat, putare se quod & alvum ibidem exonerare, fas sit. Verum sordes illas relinquamus, ne honestis auribus graves simus.

CAPUT XXXVII.

Statuæ Tyrannorum, Proditorum, aliorumve id genus consceleratorum hominum dejectæ, solo afflictæ, ignibus consumtæ, illusæ fractæ, raptatæ, lapidatæ Erasi tituli in probrum, aut luto inquinati, vel alio colore obscuro obducti. Statuæ abjectæ in latrinas. Damnatorum imagines in pompis ferre vetitum. Facta hæc talia interdum decreto publico. Contumeliosæ acclamatio-

mationes additæ. In demolitione præsentes aliqui ex Senatoribus quandoque, & relicta in rei memoriam basis, aut alia aliqua nota. In ædibus habere Statuas vel imagines damnatorum, quàm fuerit periculosum. Quibus modis ab amicis quandoque ignominiæ isti occurreretur, exemplis ostensum. Causæ ob quas Statuæ olim dejectæ, postmodum restitutæ fuerint? Statuæ quorundam per odium aut per contemptum dejectæ. Successorum & Victorum Statuæ in locum abrogatorum Principum aut Debellatorum hostium repositæ. Mos capita decutiendi in Statuis Tyrannorum. Statuæ item dejectæ quandoque subito motu populi aut militum. Similia patrata in signis Legionum.

HActenus de Statuarum veneratione religiosa & Civili, modisquè quibus eadem violaretur, quantum memoria suppeditare potuit, dictum est. Nunc ad alia transeundum, monstrandumquè nobis est, quod sicut ob virtutes insignes & res præclarè gestas, Statuarum honores benemerentibus tribui solerent, ita iidem contrariis de causis, puta ob enormia crimina & scelera, si quæ postmodum committerentur, abrogati sæpissime fuerint. Dio Chrysost. Orat. XXXVII. *Nequè ex calumnia sed condemnatione, nequè ex qualibet, sed maxima ex causa Statuarum honorem subvertere oportet.* In hunc censum itaque veniunt Tyranni, Proditores, Parricidæ, Venefici, aliisve gravibus vitiis notati, quorum Statuæ dejiciebantur, iis interfectis vel abrogatis. Hieronymus in Prophet. Abac. cap. 3. *Cum Tyrannus detruncatur, imagines quoquè ejus deponuntur & Statuæ.* Ambrosius. *Vide quemadmodum in Civitatibus bonorum Principum imagines perseverent, deleantur Tyrannorum.* Dio Chrysostomus Orat. XXXI. *Si quis eorum, qui quondam habiti sunt moderati, denuò facinus designet insanabile, graveque, puta si proditionem suadeat, aut Tyrannidem, Talium honores solent abrogari, etiamsi inscriptionem quandam antea sint adepti.* Iul. Capitolin. Gordianis. cap. XIII. *Dejectæ sunt Statuæ, imaginesque Maximini, qui hostis fuerat judicatus.* Adeoque tanta contentione id actum Romæ aliquando comperio, ut ob unius Tyranni improba scelera agitatum sit de tollendis omnibus omnium Statuis, sine discrimine. Fuit is impurus ille Bassianus Caracallus, Taranta alias dictus, ob staturam corporis, & mores fœdissimos, quibus Sanguinario Gladiatori Tarantæ persimilis fuit. Xiphilinus Macrino lib. LXXVIII. *Statuas tàm aureas, quàm argenteas omnes simpliciter ipsius causa conflari petebant.* In hoc censu numerari debet & illud, quanquam

non ex vetere ævo, quod de Ferdinando Albano Duce, Iacobu Auguſt. Thuanus part. II. hiſt. Lib. XLVI. refert; quod nimirum ille, cum judiciorum ſeveritate, tributorum exactione, veteribus revocatis & novis adjectis, privilegiorum, libertatum & immunitatum authoritate labefactata toti Belgio maxime gravis eſſet; nulla re tamen Provincialium in ſe & Hiſpanorum nomen atque odium magis conciverit, quam Statua ænea Antverpiæ ſibi poſita, cujus ſpectaculo aſſidue in oculis obſervante, ſibi non vict. tantum ſemel & in ordinem redacti, ſed quaſi in æternam ſervitutem rapti, & quotidie vinciri, & in triumphum duci videbantur. Quod item ſuperbiam hominis alioquin vel inimicorum confeſſione, ſummi noſtrâ ætate imperatoris, ipſe iniquo animo tulerit Philippus, qui & ſtatuam eandem quadriennio poſt, per Ludovicum Requeſcentium, qui Albano è Provincia decedenti in ea Præfectura ſuffectus eſt, amoveri curavit. Interdum verò, & ii hoc fulmen ſenſere, qui dubia Reipublicæ fortuna, civilibus turbis, improſpere rem gerebant magis fortunæ quadam iniquitate, quàm quod ſic conſtitutum eſſet. Dio Caſſ. l. XLII. *Poſtquam creditum eſt, de clade Pharſalica, id tantum egerunt, quod imagines Pompeii Syllæquè, quæ pro roſtris ſtabant, dejecere.* quemadmodum è contrario, Cæſari ob victoriam novas decretas, idem loco eodem tradit. Vt autem major ignominia eſſet, non ſolum deponebantur, ſed affligebantur ſolo, frangebantur, & ad viles uſus ignibus excoquebantur. Plin. XXXIV, 6. de Statua Sp. Caſſii qui regnum affectaverat. *L. Piſo prodidit eam, quam apud ædem telluris ſtatuiſſet ſibi Sp. Caſſius, qui regnum affectaverat, etiam conflatam à Cenſoribus.* Iuvenalis Sat. X. de Sejano, damnato ſub Tiberio.

— — mergit longa atquè inſignis honorum
Pagina, deſcendunt Statuæ, reſtemquè ſequuntur.
Ipſa deinde rotas bigarum impacta ſecuris
Cædit, & immeritis franguntur crura caballis.
Iam ſtrident ignes, jam follibus atquè caminis
Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens
Sejanus, deinde ex facie toto orbe ſecundæ
Fiunt urceoli, pelves, ſartago, patellæ.

Et Satyra VIII.

Frangenda miſeram funeſtat imagine gentem.

Pli. [illegible] ad Trajanum de Domitiani imaginibus. *Iuvabat,*

inquit, *illidere solo superbissimos vultus, instare ferro, sævire securibus, ut si singulos ictus sanguis dolorquè sequeretur. Nemo tam temperans gaudii, seræquè lætitiæ fuit, quin instar ultionis videretur cernere laceros artus, truncata membra, postremo truces horrendasquè imagines abjectas excoctasquè flammis, ut ex illo terrore & minis in usum hominum, & voluptates ignibus mutarentur.* Et ferè nullum præterea fuit ludibrii genus, quo non afficerentur. Euseb. Hist. Eccl. IX. cap. ult. de Maxentii Statuis. *Statuæ etiam quotquot in honorem illius fuerant erectæ, similiter dejectæ & protritæ sunt, ac ludibrio & irrisui expositæ omnium, qui injuria & ignominia afficere eas vellent.* Interdum trahi & raptari per Vrbem solebant. Dio Cassius Lib. LXXIII. *Cupiebant Senatus Populusque corpus Commodi sicuti Statuas, trahere & lacerare.* Et in Gemonias. Tacit. III. Annal. de Statuis Pisonis venefici. *Simul populi ante curiam voces audiebantur, non temperaturos manibus, si patrum sententias evasisset; Effigiesquè Pisonis traxerant in Gemonias, ac divellebant, ni jussu Principis protectæ repositæq; forent.* Eradebantur præterea tituli & inscriptiones. Suetonius Domitiano cap. XXIII. *Occisum eum Senatus adeo lætatus est, ut scalas inferri, clypeosquè & imagines ejus coram detrahi & ibidem solo affligi juberet: novissimè eradendos ubiquè titulos, abolendamquè omnem memoriam decerneret.* Lamprid. Commodo. cap. XX. *Cingius Severus dixit. Censeo, quod is, qui non nisi ad perniciem civium, & ad dedecus suum vixit, ob honorem suum decerni coëgit, abolendas Statuas, quæ undiquè sunt abolendæ, nomenque ex omnibus privatis publicisque monumentis eradendum.* Iul. Capitolinus Gordianis. cap. IX. *Iuvenes, qui authores hujus facinoris erant, Statuas Maximini dejecerunt, imagines perfregerunt, nomen publicitus eraserunt.* Idquè eo consilio, ut omnis Tyranni memoria obliteraretur. Dio Chrysostomus Orat. XXXI. de Atheniensium quadam Lege. *Illic,* inquit, *quando publice civium quendam ob scelus commissum mori oportet, prius illius nomen è publicis tabulis deletur. Quamobrem? Primum quidem ob hoc, ne qui civis sit, tale quid patiatur; sed quantum fieri potest, in peregrinorum habitus numero. Deinde etiam supplicii ipsius, puto, id non minima esse videtur pars, quod nec appellatio amplius appareat ejus, qui huc progressus est scelerum, sed omninò obscuretur.* Nonnunquam luto etjam inquinabantur, ut nihil ad contumeliam deesset. Lamprid. Heliogab. cap. XII. *Misit qui in castris statuarum Alexandri Severi*

titulos luto tegerent, ut fieri solet de Tyrannis. Sic Theodosium Constantinopoli marmoreas Statuas Hæreticorum, Arii, Macedonii, Sabelli, Eunomii sculpi curasse, humi desidentes, ut à prætereuntibus stercore & luto contaminarentur, tradit P. Gellius Topograph. Constantinop. II, 23. Aut alio obscuro colore oblinebantur. Euseb. Hist. Eccl. IX. cap. ult. de Maxentio. *Inscriptiones etiam & tituli, quicunquè honori ejus, aut liberorum, per singulas urbes positi erant, partim è sublimi in terram detracti, confractiquè sunt, partim ut videntibus inutiles fierent, obscuro quodam colore obducti & nigrefacti.* Cœterum etiam nonnunquam abjiciebantur statuæ in latrinas. Suetonius Nerone. cap. XXIV. *Subverti & unco trahi abjiciquè in latrinas omnium Hieronicarum Statuas & imagines imperavit.* Quanquam illud magis invidentiæ Principis, quàm illorum culpæ possit adscribi. Vetitum porro fuit, ne damnatorum imagines in pompis funebribus præferrentur. Tacit. III. Annal. ubi de Iuniæ Cassiæ funere ad quod Bruti & Cassii imagines non prolatæ. *Præfulgebant Cassius atquè Brutus, eo ipso, quod effigies eorum non visebantur.* Et de Libonis imaginibus II. Annal. *Cotta Messalinus, ne imago Libonis exequias posterorum comitaretur, censuit.* Tales verò ignominiæ ut plurimum irrogabantur Magistratuum vel Senatus Populiq; decreto, & publico judicio. Sic Liviæ Statuæ dejectæ sunt. Tac. VI. Annal. *Cognitis Liviæ flagitiis, ac non pridem etiam punitis, atroces sententiæ dicebantur, in effigies quoque ac memoriam ejus.* Cicero Verrin. II. de Verris Statuis apud Centuripinos. *Centuripinorum Senatus decrevit, populusquè jussit, ut quæ Statuæ C. Verris ipsius, & patris & filii essent, eas quæstores demoliendas locarent.* Tale etiam plebiscitum sanxere adversus Philippum Athenienses bello, quod cum ipso gessere, de quo Livius Decad. III. lib. I. cap. XLIV. *Rogationem ex templo tulerunt, plebsqu scivit, ut Philippi Statuæ, imagines omnes, nominaquè earum, item majorum ejus virilis ac muliebris sexus omnium tollerentur, delerenturquè. Dies festi, Sacra, Sacerdotes, quæ ipsius, Majorumve ejus honoris causa instituti essent, omnia profanarentur; Loca quoquè in quibus positum aliquid, inscriptumve honoris ejus causa fuißet, detestabilia esse.* Et hoc est quod Statuæ judicium, Dio Chrys. vocat. Orat, XXXVII. ubi de Dionysii Tyranni Statua subversa. Locum ipsum capite præcedenti adduximus. Huc pertinent Leges quæ in Romano jure, extant.

ant. Rescriptum est Arcadii & Honorii Augg. l. 17. C. Theodos. de pœnis. *Quod divinum præmium consulatus lutulentum prodigium contagione fœdavit, patriciatus dignitate, atque etiam omnibus aliis inferioribus spoliatum se esse cognoscat, quos morum polluit sævitate; Omnes Statuas, omnia simulacra, tàm ex ære, quàm ex marmore, seu ex fusis, quàm ex quacunquè materia, quæ apta est effingendis, ab omnibus civitatibus, oppidis, locis privatis ac publicis præcipimus aboleri; ne tanquam nota nostri seculi obtutus polluat intuentium.* Et altera Lex Modestini. 24. ff. de pœnis, de Statuis damnatorum. *Eorum, qui relegati vel deportati sunt ex causa Majestatis, Statuas detrahendas scire debemus.* Cum verò talia in Senatu decernerentur, infaustæ sæpe, & contumeliosæ acclamationes audiebantur. Sueton. Domitiano cap. XXIII. *Senatus adeò lætatus est, ut repleta certatim curia non temperaret, quin mortuum contumeliosissimo atquè acerbissimo acclamationum genera laceraret.* Quibus verbis formulisquè illæ conciperentur, ex hoc Lampridii loco, in Commodo Antonino c. XVIII. cujus item Statuæ Senatus judicio deletæ fuerunt, facile dijudicaveris. *Acclamationes*, inquit, *Senatus post mortem Commodi graves fuerunt. Ut autem sciretur, quod judicium Senatus de Commodo fuerit, ipsas acclamationes de Mario Maximo indidi, & sententiã Senatusconsulti. Hosti patriæ honores detrahantur.* Et deinceps. *Hostis Statuas undiquè, Parricidæ Statuas undiquè. Gladiatoris statuas undiquè, Gladiatoris & Parricidæ Statuæ detrahantur.* Atq; iterum. *Parricidæ gladiatoris memoria aboleatur, Parricidæ gladiatoris Statuæ detrahantur.* Interdum adesse aliqui ex Senatoribus jubebantur, dum instituenda demolitio fuerat, ut præsentia sua authoritatem decreto darent, & ne fortè repentina aliqua & improvisa vis executionem eluderet. Cic. Verr. II. de Statuis Verris apud Centuripinos demoliendis, quarum paulò ante mentionem fecimus, *Dum ea demolitio fieret, Senatores XXX non minus adessent Senatus populusquè jussit.* Tum relinquebatur à dejectione nonnunquam basis, aut alia nota in criminis memoriam. Eadem actione Tullius. *Taurominitani ablata Verris Statua, basin tamen in foro manere voluerunt; quod gravius in istum fore putabant, si scirent homines statuam ejus à Taurominitanis esse dejectam, quàm si nullam unquam positam arbitrarentur. Tyndaritani*

dsritani dejecerunt in foro, & eadem de causa equum inanem reliquerunt. Porrò magno crimini datum fuit imò gravi pœna, & mortis interdum constitit si quis hoc modo damnatas Statuas in ædibus suis haberet aut non aboleret. Cic. pro C. Rabirio. *S. Titius, quod habuit imaginem L. Saturnini domi suæ, condemnatus est.* Tacit. xi. Annal. de Narcisso Claudii liberto. *Patefieri domum adulteri, atque illuc deduci imperatorem jubet. Ac primum in vestibulo effigiem patris Silii, consulto Senatus abolitam demonstrat.* Silius itaque interfectus, tàm hujus rei causa, quam ob Messalinæ nuptias, Ejus pater, cujus mentionem historicus facit olim erat Legatus inferioris Germaniæ, & cum Majestatis crimine teneretur, imagines ejus abolitæ fuere, quas filius, restituit. Ambrosius Milleloqu. *Si quis Tyranni imagines habeat, qui jam victus interiit, jure damnatur.* Idem lib. i. Offic. cap. 49. *Si Tyranni aliquis imaginem habeat, nonne obnoxius est damnationi. Memini me legisse quosdam capitali supplicio damnatos, quod Bruti & Cassii interfectorum Cæsaris imagines asservarent.* Forte legit Sanctus Pater apud Sueton. Neron. cap. xxxvii. ubi hoc habetur. *Objectum est Cassio Longino Iurisconsulto, ac luminibus orbato, quod in vetere gentili stemmate C. Cassii percussoris Cæsaris imagines restituisset.* Meminit & Dio Cassius lib. lxii. & Annal. xvi. Postmodum vero procedente tempore, quod injurias interdum, ut benefacta delere solet, video licuisse domi habere talium imagines cum in publico locare minime liceret. Ita capio Plinium Nepot. lib. i. Epist. 17. ubi Capitonem laudat, quod claros viros coleret. Ex eo quod *magna religione, magnoque studio imagines Brutorum, Cassiorum, Catonum, domi, ubi poterat, haberet.* Porrò publicæ isti statuarum ignominiæ, de quâ ante diximus, subventum haud raro legimus ab amicis, qui aut damnatas clam subtraxerant; ita Claudius Caligulæ, quas dejiciendas Senatus decrevit, clam noctu sustulit. Dio Cassius lib. lx. *Cum Senatus Cajum ignominia notare vellet, ei Senatusconsulto intercessit, ipse tantum omnes statuas ejus noctu sustulit.* Aut pretio aliquo & pecunia ignominiam isthanc redemerant, Plutarch. Anton. cap. cx. de Cleopatræ Statuis *Antonii statua dejecta sunt, quod idem ne Cleopatra statuis etiam accideret, Archibius quidam ejus amicus mille talentis à Cæsare redemit.* Aut vi & per factionem deinceps

ceps restituerant. Sic Statuas Commodi Iulianus à militibus Imperator constituendus restauraturum se pollicetur. Herodianus II, 6. *Ille*, inquit, *ingressus in castra, primum quidem honores Commodi & statuas, quas sustulerat Senatus, instauraturum pollicebatur.* Ita quoque Cæsar Marianæ factionis patronus ac fautor, Marii imagines reposuit. Plutarch. Cæsare. Cap. IX. *Duæ factiones Romæ erant, Syllana altera, tum vigens; altera Mariana, humilis tum & dissipata atquè fracta: Hanc Cæsar sibi reficere & adjungere cupiens, occultè imagines Marii, & trophæa noctu in Capitolio posuit.* Et paulo post. *Ibi alii clamare Cæsarem tyrannidem moliri, qui legibus & Senatusconsultis abolitos honores restitueret.* Fuit &, cum morte ac infandis suppliciis ulciscerentur sublatas statuas factiosi vindices. Herodianus VII, 9. de Capelliano. *Aditis Vrbibus, quæcunque honores Maximini sustulissent, in his præstantissimum quemque morte, cæteros supplicio afficiebat.* Postquam verò deseviit ira publica, insignis benevolentiæ, & generosi animi documentum fuit, si quis dejectas reponeret, eorum præsertim, qui juxta quod peccaverant, insignibus etiam beneficiis Rempub. olim affecerint. Plut. Cæsar. c. LXXXI. *Pompeii statuas, quæ dejectæ erant, non est passus jacere Cæsar, sed restituit. Estque tunc à Cicerone dictum; Cæsarem restituendis Pompeii imaginibus suas stabilire.* Adjicit Dio Cassius lib. XLIII. *Qua ex re laudem Cæsar invenit.* Non minorem sane magni animi laudem Augustus meruit, integrâ relictâ M. Bruti hostis sui statuâ, quam Mediolani positam vidit. Plutarchus narrat in Bruto c. LXXXV. *Fuit Mediolani,* inquit, *quæ est citerioris Galliæ Vrbs, ærea Bruto posita Statua. Hanc cum postea temporis Cæsar videret artificiosè factam, imaginemquè ejus bene referentem, præteriit. Paulo post subsistens, advocatis ad se Magistratibus Vrbis, audientibus multis dixit, se deprehendisse eos contra pacta egisse, & hostem ipsius detinere secum. Inficiantibus, (ut par erat primum, quemque hostem diceret, dubitantibus, ac se mutuo intuentibus, ad Statuam conversus, contractâ fronte; Annon, ait, is qui hic adstat, hostis noster est? Cum magis etiam perterriti silerent, vultu in risum soluto, collaudavit Gallos istos, qui etiam adversâ fortunâ utentibus amicis benevolentiam constanter retinerent: jussitque statuam quo erat loco relinqui.* Verum Pompejus & Brutus, utcunque à Iulio & Augusto victi,

tamen cives quondam fuêre, ne nimis inhumanum Alexandrum judicemus, qui Susis dejectam Xerxis statuam, quamvis præteriit, initio tamen de erigendâ cogitavit. Quippe Capitalis ille Græcorum hostis semper fuit. Idem Plutarch. Alexandro cap. LXVIII. *Xerxis statuam magnam cum videret à multitudine certatim ad Regiam contendente dejectam, substitit, ac veluti audientem compellans; Vtrum Te*, inquit, *ob bellum Graciæ illatum jacentem relinquo? An propter magnanimitatem Tuam, virtutesquè cæteras erigo? tandem cum diu tacitus secum meditatus esset, præteriit.* Cœterum eorum quoquè statuas, quos quisquè dilexerit, cum per occasionem aut acceptam potestatem licuit, reponere solebant, Sic Otho Poppææ imagines, ante sub Nerone à populo dejectas, Imperator factus, reposuit. Tacit. I. Hist. *Ne tum quidem immemor amorum, statuas Poppææ per Senatusconsultum reposuit.* Nam olim ea Othonis pellex, & dein Conjunx erat, ut apud eundem Tacitum XIII. Annal. videre licet. Illorum quoquè restituere honores, qui sine culpa à Principibus Tyrannis malè affecti fuêre, similiter præcipuæ humanitatis argumentum erat. Sic Galba eorum statuas, qui Neronis crudelitatem effugere non poterant, non sine laude restituit. Zonar. Annal. II. *Ossa eorum, qui ex imperatorio Genere occisi erant, in Augusti monumentum intulit, eorumquè statuas reposuit*, Ille enim Princeps multorum statuas immeritò & per solam invidiam dejecit. Vt supra monitum. Quemadmodum & ante ipsum Caligula qui immani quodam livore ac malignitate, *Statuas virorum illustrium, ab Augusto ex Capitolina area propter angustias in Martium campum collatas, ita subvertit atquè disjecit, ut restitui salvis titulis non valuerint*, teste Sueton. in Calig. cap. XXXIV. Et alii fecerunt. Dio Chrysostomus Orat. XXXII. *Tyrannos*, inquit, *aut Reges, quorum postea quidam violenter atquè iniquè imperantes, imagines abstulerunt, nominaquè obscurarunt, quod quidem puto & in vestra civitate accidisse, affirmare ausim, si præscivissent hoc futurum, nequè suas à quoquam imagines erigi, nequè nomina inscribi permissuros fuisse.* Quanqnam talem invidiam justè sæpè afflare eos censeat Plutarchus, qui ambitiosè nimis & sine modo istos honores expetunt. Ita enim ille

in

in Politico suo. *Debet honor non merces facinoris esse, sed signum, ut & diu perduret, sicut illi duraverunt. At de CCC. Statuis Demetrii Phalerei nullam corrupit ærugo, aut situs, sed omnes vivente ipso eversæ sunt. Demadis statuæ conflatæ sunt in matulas. Multaquè talia honoribus contigerunt, non tantum ob ejus, cui decreti essent pravitatem, sed etiam ob molem suam in odium adducti.* Alioquin interdum per contemptum dejicebantur quoquè Statuæ eorum, qui cum honorati in Repub. diu fuissent, vitæ genus elegerint parum decorum, suamquè operam Reip. subtraxerint, non sine nota ignaviæ. Sueton. Tiber. Cap. XIII. *Imagines Tiberii & statuas Nemausenses subverterunt; Ac familiari quodam convivio, mentione ejus orta extiterat, qui Cajo polliceretur confestim se, si juberet Rhodum navigaturum, caputquè exulis, sic enim appellabatur, relaturum.* Tiberius enim septem annos Rhodi morabatur, teste Vellejo, & deposito patrio habitu redegit se ad pallium & crepidas, ut Tranquillus ait. Poterant etiam Nemausenses animum adeò aversum Tiberio gerere, aliiquè, quod suspicio orta esset novas eum res moliri, quod idem historicus innuit capite præcedenti. Cærerum moris fuisse observatum est, ut in locum dejectarum, aut successoris statuæ ponerentur, abrogato priore imperatore. Herodian. VII, 5. *Tumultuari cœpit omnis Africa, sublatisquè Maximini honoribus, civitates pleraquè imagines Gordiani ac Statuas ponere.* Aut victoris, cum hostem debellasset Plutarch. Æmilio Paulo. cap. XLVI. *Delphis conspicatus columnam magnam quadrangulam, ex albo lapide constructam, cui aurea Persei statua imponenda erat, suam eo collocari jussit: æquum enim esset, ut victi victoribus locum cederent.* Interdum verò, non Statuæ totæ dejectæ sunt, sed caput tantummodo, ejusquè repositum, qui successit, aut victor extitit. Tacit. I. Annal. de Hispone Marcelli accusatore. *Addidit Hispo, alia in Statua amputato capite Augusti, effigiem Tiberii inditam, ad quod exarsit Tiberius.* Exarsit verò, quod eâ ignominia Patrem Augustum affecisse Marcellus dicebatur, quæ irrogari Tyrannis soleret, eoquè tacitè Augustum damnare Tyrannidis videbatur. Hunc morem Hieronymus in Proph. Habacuc. cap. III. clarè insinuat. *Cum Tyrannus detruncatur, imagines quoquè ejus deponuntur, & statuæ, &*

vultu

vultu tantummodo commutato, ablatoque capite, ejus facies qui viceris, superponitur. Dictum est ante, judicio publico dejectas facinorosorum Statuas. Id verò non semper fiebat, sed interdum subito motu Multitudinis disjectæ sunt, vel Vrbanæ, vel militaris. Verris Statuas Populus passim per Siciliam dejecit. Cicero Verrin. I I. *De quo homine auditum est unquam quod tibi accidit, ut ejus in provincia Statuæ in locis publicis positæ, partim etiam in ædibus sacris per vim, per universam multitudinem dejicerentur?* Oratorie rem exaggerat Cicero, ut majore odio sceleratum aggravet Prætorem. Sic Augusti & Antonii statuas plebs irata dejecit, quod ob bellum cum S. Pompejo susceptum commeatus intercluderetur. Dio Cassius lib. XLVIII. *Cæsaris & Antonii statuas dejecerunt, ac tandem cum nihil consequerentur, impetum in eos necis inferendæ causa fecerunt.* Item lib. LVIII. de Sejano. *Populus quoque irruens multo clamore eos, quibus mortem intulerat, exprobravit. Spes quas sibi propositas habuerat, ludibrio jactavit. Omnes ejus statuas dejecit, confregit, raptavit, quasi ipsum si ea contumelia multarent.* Sic Poppææ statuas proruit Populus, revocatâ ab Nerone Octavia Tacit. XIV. Annal. *Effigies Poppææ proruunt, Octaviæ imagines gestant humeris.* Senec. Octavia vers. 780.

Quæcunque claro marmore effigies stetit,
Aut ara fulgens, ora Poppææ gerens,
Afflicta vulgi manibus, & sævo jacet
Eversa ferro.

Vbi nota pro *ara* substitui à Lipsio *ære* commodiore & haud dubie veriore sensu. Eo plane modo Theodosii Imperatoris, & defunctæ ejus Vxoris Placillæ statuas Antiocheni everterant, quod novis exactionibus gravarentur. Theodoretus Hist. Eccl. V, 19. *Quando Imperator Theodosius, crebritate bellorum coactus, novum quoddam & antea inauditum exactionis genus Civitatibus imposuit, orta est ejus occasione seditio in prima Orientis civitate, Antiochiæ videlicet, quæ ob pietatem dicta est etiam Theopolis. Sic ea Civitate, quâ nihil erat venerabilius nihil factum erat miserabilius, dum in ea multitudine sævitum est in statuam Imperatoris, & in Statuam defunctæ Placillæ, reli-*

eligiosissimæ Imperatricis. Nuper etiam Romæ Anno vide-
icet 1559. Statuam Pauli IV. Pontificis, qui ex Caraffa-
um domo erat, in Capitolio erectam, terræ allisam, Po-
ulus in Tiberim projecit, ob persecutionem, quam in bo-
os omnes, sub religionis prætextu tempore inquisitionis
Iisp. instituit, ut author est Ernestus Eremundus in Hist.
elg. tumult. Fiebant verò & hæc non sine diris execratio-
ibus & atrocibus verbis. Sen. citato loco de Poppææ statuis:

Membra per partes trahunt
Deducta laqueis, obruunt turpi diu
Calcata cœno. Verba convenient feris
Immista factis.

'alia populus; Sed frequentius milites, qui sævè & crudeli-
r satis hunc furebant furorem. Dio Cassius lib. LXIII.
*Iilites statuis Neronis dissipatis & comminutis, cœperunt Ru-
im Cæsarem, & Augustum nominare.* Cum milites sibi
atiores crudelitate reddidisset Maximinus, ejus statuas
uoquè deposuêre. Iul. Capitolin. duob. Maximinis, cap.
XIII. *In oppido vicino statim Maximini statuæ atquè ima-
nes depositæ sunt, & ejus Præfectus Prætorii occisus est.* Quin,
t exquisitior esset pœna & contemptus, cogebant interdum
tueri suas statuas dejici illos ipsos, quorum essent. Tacit.
Iist. III. *Vitellium infestis mucronibus coactum modo erigere
, & offerre contumeliis, nunc cadentes statuas suas, plerumquè
ostra & Galbæ occisi locum contueri.* Nec in statuis tantum
æc fiebant, sed in imaginibus Imperatorum, quæ in si-
nis castrensibus erant, aversum studium tanto magis de-
arabant, quantò illæ oportuniores & magis obnoxiæ sedi-
onum tempestatibus existebant. Itaquè illas detrahe-
ant signis, & solo affixerant. Tacit. I. Hist. *Vexillarius
omitantis Galbam cohortis, dereptam Galbæ imaginem solo
fflixit.* Et III. Hist. *Simul Vitellii imagines direptæ.* quas
amen pœnitentia ducti statim reponebant. Herodian.
III, 5. *Postquam de signis militaribus Maximini imagines
etraxerunt milites, prodeuntem mox tentorio cum filio, ut ad
os loqueretur, hoc illi non concesso, continuo obtruncant.* Il-
us vero, quem in locum substitui vellent, repone-
ant. Idem Græcus Historicus. II, 6. de Iuliano imperium

 emer-

emercante, post occisum Pertinacem. *Tum signis sublatis, impositisquè illius imaginibus, deducere hominem tendunt.*

CAPUT XXXVIII.

Omina varia ut ex Statuis captarint veteres, bona, mala, læta, tristia Exemplu aliquam multis id probatum. Statuæ cum aut sponte caderent, aut fulmine tactæ corruerent, infelix plerunque omen habitum. Fulmen in statuas delatum, cur interim, & à quibus bonam interpretationem receperit? Mos veterum Romanorum, statuas fulminatas piaculis luendi, & eas deinceps transponendi. Clausula hujus Syngrammatis.

Coronidis loco memorare hoc capite lubet, quod consueverint ex statuis sæpenumero omen aliquod captare veteres. Vtquè varia sunt, quæ sperare aut metuere mortales in vita solent; ita multa fuerunt, quorum sive prosperum successum, sive adversum eventum, prout benè aut male quæquè casura erant, aut aliæ res circa statuas ostenderint aut significatione aliqua ipsæ præmonstrarint statuæ, tum aliis, nimirum ad quos non pertinerent, tum iis præcipuè quorum essent. Etenim ut sua simulacra animare Dii olim crediti sunt, inque iis habitare, ac indè signa suæ voluntatis ostendere mortalibus: Ita θεῖον τι ἐμψυχόντι inesse statuis hominum vanâ opinione putatum est, haud aliter quam si Genius cujusquè, ut hominis, ita Statuæ præsidium curamque ageret, quodquè homini eventurum erat, in ejus statua præmoneret. Fuere autem omnia isthæc partim bona, partim mala. Quorum illa imperium, victoriam, aut alias res lætas & expetendas; Hæc verò, mortem, cladem, alia verò dira & funesta promittebant, prout infinita propè authorum loca idipsum testantur. Nos pauca tantum adducemus. Illustre & inprimis imperii illud omen, quod Vespasiano fecit Statua Iulii Cæsaris, quæ Romæ in insula Tiberina sereno die ad orientem sponte se convertebat, quasi hunc ad rem Romanam componendam advocans, qui in oriente bello Iudaico tum præfuit. Suet. T. Flav. Vespasiano. cap. v. *Ac non multo post comitia secundi consulatus ineunte Galba, Statua Divi Iulii ad orientem conversa.* quod ipsum etiam videre est apud Tacitum Hist. Lib. I. Post Vespasianum Antonino Diadumeno itidem Imperii futuri, verum non diuturni ome

men præbuit, ejus pileus ab aquila raptus, & Statuæ Regis monumento aptatus. Ælius Lamprid. in vita ejus cap VI. *uic eidem aquila pileum in agro ambulanti tulit; & cum co-itum infantis clamor esset factus, in monumento regio, quod xta villam esset, in qua tunc Pater agebat, supra statuam regis suit, ita capiti ejus aptaret, quod multi ominosum putarunt, morti accommodum. Clarum autem eventus ostendit. Na-us est præterea Natali Antonini, & ea hora & signis propè con-nentibus, quibus & Antoninus Pius; Quare dixerunt Ma-ematici, & Imperatoris illum filium futurum, & Impera-rem, sed non diu.* Sed & victoriarum omina Statuæ non ra-dederant. Caii Iulii Cæsaris victoriam Pharsalicam, cir-ejusdem statuam, quæ Trallibus constituta ipsi fuit, præ-onstratam, innatâ ibidem palmâ victoriæ Symbolo, præ-r Dionem Cassium, Lib. XLI. Et Plinium XVII, 25. narrat iam Plutarchus Cæsare Cap. LXVIII. *Trallibus*, ait, *in tem-o Victoriæ statua Cæsaris posita erat, loco circum solido, & tura & lapidibus instrato pavimento; Inde tamen iis diebus xta fundum statuæ palma enata est.* Addit Dio, & ipsius Deæ mulacrum ad statuam Cæsaris, cui ex obliquo collocata e-it, se obvertisse. Similiter Domitiano victum L. Antoni-m, superioris Germaniæ Præsidem, belli civilis Authorem, nplexa statuam Imperatoris, lætosquè edens clangores a-uila prænunciavit. Suetonius Domitiano, cap. VI. *Siqui-em ipso, quo dimicatum erat, die, statuam ejus Romæ insignis quila circumplexa pennis, clangores lætissimos edidit, pauloquè st occisum Antonium, adeo vulgatum est, ut caput quoquè ejus pportatum vidisse se pleriquè contenderent.* Quamvis contra-um portenderit Nigro, aquila statuæ militari insidens. Non diu enim postea ei à Severianis capto, caput abscissum, Byzantii cruci affixum est. De ipso omine hoc tradit Xi-hilin. Compend. Dionis. lib LXXIV. *Sed cum nonnulla pro-igia ei minus evenissent prospera, vehementer perturbari cœ-it. Nam aquila, quæ in statua militari consederat in ea (licet bigeretur) constitit, quousquè capta est.* Nec dissimile erat atum Macrini, quod ex columbæ, ad statuam ejus volatu ates prædivinarant, referente eodem Xiphilin. lib. LXXVIII. Longè adhuc funestius est, quod Sejano Fumus & Serpens

& Funis ad Statuam ejus portendebat, de quo Dio Cassius lib. LVIII. *Sejanum longè magis turbabat, quod ex ipsius statua fumus initio copiosus emerserat, deinde capite ejus statuæ sublato, ut posset inspici, quidnam rei esset, serpens magnus exsiluerat: rursusquè alio capite imposito, quum propter hac rem sacram facere vellet* Sejanus (*nam inter alia sibi quoquè sacrificabat,*) *inventus est funis capiti statuæ circumjectus.* Paulò post enim capite multatus est, & in Gemonias projectus, atquè à populo totum triduum ludibrio habitus in Tiberim missus. Sic porrò cladem & exitium multis aliis etiam, ut dixi, ominatæ statuæ leguntur, puta cum aut sponte, aut fulmine disjectæ fractæve corruerint, aut aliud inusitatum quid circa illas contigerit, cujus interpretationem propter similitudinem aliquam, aut alias Personarum, temporis, locorumve conditiones nisi in tristes casus quadrare non potuisse ipse eventus sæpè docuit. De C. Iulii Cæsaris morte, casu statuæ ipsius præmonstratâ, meminit idem Dio Cassius lib. XLIII. *Domo*, inquit, *exeunte Cæsare, statua quadam ipsius in vestibulo posita sponte decidit, ac comminuta est; Etenim erat omnino Cæsari ea die moriendum.* Similem ferè exitum Vibio Pansæ Consuli, similis statuæ casus, bello Mutinensi fecit, quo Pansa vulneratus est, undè non multò post mortem concivit. Idem lib. XLVI. *Ea die, eaque ipsa hora, quâ is ad bellum profectus est, statua ærea in vestibulo domus ejus collocata, sponte sua eversa est.* quod inter prodigia, bellum istud antegressa recensetur. De Vitellio Suetonius cap. IX. *Ipso movente, statuæ equestres, cum plurifariam ei ponerentur, fractis repentè cruribus, pariter corruerunt.* Et deinceps, *quibus ostentis par respondit exitus.* nam inter nefanda rerum verborumquè ludibria, à militibus apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus est, & inde unco tractus in Tiberim. Hujus generis est, quod de statua Hieronis Spartani refert in De Pythiæ oraculis Plutarchus X. Oculos nimirum ei excidisse, antequam Hiero ad Leuctra occubuit. Nec sine omine factum est, quod Cæsar in curia propè statuam Pompeii, quem ipse perdidit, cæderetur. Ita judicare videtur Plutarchus Cæs. cap. XCIV. *Eo autem in loco, ubi Senatus est habitus, & cædes peracta, Pompeii statua tum jacebat, ipsaquè illa curia ab*

eodem

eodem Pompejo olim dedicata, & ornamenti causa theatro adjecta demonstravit Dei alicujus ductu ibi rem perpetratam fuisse Et Dio Cassius propè finem lib. XLV. aliquantò clarius. *Quoniam Cæsar pone statuam Pompeii occisus fuit, visus est ei pœnas aliquomodo persolvisse.* Huic ipsi Cæsari, pro quo immensum quantum sive benecupientium favor, sive præsentia Reip. tempora reputantium superstitiosa sollicitudo laborabat exitium portendisse & illud putatum est, quod ejus statua in Capitolio fuerit reposita juxta statuam Bruti, qui olim Reges sustulit. Idem lib. XLIII. *Ac mihi fortuitum istum casum mirari subit, quod cum essent octo statuæ, septem positæ regibus, & una Bruto, ei, qui Tarquinios evertit, juxta Bruti hujus statuam Cæsaris tunc statua reposita sit: Nimirum hæc quoquè res inprimis M. Brutum ad insidias Cæsari faciendas incitavit.* Malum plerumquè ut dixi, omen habitum est, cum fulmine statuæ concuterentur. Suetonius Galba cap. I. de Neronis novissimis. *Ergo novissimo Neronis anno tacta de cœlo Cæsarum æde, capita omnibus simul statuis deciderunt, Augusti sceptrum è manibus excussum est* Præterea Dio Cassius noster, qui talia multa cæteris rerum Romanarum scriptoribus diligentius notavit, testis est pluribus in locis. De Statua Augusti lib. LVI. *Fulmen in statuam ejus, in Capitolio positam, delatum, primam nominis Cæsaris literam celaverant. Ideò vates eum centesima post die divinæ naturæ cujusdam participem fore dixerant: Eò id conjectati, quod litera C. apud Latinos centenarium numerum designat, reliqua nominis pars, ÆSAR Hetruscorum lingua Deum significat.* Aliam Augusti statuam fulmine tractam, hastamque è manu ejus excussam, in omen publicæ calamitatis traxisse Romanos, cum Dictator Augustus crearetur, tradit idem initio lib. LIII. Et lib. L. similiter memorat Antonii, & Cleopatræ statuas, quas Athenienses Deorum forma factas in arce statuerant, ante Actiacam victoriam malo omine fulminatas. Hæc quamvis ita vulgò credita sint, tamen fuêre, qui in bonam partem fulmen in Statuas delatum interpretarentur, sed quod tamen contra receptam opinionem fuerit; & insulsæ Aruspicum vanitati id adscribit, qui exemplum hic nobis suppeditat. Est in Flavius Vopiscus, qui in Floriano, cap. II. de Taciti, & Flo-

rani ejusdem statuis, *Horum*, inquit, *statuæ fuerunt Interamnæ duæ, pedum tricenum ex marmore, quod illic eorum Cenotaphia constituta sunt in solo proprio; Sed dejectæ fulmine ita contritæ sunt, ut membratim jaceant dissipatæ, quo tempore responsum est ab Aruspicibus, quandoque ex eorum familia Imperatorem Romanum futurum, seu per fœminam, seu per marem, qui det Iudices Parthis ac Persis; Qui Francos & Alemannos sub Romanis legibus habeat; Qui per omnem Africam Barbarum non relinquat; Qui Taprobanis Præsidem imponat; Qui ad Romanam insulam Proconsulem mittat: Qui Sarmatis omnibus judicet: Qui terram omnem, quâ Oceano ambitur, captis omnibus gentibus suam faciat; Postea tamen Senatui reddat imperium, & antiquis legibus vivat, ipse victurus annis centum viginti, & sine hærede moriturus. Futurum autem eum dixerunt à die fulmine præcipitatis statuisquè confractis post annos mille.* Subjungit mox judicium suum Historicus. *Non magna*, ait, *hæc Vrbanitas aruspicum fuit, qui Principem talem post mille annos futurum esse dixerunt: Quia si post centum annos prædicerent fore, possent eorum deprehendi mendacia, cum vix remanere talis possit historia.* Geminum penè huic est, quod idem Author de imagine Probi narrat, in vita ejus Imperatoris, cap. xxiv. *Cum imago Probi in Veronensi ita fulmine icta esset, ut ejus prætexta colores mutaret, Aruspices responderunt, hujus familiæ posteros tantæ in Senatu claritudinis fore, ut omnes summis honoribus fungerentur. Sed adhuc neminem vidimus.* Interim nequè hoc prætereundum est, quod consueverint interdum antiqui, avertendi mali causa, fulgur piaculis luere, cum de cœlo statuæ tactæ essent, & tum etiam transpositæ ipse leguntur statuæ. Extat apud Gellium N. A. iv, 5. illustre hujus rei exemplum, quod nihil vetat, quin huc transcribam, *Statua Romæ in Comitio posita Horatii Coclitis fortissimi viri de cœlo tacta est. Ob id fulgur piaculis luendum. Haruspices ex Etruria acciti, inimico atque hostili in populum Romanum animo, instituerant eam rem contrariis religionibus procurare. Atque illam statuam suaserunt in inferiorem locum perperam transponi, quem Sol oppositu circum undique aliarum ædium nunquam illustraret. Quod cum ita fieri persuasissent, delati ad populum, proditique sunt; & cum de perfidia confessi*

essent, necati sunt. Constititque eam statuam proinde, ut vera rationes post comperta monebant, in locum editum subducendam. Eaque res bene & prospere Reip. cessit.

Hæc fermè sunt, quæ de Statuis Illustrium Romanorum afferre hac vice cogitavimus. Quo in argumento, etsi non ignoramus multa diligentiam, ac industriam nostram fugisse, tamen non penitus frustra laboratum nobis speramus, cum sic viam muniverimus, partim nobis ipsis ut si quandoque occasio ferat, cruda hæc facilius, judiciis doctorum peritiores facti, recoquamus; partim aliis, ut ubi nos defecimus, ibi ingenium suum illi intendant, & pro usu hujus argumenti, quod opus videbitur, addant, demant, mutent, emendent.

ERRATA.

PAg. 9. lin. 20. *lege* Communes. 13. 35. & definita. 14. 36. Hypsipyles. 17. 11. quædam. 23. 22. Constantinum. 24. 13. positæ. 25. 23. Σερόχ. 26. 31. Supplicationes. 27. 5. Romulus. & 6. Halicarnassæus. 28. 11. ex Q. Fabio. 29. 22. *post* statuarum, *adde* conficere. 30. 10. *post* solennia, *adde*, destinabant. 31. 22. & 32. *pro* lib *lege*. leg. 32. 14. Vespasianus. 34. 1. *dele* τὸ, in, *&* *lege* sui precio, (erant.) 35. 7. auferri. & 8. judicium. 39. 7. Romæ. 41. 25. quidam. & 36. supputat. 45. 35. contigerit. 46. 6. ἀνθρωπόμορφα. 46. 25. SETLIVS & 27. attulerim. 47. 1. κυανένηπν. & 3. ἐλέλιξεν. 49. 17. Rhodiginus. 53. 2. odores. & 30. plurimæ. 54. 15, sic & 32. Marcello 55. 5. Marcello. 56. 1. avexit. 57. 29. quas Cajus abstulerat. 62. 1. *post* junioris filio, *adde* accepit. & 22. *dele ista*, Sed hæc hactenus. 64. 12. Corneliæ. & 21. Hermodori. 66. 14. ingentia. & 31. omisso. 69. 13. & 14. *in jussu editoris ea majusculis literis excusa*. 70. 35, solis. 84. 8. præterea 86. 33. Suetonii. 88. 2. ipsæ. 92. 21. poterat. 99. 21. Aliquam interim istiusmodi. 100. 4. F. Cajus vult, qui. 103. 29. legum. 105. 20. *eodem charactere tota linea scribenda fuit. sicut infra* pag 214. lin. 2. idem observandum. 113. 22. *hæc verba*. Et Maternus ibidem *cum citatione tota sequente loco suo mota in lineam* 18. *retrahenda sunt*, *&* *post*, studio dederunt, *inserenda*. 125. 10. Lucianus Philopseude. & 17. explicant hi versus. 126. 5. XXXII. 132, 7. *pro* 25. ad. N, N. *lege* 32. ad Theodos. & Arcad. 142. 32. ceræque ærisque, qui numerus paginæ præcedentis iteratus eundem transmittit errorem ad pag. 174. 144. 6. habet. 145, 15. in Signi, *diremptis vocibus*, 146. 33. & 34. aut æs luto potius. 150. 19. sola ære f. 161. 31. *post* triumpho, *adde* quod. 170. 14. & 178. 4. Scytalosagitt. 174. 26. *post* in hisce *adde*, inscriptionibus. 179. 8. Aliis. 180, 12. victum, statuæ. 184. 23. Honore. 188. 13. *dele* τὸ inde. 189. 25. ἀνδρειάντας. 191. 16. Zonaras 192. 32 dominum. 197. 18 Manu. 199. 31. *ante*, Postea, *præmitte*, In quo etiam. 200. 35. ibi 204. 22, collocatis. 205. 30. memorat. 208. 20. *pro* domi, *lege*, docti. 210, 25. celsæ 213. 36, lectorem. 215. 12. classem. 216. 20. *dele* τὸ ibi. & 27. *scribe* Capy. 217, 15. *post* sunt. *adde*, Verrin. 11. 219. 32, mutante. 220, 27. Statutas. 225. 20. Pomponius 227. 32. Quid. 232 28 illæ. 239. 19. Ubique. 242. 10. *pro* est, *lege*, & 248. 1. Miliel qu. 253. 31. meretur. 255. 8, moverint. & 10. turbarint. 259. 19. *distingue hoc modo*. Senatores, Collegia, Coloni, & plebes promiscua. Illos, &c. 260. 1. Denarios. 264, 24. imaginem, dum hisce. 272. 9. reliquimus 283. 1. religiosius. 287. 35. *pro* it, *lege* Fuit ita, 288. 23. *pro* cum, *lege* tum. 292. 13. Apotheosi. & 16. aris. 296. 4. tæniis. 307. 18. *distingue hoc modo*. μέγας. Illud vero, *Traheret tandem*, idem. 312, 8, obversante. 134, 28, adversus. in Præfatio. ad Lectorem, pag. (?) 4. lin. 30. *pro* idolant. *lege* doleat, in Indice Authorum, *pro* Pausanius, *lege* Pausanias. in Præfatione ad lectorem. pag. (?) 5. facie 2. 34. & 35. *pro* constat, *lege* constet,

INDEX

Rerum praecipuarum, hoc Syngrammate contentarum. Numerus Romanus caput, Barbarus paginam notat.

Cicero-

prope

Grans.

Pan-

Romæ

FINIS.